Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XXIII

BRUGIS FLANDRORUM

SEMINARIUM EPISCOPALE

MCMXXIII

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
CB
Alma, California

Collationes Brugenses

Litteræ encyclicæ

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE PACE CHRISTI IN REGNO CHRISTI QUÆRENDA (1).

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Præambulum. Desiderium Pontificis omnes dilectos filios alloquendi statim ab initio pontificatus sui.

Ubi arcano Dei consilio ac nutu Nos, qui nullis sane meritis commendaremur, ad hanc et veritatis cathedram et caritatis evecti sumus, habuimus in animo, venerabiles fratres, vos unaque Nostros dilectos filios, quotquot sunt vestris proxime demandati curis, quamprimum per amantissimas litteras universos alloqui. Huius voluntatis indicium, vixdum electi, dedisse videmur, cum ex edito Basilicæ Vaticanæ loco, in maxima hominum celebritate, Urbem atque orbem bene dicendo lustravimus: eamque benedictionem undique vos, sacro Cardinalium Collegio præeunte, tanta cum gratulatione lætitiaque accepistis, quæ Nobis, in subeundo, præter exspectationem, huius officii onere suspensis, peropportuno atque, secundum divini auxilii fiduciam, maximo solacio fuerit. Nunc demum, Domini Nostri Iesu Christi adventante natali, sub initium alterius anni *os nostrum patet ad vos;* (2) sitque vobis oratio Nostra solemnium strenarum instar quibus fausta parentis omina ad filios deferantur.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIV, p. 673 s.
(2) II *Cor.* VI, 11.

25318

V.23
1923

Varia negotia maximi momenti prohibuere quominus hoc fieret.

Id vero quominus maturius, ut erat in votis, efficeremus, aliæ ex aliis causæ usque adhuc prohibuere. Ac primo satisfaciendum catholicorum humanitati fuit, a quibus innumerabiles quotidie litteræ afferebantur, beati Petri novum successorem salutantibus omni cum significatione flagrantissimæ pietatis. Subinde ipsi experiri cœpimus eam quæ ab Apostolo memorata est, *instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum* (1); atque ad cumulandas Nostri muneris ordinarias curas hæc accesserunt : ut negotia illa maximi momenti, quæ Nos reperissemus inita, de Terra Sancta, deque christianorum ibidem statu et Ecclesiarum in primis illustrium, persequeremur; ut apud victricium Civitatum conventus, in quibus nationum ageretur fortuna, memores Nostrarum partium, caritatis simul et iustitiæ causam tueremur, hortantes præsertim ad habendam pro merito rationem rerum spiritualium, quæ non minus valerent, imo potiores ceteris essent ; ut dissitarum gentium immensitati, fame ærumnisque omnis generis tabescentium, subvenire omni ope conaremur, id quod fecimus, tum quamplurimum subsidii Nostræ patiebantur angustiæ mittendo, tum orbis terrarum beneficentiam implorando ; ut in ipso populo, unde orti essemus, et quo in medio Petri Sedem Deus collocasset, eas quæ per vim et violentiam dudum fiebant sæpe contentiones, studeremus componere, quibus cara penitus Nobis civitas in extremum discrimen adduci videbatur.

Motiva gaudii eodem tempore.

Non defuerunt autem eodem tempore, quæ Nos gaudio admodum compleverint. Equidem per eos dies in quibus vel XXVI cœtus Eucharisticus omnium nationum, vel solemnia tertium sæcularia post Sacrum Consilium Fidei Propagandæ conditum acta sunt, tanta animus Noster perfusus est cælestium consolationum copia, quanta in exordio Pontificatus Nos frui posse vix sperabamus. Itaque licuit cum omnibus fere et singulis dilectis filiis Nostris Cardinalibus seorsum conferre sermones, itemque cum venerabilibus fratribus Episcopis tam multis, ut non facile plurium annorum spatio maiorem numerum essemus visuri. Magnas quoque Christifidelium catervas, quasi totidem delectas partes eius infinitæ prope familiæ quam Dominus Nobis crediderat, *ex omni tribu et lingua*

(1) II *Cor.* XI, 28.

et populo et natione, ut est in Apocalypsi, coram admittere et paterno alloquio recreare Nobis percupientibus licuit. — Tum vero divina quædam rerum spectacula Nobis oblata sunt: cum Redemptor Noster Iesus Christus sub Eucharistiæ velis delitescens, per urbem Romam, confertissimo piorum, qui undique confluxissent, comitatu, triumphantis ritu, circumferretur, ut in possessionem sibi debiti honoris, tamquam hominum et civitatum Regi, restitutus videretur; cum sacerdotes bonique laici, tamquam si delapsus iterum in eos Paraclitus esset, precum spiritu et apostolatus studio inflammatos animos vulgo ostenderent; cum vivax populi Romani fides, præclaro Dei gloriæ animarumque salutis emolumento, denuo, ut olim, annuntiaretur in universo mundo. Interim Maria Virgo Deipara eademque nostrum omnium benignissima Parens, quæ quidem in suis ædibus vel Czenstochowæ, vel Ostrabramæ vel in illo prodigiali specu Lapurdensi, maxime autem Mediolani ex aëreo templi fastigio itemque ex propinquo sanctuario Rhaudensi Nobis olim arrisisset, gratum acceptumque habere visa est illud Nostræ pietatis officium, cum sacerrimæ ædi Lauretanæ, reparatis iis, quæ vis incendii corruperat, venerabile ipsius simulacrum, apud Nos affabre refectum, Nostrisque manibus et consecratum et corona redimitum, restituendum curavimus. Omnino magnifice splendideque triumphasse et ipsam dixeris augustam Virginem: namque a Vaticano Lauretum usque, quacumque sancta imago transvecta est, perpetua quadam gratulationum serie religio populorum eam celebravit, omnibus ordinibus ex vicinia obviam effusis, qui sua in Mariam et in Vicarium Iesu Christi pientissima studia demonstrabant.

Horum vel lætabilium vel tristium eventorum admonitu, quorum hic memoriam commendatam volumus posteritati, sensim factum est ut magis magisque menti Nostræ pateret, quid Nobis in Pontificatu maximo deberet esse antiquius, quidque primum scribendo ad vos ediceremus.

Hoc enimvero nemini est obscurum: nec hominibus singulis, nec hominum societati, nec populis, post illam belli calamitatem, adhuc pacem veri nominis esse quæsitam; actuosamque et fructuosam tranquillitatem, quam omnes expetunt, adhuc desiderari. Sed huius mali accurate primum attendenda est magnitudo et gravitas, tum causæ et semina perscrutanda, si quis velit, ut Nos volu-

1 pars. Doctrina de pace Christi.

mus, opportunam ei medicinam admovere; idque aggredi, pro Apostolici officii conscientia habemus Nobis propositum in his litteris, quod ipsum deinceps persequi numquam cessabimus. Nimirum eadem perseverant tempora, quæ Benedicti XV, desideratissimi decessoris Nostri, animum toto Pontificatus cursu sollicitarunt; consequens est, ut easdem, quas ille in hoc genere cogitationes habuit et consilia, Nosmet ipsi suscipiamus. Optandum est vero ut omnes boni idem sentiant idemque velint, ac Nos, operamque et studium Nobis navent ad veram diuturnamque hominibus reconciliationem a Deo impetrandam.

I. *Mala* horum temporum.

Mirum quam apte ad hanc ætatem quadrant illæ voces prophetarum : *Expectavimus pacem, et non erat bonum : tempus medelæ, et ecce formido* (1). *Tempus curationis, et ecce turbatio* (2). *Expectavimus lucem, et ecce tenebræ ; ... iudicium, et non est ; salutem et elongata est a nobis* (3).

Nondum est pax, nam manent inimicitiæ *externæ* inter populos.

Etenim, positis dudum per Europam armis, tamen scitis ex Oriente proximo novorum pericula bellorum ingruere; ibidemque per immensos terrarum tractus, ut diximus, omnia plena horrorum esse et miseriarum, cum ingens calamitosorum quotidie multitudo, senum præsertim mulierumque et puerorum, fame, pestilentia, vastationibus intereat : quacumque autem nuper belligeratum est, veteres nondum quievisse simultates easque exerceri vel dissimulanter in politicis, vel tecte in rei nummariæ varietatibus, vel patenter in quotidianis periodicisque scriptionibus ; vel in ipsos invadere fines earum rerum, quæ suapte natura nihil habent acerbæ contentionis, ut sunt artium studia et litterarum. Hinc inimicitiæ offensionesque rerum publicarum mutuæ populos respirare non sinunt ; nec solum victi cum victoribus populis, sed etiam qui vicerunt, ipsi inimice inter se agunt, cum alteri se a maioribus oppressos et exhaustos, alteri se minorum odiis insidiisque appetitos conquerantur. Incommoda autem confecti belli omnes omnino sentiunt civitates ; maxima quidem eæ quæ subactæ sunt, sed non exigua vel illæ quæ bello abstinuerunt. Eademque, ob medicinæ moram, in dies intolerabiliora fiunt; præsertim

(1) Ier. VIII, 15.
(2) Ier. XIV, 19.
(3) Isa. LIX, 9, 11.

cum ea quæ ab hominibus politicis pluries usque adhuc instituta sunt consilia et conata, rebus medendi causâ, nullum atque etiam opinione deteriorem exitum habuerint. Quare, ingravescente formidine ne calamitosiora posthac oriantur bella, necessitas quædam omnibus civitatibus nascitur in bellico apparatu vivendi: ex quo cum exhauriuntur æraria, tum generis robur consumitur, tum etiam et doctrinæ studia et religionis consuetudo et morum disciplina perturbantur.

Discidia *interna* ubique.

Ad externas autem populorum inimicitias adiunguntur, quod peius est, intestina discidia, quibus et status civitatum et ipsa societas civilis periclitatur.

In sinu nationum, dimicatio ordinum.

Primo loco ponenda est illa ordinum inter ipsos dimicatio, quæ quasi ulcus mortiferum iam inveteravit in sinu nationum, operas, artificia, commercia, omnia denique privatæ publicæque prosperitatis elementa vulnerans. Atque huiusmodi labem usque reddit perniciosiorem accrescens bonorum externorum hinc aviditas, illinc tenacitas, et commune utrique parti habendi studium et imperandi. Inde operum vel voluntariæ vel coactæ cessationes sæpe gignuntur : inde etiam populares motus coercitionesque publicæ magna cum molestia omnium et detrimento.

In republica, luctæ inter partes.

Deinde in re publica fere solent partes, non, pro opinionum varietate, commune bonum sincere spectantes, inter se contendere; verum propriis servientes utilitatibus in perniciem ceterorum. Ergo cernere licet ut coniurationes increbrescant, ut insidiæ, ut latrocinia in cives in ipsosque magistratus, ut terrores ac minæ, ut apertæ seditiones, ut alia id genus eveniant, quæ quidem eo sunt graviora, quo amplius rem publicam populus, ut in his reipublicæ formis, participat. Quas formas etsi Ecclesiæ doctrina — ut cetera quæ iure et ratione sunt instituta — non reiicit, tamen inter omnes liquet eas factionum improbitati facile patere.

In societate domestica, variæ scissiones et dissensiones.

Iamvero valde dolendum est huiusmodi luem alte ad ipsas humanæ societatis radices penetrasse, id est ad convictum domesticum, cuius quidem eversionem iam pridem inchoatam, multum promovit immensa belli clades, patres filiosque familias procul dissipando, morumque corruptelas multis modis augendo. Ita neque in honore solet esse patria potestas, neque in pretio consanguinitas, heri famulique hostium loco inter se habent, ipsa coniugii fides nimio sæpius violatur, et

sancta coniugum officia erga Deum civilemque societatem negliguntur.

Inde etiam in individuis deordinationes omnimodæ.

Atque uti, cum quodpiam corpus aut nobilem eius partem male habere contigerit, vel minima etiam ipsius membra non bene valeant necesse est, sic eas res, ex quibus consortionem humanam societatemque domesticam ægrotare vidimus, in homines singulos consentaneum est redundare. Etenim nemo ignorat, hominum ex omni ætate omnique ordine, quam inquieti consueverint esse animi, quam morosi difficilesque ; quantum obediendi fastidium quantaque laboris impatientia vulgo incesserit ; quemadmodum fines verecundiæ transierit, in vestimentis choreisque præsertim, feminarum puellarumque levitas, quarum luxuriosiore cultu inopum odia concitantur; denique ut crescat ærumnosorum numerus, ex quo agmini seditiosorum perpetuæ ingentesque accessiones fiunt

Confusio generalis atque regressus ad barbariem.

Ergo pro fiducia et securitate ancipites curæ sollicitique metus, pro sollertia et labore inertia et desidia pro tranquillitate ordinis, quæ res pacem continet, rerum omnium perturbatio et confusio dominatur. Quapropter iacent, ut vidimus, industriæ civilis incepta ; languent populorum inter se commercia ; hebescunt litterarum artiumque studia ; desideratur, quod longe est gravius, multis partibus, quæ sit christianis digna, consuetudo vivendi, usque eo ut humana societas non modo non progredi ad omnem excellentiam, quemadmodum gloriari homines solent, sed ad barbarorum feritatem regredi videatur.

Damna maxima ordinis spiritualis.

His vero omnibus malis, quæ memoravimus, addenda sunt quasi in cumulum ea quæ quidem *animalis homo non percipit* (1), sed tamen in maximis horum temporum numerari debent. Damna dicimus proprie facta in genere rerum spiritualium et supernaturalium, quibuscum animarum vita coniungitur, eaque, ut facile intelligitur, tanto sunt magis deploranda, quam bonorum externorum detrimenta, quanto concretionem mortalem spiritus exsuperat. Nam, præter eam, quæ modo dicta est, late fusam christianorum officiorum oblivionem, quantus Nobis, isque communis vobiscum, venerabiles fratres, est dolor, quod e compluribus templis in profanos usus

(1) I *Cor.* II, 14.

bello conversis, non pauca sunt nondum sacris reddita; quod clausa illo ipso tempore clericorum plura seminaria, educandis in religione ducibus populorum et magistris, adhuc non adest facultas aperiendi; quod sacerdotum — quorum alios vis belli, in divinis ministeriis occupatos alios offensionum magnitudo, sanctæ immemores disciplinæ, perdidit — fere ubique extenuata copia est; quod propterea nimis multis locis ea quæ *in ædificationem corporis Christi* (1) omnino est necessaria, divini verbi prædicatio silet.

Quid, quod ex ultimis terris atque ex intimis barbariæ regionibus nostri Missionales ad belli labores adiuvandos, domum frequentes evocati, cum uberrimos campos, ubi utilissime, religionis humanitatisque causa, desudabant, reliquissent, haud ita multi ad stationes suas salvi reverterunt? Quamquam huiusmodi iacturas cum optimis etiam fructibus, aliqua ex parte, compensari vidimus: nam et evidentius apparuit - contra quam calumniari vulgus adversariorum consuevit - in animis sacricolarum patriæ caritatem omniumque officiorum conscientiam vigere maxime; et militum plurimi, ipsis in faucibus mortis constituti, cum in sacrorum administris, ex quotidiana consuetudine, magnanimitatis et diligentiæ eximia documenta suspicerent, cum sacro ordine Ecclesiaque in gratiam redierunt. Sed enim in hoc bonitas et sapientia Dei est admiranda, qui unus ex ipso malo bonum eliciat.

II. *Causæ.*

Hactenus de malis horum temporum. Nunc in causas, unde exstitere — tametsi de iis aliquid necessitate quadam iam attigimus - data opera inquiramus.

Principio videmur, venerabiles fratres, divinum humanarum infirmitatum consolatorem et medicum audire, sic iterum affirmantem: *Omnia hæc mala ab intus procedunt* (2). - Utique solemni pacto inter belligerantes convenit pax; sed illa consignata est publicis tabulis, non in animis inscripta hominum: vivunt ibi etiamnunc bellici spiritus atque inde civilem in convictum perniciose quotidie magis redundant. Diutius enim usque quaque violentiæ ius exsultavit, atque in hominibus eos naturâ insitos, quos christianæ caritatis lex perfecerat,

Imprimis absentia omnis sensus benignitatis ac misericordiæ christianæ.

(1) *Ephes*, IV, 12.
(2) Marc. VII, 23.

Hos sensus reconciliatio pacis, specie facta non re, minime redintegravit.

benignitatis misericordiæque sensus paullatim obstupefecit; eosdemque hæc pacis reconciliatio specie facta, non re, minime redintegravit. Ita apud longe plurimos diuturna invidendi consuetudo vim naturæ iam obtinet; et cœca illa lex dominatur, quam Paulus Apostolus in membris suis legi mentis repugnantem ingemiscebat. Frequentius igitur evenire solet, ut homo homini non, ex Christi præcepto, frater, sed extraneus videatur et hostis; dignitatis ipsiusque personæ humanæ ratio pæne habeatur nulla, vis dumtaxat valeat et numerus; alteri alteros opprimere contendant ob eam causam, ut bonorum huius vitæ, quantum possint, potiantur. Scilicet nihil pervulgatius est inter homines quam bona sempiterna, quæ Christus Dominus per Ecclesiam suam continenter proponit omnibus adipiscenda, negligere, et fluxarum rerum et caducarum adeptionem insatiabiliter appetere.

Insatiabilis bonorum terrestrium cupiditas.

Atqui hoc habent bona externa ut, si immoderate appetantur, omne genus malorum pariant, depravationem morum imprimis et discordias. Etenim, ut per se vilia sunt et abiecta, animum sane non possunt explere hominis, quem a Deo factum destinatumque ad Dei fruendam gloriam, necesse est sollicitum semper et inquietum vivere, donec in Deo conquiescat.

Præterea, cum eadem sint angustis plane finibus circumscripta, quo plures fuerint qui ea participent, eo minus singuli accipient; contra, ea quæ sunt spiritus, etsi inter plures dispertita, tamen, omnes locupletando non ideo deminuuntur. Ex quo efficitur, ut terrenæ res, quia nec omnibus æque satisfacere nec plene exsaturare ullum possunt, idcirco et discidiorum evadant causæ et ægritudinum, vereque *vanitas vanitatum... et afflictio spiritus* (1), quemadmodum eas sapientissimus omnium Salomon expertus appellavit. Id quod societati hominum accidit non secus ac singulis. *Unde bella et lites in vobis?*, inquit Iacobus Apostolus, *nonne hinc, ex concupiscentiis vestris?* (2)

Nam *concupiscentia carnis*, idest voluptatum cupiditatibus, nullam capitaliorem pestem dixeris cogitari posse, non solum ad domus sed ad ipsas civitates perturbandas; *ex concupiscentia oculorum*, idest habendi cupiditate,

(1) *Eccle.* I, 2, 14.
(2) Iac. IV, 1.

acerbæ illæ nascuntur contentiones civilium ordinum, suis cuiusque commodis plus nimio inservientium; *superbia vitæ* autem, idest studio ceteris omnibus dominandi, adductæ partes politicæ sic inter se digladiari consueverunt, ut nec crimine maiestatis, nec perduellione, nec ipso patriæ parricidio abstineant.

Quæ cupiditatum intemperantia specie boni publici ac caritatis patriæ se obtegit.

Atque huic quidem intemperantiæ cupiditatum, specie scilicet se boni publici et caritatis patriæ obtegenti, tribuendæ profecto sunt quæ inter nationes solent inimicitiae simultatesque existere. Etenim hæc quoque patriæ gentisque suæ caritas, quamquam non parum habet ad plures virtutes atque ad fortia facinora incitamenti, si quidem lege christiana regatur, fit tamen multarum iniuriarum et iniquitatum semen, cum, æqui rectique fines prætergressa, in immoderatum creverit nationis amorem. Quo qui abrepti sint, ii profecto obliviscuntur, non modo populos omnes, ut partes familiæ humanæ universæ, fraterna inter se consuetudine copulari, et aliis quoque gentibus ius esse vivendi et ad prosperas aspirandi fortunas, sed etiam nec licere nec expedire utile ab honesto seiungi. Nam *iustitia eleval gentes, miseros autem facit populos peccatum* (1). Quod vero familiæ vel civitati vel reipublicæ comparatæ sint, cum ceterorum detrimento, utilitates, id hominibus egregie magnifique factum videatur, at nec stabile fore nec sine ruinarum metu, sapienter admonet Augustinus: « *vitrea lætitia fragiliter splendida, cui timeatur horribilius ne repente frangatur* » (2).

Causa porro adhuc altior est: oblivio Dei et Christi.

Verum, quod pax abfuerit hodieque, cum tot sanatione malorum, desideretur, id altius etiam, quam adhuc fecimus, repetendum est. Iam enim multo ante quam Europa bello flagraret, vitio hominum civitatumque, præcipua tantarum calamitatum effectrix causa invalescebat, quam ipsa conflictus immanitas submovere de medio ac tollere certe debebat, si quidem omnes intellexissent quid maximis eiusmodi eventis significaretur. Illud Scripturarum quis ignorat? *qui dereliquerunt Dominum, consumentur;* (3) nec nota minus Iesu, Redemptoris hominum et magistri, ea gravisime dicta; *sine me nihil*

(1) *Prov.* XIV, 34.
(2) S. August. *De Civ. Dei*, lib. IV, c. 3.
(3) Is. I, 28.

potestis facere (1), itemque: *qui non colligit mecum dispergit* (2).

Submoverunt Deum et Christum a legibus et re publica; itaque fundamenta auctoritatis ablata sunt.

Quæ Dei iudicia cum omni tempore ad effectum adducta sint, nunc maxime sub omnium oculis efficiuntur. Quod enim homines a Deo et Iesu Christo misere desciverunt, idcirco de pristina rerum felicitate in hanc malorum colluviem demersi sunt, et hac ipsa de causa cadit plerumque irritum quidquid ii moliuntur ut damna reparent, et quantum ex tot ruinis reliqui est, tueantur. Itaque Deo et Iesu Christo a legibus et re publica submoto, iam non a Deo derivata sed ab hominibus auctoritate, factum est, ut - præterquam quod legibus veræ solidæque sanctiones interceptæ sunt summaque iusti principia, quæ vel ethnici philosophi, ut Cicero, tantummodo lege Dei æterna contineri perspiciebant - ipsa præterea auctoritatis fundamenta convellerentur, principe sublatâ causa, cur aliis ius esset imperandi, aliis autem officium parendi. Ex quo totam oportuit concuti societatem humanam, nullo iam solido fultam columine et præsidio, factionibus de imperio certantibus, ut suis, non patriæ, commodis prospicerent.

Decreverunt non Deum, non Christum familiæ præsidere; unde eversio ordinis et pacis domesticæ.

Decretum pariter est, iam non Deum, non Christum Dominum constituendæ primum familiæ præsidere, reiecto inter civiles pactiones matrimonio, quod Christus *sacramentum magnum* (3) fecerat figuramque voluerat esse sanctam ac sanctificantem vinculi illius perpetuo mansuri, quo ipse cum Ecclesia coniungitur sua. Quamobrem vidimus religionis obscurari passim in populo intelligentiam sensumque obtundi, quem Ecclesia primo societatis germini, quod familia est, offuderat; domesticum ordinem, domesticamque pacem, everti; familiæ communionem stabilitatemque cotidie magis labefieri, eiusque sanctitudinem tam frequenter sordidarum cupiditatem æstu ac mortifero viliorum utilitatum amore violari, ut fontes ipsi vitæ cum familiarum, tum etiam populorum inquinarentur.

Segregaverunt Deum et Christum ab institutione iuventutis.

Denique ab institutione iuventutis Deum et Christum eius segregari visum est: at necessario est consecutum, ut religio non tam a scholis abesset quam in scholis

---

(1) Io. XV, 5.
(2) Luc. XI, 23.
(3) *Eph.* V, 32.

tacite vel etiam aperte oppugnaretur, et pueri sibi persuaderent, nihil aut certe parum ista omnia ad bene vivendum valere, de quibus aut nullus haberetur sermo aut verba utique plena contemptionis fierent. Ita vero, Deo eiusque lege e disciplina studiorum exsulantibus, iam non intelligitur quo pacto adolescentulorum animi ad malum devitandum atque ad ætatem honeste sancteque agendam institui possint; et simul, quemadmodum domestico et civili convictui copia suppetat hominum, qui sint bene morati, ordinis pacisque amatores et ad communem idonei utilesque prosperitatem.

Tacite aut aperte vel imo in scholis religionem oppugnaverunt.

Posthabitis igitur christianæ sapientiæ præceptis, non est cur miremur, discordiarum semina ubique, tamquam opportuno in solo, sata, tandem in teterrimum illud crupisse bellum, quod vi et sanguine odia inter populos atque ipsos civium ordines vehementius aluit, nedum lassitudine restingueret.

Quoniam autem, venerabiles fratres, causas malorum, quibus societas hominum premitur, breviter perstrinximus, iam videamus, quæ ex ipsorum natura coniicere liceat apta societati sanandæ remedia.

III. *Remedia.*

Primum igitur omnium necesse est animos pacari hominum. Neque enim valde profutura sit ea exterior pacis species, qua, quasi comitate quadam, eorum inter se consuetudo regitur atque informatur; sed tali opus est pace, quæ pervadat tranquilletque animos, eosque ad fraternam erga ceteros benevolentiam inclinet et componat. Eiusmodi autem non est nisi pax Christi: *et pax Christi exsultet in cordibus vestris* (1); nec alia et dissimilis esse queat pax, quam dat ipse suis (2), cum, Deus ut est, vel in medullas intueatur (3) inque animis regnet. Bene suam, ceterum, Dominus Iesus appellare hanc potuit pacem, qui primus hominibus edixerit: *omnes vos fratres estis* (4); et legem promulgaverit mutuæ inter universos omnes caritatis et patientiæ, suo ipsius sanguine veluti obsignatam: *hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut ego dilexi vos* (5) - *alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi* (6).

Primum omnium necesse est animos pacari.

Pax autem vera non est nisi pax Christi.

(1) *Col.* III, 15.
(2) Io. XIV, 27.
(3) I *Reg.* XVI, 7.
(4) Matth. XXIII, 8.
(5) Io. XV, 12.
(6) *Gal.* VI, 2.

Germana porro pax Christi a justitiæ norma deflectere non potest, sed imprimis caritatem supponit.

Inde profecto consequitur, germanam Christi pacem non posse ab iustitiæ norma deflectere, tum quia est Deus ipse qui *iudicat iustitiam* (1), tum quia *opus iustitiæ pax* (2); verum nequit eadem tantummodo dura et quasi ferrea constare iustitia, sed temperari utique debet haud minore caritate, quæ quidem virtus nata apta est ad homines cum hominibus placandos. Itaque huiusmodi pacem Christus humano generi comparavit, immo etiam, ut tam nervose Paulus, *Ipse est pax nostra*, quia, cum divinæ satisfaceret iustitiæ in carne sua per crucem, interfecit *inimicitias in semetipso, ... faciens pacem* (3), et omnes atque omnia Deo in se reconciliavit; atque in ipsa redemptione Paulus non tam iustitiæ, ut demum est, quam divinum reconciliationis et caritatis opus considerat atque agnoscit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (4); *sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret* (5). Ad rem aptissime, ut solet, scribit Angelicus Doctor, veram germanamque pacem ad caritatem potius quam ad iustitiam pertinere, cum hæc quæcumque pacem impediant removeat, ut iniurias, ut damna; pax vero sit proprie ac peculiariter caritatis actus (6).

Pax Christi non caducis bonis sed spiritualibus et sempiternis alitur.

Ad pacem igitur Christi, quæ, a caritate profecta, penitus in animo insidet, ea iure accommodantur quæ de regno Dei, qui sane per caritatem animos possidet, habet idem Apostolus: *non est regnum Dei esca et potus* (7); id est pax Christi non caducis bonis, sed spiritualibus sempiternisque alitur, quorum excellentiam ac præstantiam Christus ipse, cum patefecit mundo, tum hominibus suadere non cessavit. Proptera enim dixit: *quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* (8) Et docuit deinceps qua Christianus debeat esse constantia ac firmitate animi: *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere;*

---

(1) *Ps.* IX, 5,
(2) Is. XXXII, 17.
(3) *Eph.* II, 14 et ss.
(4) II *Cor.* V, 19.
(5) Io. III, 16.
(6) 2ª, 2ªᵉ, q. 29, III, ad 3ᵘᵐ.
(7) *Rom.* XIV, 17.
(8) Matth. XVI, 26.

sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (1).

Non quo pace eiusmodi qui frui velit, is bona huius vitæ repudiare debeat ; quin etiam his, ex ipsa Christi promissione, affluet : *Quærite primum regnum Dei et iustitiam eius, et hæc omnia adiicientur vobis* (2). At vero : *Pax Dei exsuperat omnem sensum* (3), et hac prorsus de causa cæcis imperat cupiditatibus, et dissensiones discordiasque devitat, quas libido habendi necessario gignit.

Non petit ut bona terrena respuantur ; sed imperat cæcis cupiditatibus.

Refrenatis igitur virtute cupiditatibus, redditoque honore suo iis quæ sunt spiritus, illud sponte sequetur commodi, ut christiana pax, cum integritatem morum afferat, tum humanæ personæ dignitatem illustret ; quam quidem, postquam suo Christus redemit sanguine, Patris cælestis adoptio fraternaque cum ipso Christo necessitudo consecrat, orationes et sacramenta divinæ tum gratiæ participem tum naturæ consortem efficiunt usque eo, ut, mortalis vitæ bene actæ præmio potita, in sempiternum divinæ gloriæ possessione perfruatur.

Bona pacis Christi : imprimis restitutio dignitatis humanæ.

Quoniam autem supra demonstravimus præcipuam quandam causam turbidarum rerum, in quibus vivimus, eam esse quod, valde imminuta sit vel iuris auctoritas vel verecundia potestatis - nimirum ex quo negari placuit ius potestatemque a Deo, mundi conditore et gubernatore, profectam - huic etiam incommodo pax Christiana medebitur, cum eadem divina sit pax, eoque ipso ordinem, legem imperiumque salva esse iubeat. Hæc enim habent Scripturæ : *Disciplinam in pace conservate* (4). *Pax multa diligentibus legem tuam Domine* (5). *Qui timet præceptum in pace versabitur* (6). Dominus vero Iesus non modo illud edixit : *reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari* (7) ; sed etiam in ipso Pilato revereri se professus est potestatem ei datam desuper (8) ; quemadmodum discipulis præceperat revererentur eos qui *super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi* (9). Mirabile est autem

Deinde restitutio auctoritatis et omnis ordinis.

(1) Matth. x, 28 ; Luc. xii, 14.
(2) Matth. vi, 33 ; Luc. xii, 31.
(3) *Phil.* iv, 7.
(4) *Eccli.* xli, 17.
(5) *Ps.* cxviii, 165.
(6) *Prov.* xiii, 13.
(7) Matth. xxii, 21.
(8) Io. xix, 11.
(9) Matth. xxiii, 2.

quantum in domestico convictu patriæ potestati tribuerit, Mariæ et Ioseph subditus in exemplum : cuius etiam est illa per Apostolos promulgata lex : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo* (1).

Ad Ecclesiam pertinet mundi res pacificare, quoniam ipsa est magistra veritatis.

Quod si quis animadvertat, quæ Christi consilia atque instituta essent de humanæ dignitate personæ, de morum innocentia, de obediendi officio, de societatis hominum ordinatione divina, de sacramento matrimonii deque familiæ christianæ sanctitudine, hæc, inquimus, et talia dogmata quæ de cælo in terras detulisset, ipsum Ecclesiæ dumtaxat suæ tradidisse et quidem cum pollicitatione solemni opis præsentiæque numquam defuturæ, eidem mandasse ut universis gentibus usque ad finem sæculorum, magistra fallendi nescia, nuntiare non desisteret, is profecto intelliget, quid et quantum afferre remedii ad res mundi pacificandas Ecclesia catholica et possit et debeat.

Sola possidet facultatem ad mala memorata pellenda.

Nam quia una divinitus constituta est harum veritatum præceptorumque interpres et custos, in ipsa unice vera et inexhausta quædam facultas inest, ut cum a communi vita domesticaque societate et civili *materialismi* maculam, quæ tanta ibi iam fecerat damna, prohibeat, christianamque disciplinam de spiritu, seu de animis hominum immortalibus, philosophia multo potiorem, eodem insinuet: tum ut omnes inter ipsos ordines civium ac plebem universam altioris quadam benevolentiæ, sensu et *quadam quasi fraternitate* (2) coniungat, ac singulorum quoque dignitatem hominum, iure vindicatam, ad Deum ipsum extollat ; tum denique curet, ut, publicis privatisque moribus emendatis, sanctiusque institutis. omnia Deo qui *intuetur cor* (3), plene subjecta, eiusdem et doctrinis et legibus penitus informentur atque ita omnibus sacri conscientia officii imbutis animis hominum, sive privatorum sive principum, ipsisque ordinibus publicis civilis societatis, *sit omnia et in omnibus Christus* (4).

Sola potest veram pacem Christi conciliare.

Quamobrem cum unius Ecclesiæ sit, ex veritate qua pollet et virtute Christi, hominum recte conformare animos, ea sola potest veram Christi pacem non modo in præsens conciliare sed etiam confirmare in posterum

(1) *Rom.* XIII, 1.
(2) S. August., *De moribus Ecclesiæ Catholicæ*, I, 30.
(3) *Reg.* XVI, 7.
(4) *Coloss.* III, 11.

tempus, nova, quæ ingruere diximus, bellorum pericula propulsando. Una enim, divino mandato iussuque, docet Ecclesia ad æternam Dei legem omnia debere homines exigere, quæcumque ipsi agant, publice æque ac privatim, singuli pariter ac societate coniuncti. Quæ autem ad salutem multorum pertinent, apparet longe maioris esse momenti.

Sola docet legem divinam æternam, cui omnes obedire tenentur.

Cum igitur et civitates et respublicæ sanctum et solemne habuerint, vel in domesticis vel in externis rationibus, doctrinis præscriptisque Iesu Christi obsequi, tum demum et apud se pace fruentur bona et mutua utentur fiducia, controversiasque, si quæ forte suboriantur, pacifice dirimentur.

Quod si in hoc genere aliquid ad hunc diem tentatum est, id aut nullum aut exiguum sane successum habuit, maxime in iis rebus quibus inter se acerbius populi conflictantur.

Etenim nullum est institutum hominum quod universis imponere gentibus queat communium quemdam Codicem legum, his consonum temporibus; cuius generis habuit, ætate media, vera illa nationum societas, quæ christianorum populorum communitas fuit. In qua, etsi re sæpius omnino violabatur ius, ipsius tamen iuris sanctitas manebat in causa vigens, tuta veluti norma ad quam nationes ipsæ iudicarentur.

Exemplum veræ societatis nationum in ætate media.

At divinum est institutum, quod iuris gentium sanctitatem custodire potest; institutum scilicet et ad nationes omnes pertinens et nationibus supereminens omnibus, maxima quidem præditum auctoritate ac plenitudine magisterii venerandum, Ecclesia Christi: quæ una ad tantum idonea munus apparet tum ex divino mandato, tum ex natura ipsa et constitutione sua, tum denique e tanta sæculorum maiestate, ne belli quidem tempestatibus oppressa, sed potius mirabiliter aucta.

Præter Ecclesiam nullum institutum ad omnes nationes pertinet et cunctis supereminet.

Sequitur igitur ut pax veri nominis, nimirum optatissima pax Christi exsistere nulla possit, nisi Christi doctrinæ, præcepta, exempla fideliter teneantur ab omnibus, in publicis privatisque vivendi rationibus; atque ita, hominum recte instituta communitate, Ecclesia tandem, divino suo munere fungens, Dei ipsius, quotquot sunt iura, tum in singulos homines, tum in hominum societatem tueatur.

Nulla vera pax nisi Ecclesia eam tueatur.

His enim continetur, quod brevi dicimus *Regnum Christi*. Regnat siquidem Iesus Christus in mentibus

Ita et solum ita, obtinebitur regnum Christi in mente singulorum hominum,

singulorum hominum doctrinis suis, regnat in animis caritate, regnat in omni hominum vita legis observantia suæ suorumque exemplorum imitatione. Regnat idem in *societate domestica*, cum hæc christiani matrimonii sacramento constituta, tamquam res quædam sacra, inviolate consistit, in qua parentum potestas paternitatem divinam exprimat unde oritur ac nominatur (1); ubi filii obedientiam Iesu pueri æmulentur, atque omnis vitæ ratio sanctimoniam redoleat Nazarethanæ Familiæ. Regnat denique Iesus Dominus in *societate civili*, cum, summis in ea Deo tributis honoribus, ab eodem auctoritatis origo et iura repetuntur, ne vel imperandi norma desit, vel parendi officium et dignitas; ac præterea in eo dignitatis gradu statuitur Ecclesia in quo a suo ipsius Auctore collocata fuit, perfectæ societatis, ceterarumque societatum magistræ ac ducis; eiusmodi videlicet quæ non potestatem ipsarum imminuat - sunt enim in suo quæque ordine legitimæ - sed quæ opportune perficiat, uti gratia naturam; unde nimirum societates eædem hominibus valido præsidio sint ad supremum finem attingendum, quæ beatitas est sempiterna, ac securius hanc ipsam civium mortalem vitam fortunent.

in societate domestica,

in societate civili.

Tunc erit pax Christi in regno Christi,

Ex his liquet nullam esse Christi pacem nisi in regno Christi; nec vero posse nos contendere efficacius ad pacem constabiliendam, quam Christi regnum instaurando.

quod ad exemplum Pii X et Benedicti XV omni conatu instaurare conabitur pontifex.

Cum igitur Pius X *instaurare omnia in Christo* niteretur, is, divino tamquam afflatu permotus, opus illud parabat *reconciliandæ pacis*, quod deinde fuit Benedicti XV propositum. Nos, ea simul persequentes quæ ambo decessores Nostri assequenda sibi proposuerunt, id maxima contentione studebimus, *pacem Christi in regno Christi*, quærere, Dei scilicet gratia omnino confisi, qui Nobis, in hac summa potestate tradenda, perpetuo se affuturum polliceretur.

2a pars. Adhortationes et monita.

In hanc rem, bonorum omnium auxilium expectantes, vos imprimis, venerabiles fratres, appellamus, quos ipse Dux noster et Caput Christus, qui Nobis universi gregis sui curam commisit, in partem sollicitudinis Nostræ vocavit sane præstantissimam, vos nempe positos a Spiritu Sancto *regere Ecclesiam Dei* (2), vos *ministerio*

(1) *Ephes.* III, 15.
(2) *Act.* XX, 26.

reconciliationis præcipue insignitos, *pro Christo legatione fungentes* (1) eiusdemque et magisterii divini participes et *dispensatores mysteriorum* (2), ac propterea *sal terræ* nuncupatos et *mundi lucem* (3), christianorum doctores populorum ac patres, *formam gregis factos ex animo* (4) et *magnos* etiam vocandos *in regno cœlorum* (5) : vos denique omnes, quibus, veluti artubus præcipuis et aureis quibusdam nexibus *compactum et connexum totum corpus* Christi (6), quod est Ecclesia, constitutum in Petræ soliditate, consurgit.

I. Appellatio ad episcopos.

Eximiæ autem sollertiæ vestræ novum illud ac recens argumentum accessit, cum, per occasionem, quam sub initium harum litterarum commemoravimus, Romani Conventus Eucharistici et sæcularium sollemnium S. Congregationis a Propaganda Fide quam plurimi ex omnibus terrarum orbis regionibus in almam Urbem ad Apostolorum sepulcra convenistis. Tum vero cœtus ille Pastorum celebritate et auctoritate amplissimus hanc Nobis mentem iniecit suo tempore cogendi in hanc eandem Urbem, orbis catholici caput, solemnem eiusdem generis consessum, qui collapsis rebus, post tantam societatis humanæ turbationem, medicinam adhibeat peropportunam ; huiusque rei spem bonam auget *Anni sancti*, qui appropinquat, auspicata faustitas.

Mens pontificis de concilio vaticano continuando.

Necdum tamen audemus in præsenti aggrediendam Nobis proponere illius Concilii œcumenici instaurationem, quod, nostræ memoriâ iuventutis, sanctissimus Pontifex Pius Nonus inchoavit, sed eius partem dumtaxat, quamvis permagni momenti, perfecit. Cuius rei id profecto est causæ, quod Nos quidem, ut dux ille Israelitarum clarissimus, precibus veluti suspensi expectamus dum bonus ac misericors Deus suæ Nobis certius voluntatis consilium aperiat (7).

Inter hæc vero, quamquam optime novimus sollertiæ vestræ ac navitati nullos esse stimulos admovendos, at meritissima potius laudum præconia tribuenda, con-

Adhortatio ut episcopi impensius adhuc dominicum

(1) II *Cor.* v, 18, 20.
(2) I *Cor.* iv, 1.
(3) Matth. v, 13, 14.
(4) I Petr. v, 3.
(5) Matth. v, 19.
(6) *Ephes.* iv, 15, 16.
(7) *Iudic.* vi, 17.

gregem pascantur.

scientia tamen apostolici muneris Nostrique in omnes paterni officii Nos admonet ac pæne compellit, ut vestrum omnium quantumvis incensa studia novis quodammodo igniculis inflammemus : ex quo certo fiat ut, quas singuli singulas sortiti estis pascendas dominici gregis partes, eas impensioribus in dies curis prosequamini.

Post gratias actas de labore jam præstito, varia commendantur opera sollicitudini episcoporum.

Equidem quam multa, quam præclara quamque opportuna, decessoribus Nostris vobisque auctoribus, apud clerum omnemque populum fidelem et sapienter excogitata sint, et feliciter inchoata atque etiam salubriter perfecta et pro hominum adiunctis singulari cum laude absoluta, tum ex publica fama, editis etiam scriptis disseminata aliisque monumentis confirmata, tum e privatis uniuscuiusqus vestrum et aliorum complurium nuntiis ad Nos delatis cognovimus, et gratias immortali Deo agimus quantas maximas possumus. In his incepta præsertim suspicimus multa eademque providentissime ad animos vel sanis doctrinis instruendos, vel virtutibus ac sanctitate imbuendos· item cœtus clericorum laicorumque, seu pias uniones quas vocant, sacris inter infideles expeditionibus sustentandis provehendis, ad regnum Christi Dei amplificandum salutemque et temporariam et sempiternam barbaris gentibus importandam ; tum sodalitates iuvenum, et numero auctas et pietate in beatam Virginem atque in sacram præsertim Eucharistiam singulari, cum eximia fidei, castimoniæ, interque ipsos veluti fraternæ benevolentiæ laude coniuncta. Consociationes addimus alias virorum, mulierum alias, atque eucharisticas in primis, quæ augustum Sacramentum cum frequentioribus tum solemnioribus prosequendum honoribus curant, pompis etiam magnificentissimis vicatim per urbes deducendis; conventibus item cogendis celeberrimis vel e confluente vicinia vel e popularium multitudine vel denique ex externorum quoque legatis populorum prope omnium, omnibus tamen una fide, adoratione, prece, fruitione cælestium bonorum mirifice copulatis.

Imprimis sacer apostolatus ut cultus divino Cordi debitus in omni societate restituatur.

Huic iam pietati acceptum referimus sacri spiritum apostolatus latius multo diffusum quam antea, id est studium illud ferventissimum precibus primum assiduis exemplisque vitæ, deinde verbis bonis scriptionibusque frugiferis ac ceteris etiam caritatis operibus adiumentisque enitendi, ut cum in singulis animis hominum, tum in domestica ipsa et in civili communitate divino Cordi

Christi Regis debitus in primis amor, cultus et imperium restituatur. Huc item spectat *bonum certamen*, veluti pro aris et focis, ineundum præliumque multiplici e fronte committendum pro iuribus societatis religiosæ ac domesticæ, Ecclesiæ ac familiæ, a Deo naturaque profectis, de ipsa liberorum institutione. Huc denique pertinet omnium eorum summa, seu complexio institutorum, consiliorum, et operum quæ *actionis catholicæ*, Nobis carissimæ, perhibentur.

Iam hæc omnia, aliaque id genus permulta, quæ commemorare longum est, non modo firmiter retinenda sunt, verum etiam studiosius provehenda in dies, novisque incrementis augenda, prout rerum hominumque condicio postulat. Quod si ardua hæc videantur et Pastoribus ac fidelium gregibus laboriosa, et eadem procul dubio necessaria sunt et in præcipuis sacri pastoris officiis ac vitæ christianæ rationibus posita. Iisdem de causis apparet, — et multo clarius nimirum, quam, ut illustrari oporteat, — quantopere sint ea nexa inter se omnia et coniuncta cum illa regni Christi instauratione quæ in votis est, pacisque reconciliatione christiana, quæ huius est unius regni propria: *pax Christi in regno Christi*.

Hæc pariter sacerdotibus commendentur, præsertim obedientiæ integritas cum vitæ sanctitate.

Atque illud velimus Sacerdotibus vestris renuncietis, venerabiles fratres, Nos, tot laborum impigre pro Christi grege susceptorum cum testes tum socios dudum atque participes, semper maximi fecisse et facere eorum sive in laboribus perferendis magnanimitatem sive industriam in novis usque rationibus inveniendis, quibus novis necessitatibus occurratur quas temporum vices induxerint: eosdemque Nobis eo arctiore unitatis vinculo, Nosque vicissim ipsis paterna benignitate coniunctos fore, quo libentius arctiusque Pastoribus, tamquam Christo ipsi, ducibus et magistris, et vitæ sanctitate et obedientiæ integritate adhæserint.

Spes magna reposita in clero regulari qui et domi et foris regnum Christi tantum dilatat.

Quantam vero, venerabiles fratres, pro nostris propositis cogitatisque ad rem deducendis in Clero regulari spem reponamus non est cur longo exsequamur sermone, cum compertum vobis sit quantum is quidem conferat ad Christi regnum et domi confirmandum et foris dilatandum. Etenim cum hoc suum habeant religiosarum familiarum alumni, ut Christi non modo præcepta sed etiam consilia servent exerceantque, iidem vel in sacrorum septorum umbratili palæstra rebus cælestibus operam dantes vel in apertum campum progredientes, dum per-

fectæ christianæ vitæ speciem ad vivum sua vita exprimunt et sese totos bono communi devoventes, quo uberius spiritualibus bonis potiantur, a rebus omnibus terrenis suisque commodis abdicant. Christifideles, veluti exemplo continenter ob eorum oculos proposito, ad altiora appetenda provocant; idque feliciter assequuntur, adiectis etiam præclaris christianæ beneficentiæ officiis qua omnibus corporum animorumque languoribus medentur. Qua in re, ut ecclesiasticæ historiæ monumenta testantur, eo usque, divina urgente caritate, sæpe sunt progressi, ut in Evangelii prædicatione pro animarum salute vitam profunderent, et sua ipsorum morte Christi regni fines, fidei unitate christianæque fraternitatis propagata, amplificarent.

Fidelibus exponatur quantum regulares pro regno Christi propagando et instaurando laboraverint.

Illud porro in Christifidelium mentes revocate, quod cum ii, vobis cleroque vestro auctoribus, in provehenda Christi cognitione et amore publice privatim inculcando navant operam, tum demum maxime digni sunt qui salutentur *genus electum*, *regale sacerdotium*, *gens sancta*, *populus acquisitionis* (1); tum demum, et ipsi Nobiscum et cum Christo arctissime coniuncti, Christi regno sua industria et navitate propagando et instaurando, de communi hominum inter se pace optime merentur. Hæc enim vera quædam iurium æqualitas in regno Christi viget floretque, ut omnes eadem nobilitate insignes, eodem Christi sanguine pretioso condecorentur; qui autem præesse ceteris videantur, Christo Domino ipso suo exemplo præeunte, communium bonorum administri ac proinde famuli omnium famulorum Dei, infirmorum præsertim atque omni ope destitutorum, et iure vocentur et sint.

II. Nova pericula ex rei socialis commutationibus.

Attamen, quæ rei socialis commutationes id genus adiutorum in opere divino persequendo necessitatem vel induxerunt vel auxerunt, eædem nova pericula nec pauca nec levia imperitis peperere. Etenim, teterrimo bello vix dissipato, civitatibus deinde partium agitatione perturbatis, ea hominum mentes animosque studia effrenata pervaserunt, eæque opinionum perversitates, ut iam sit extimescendum ne optimus quisque Christifidelium atque etiam sacerdotum, falsa veri bonique specie allectus, lugenda errorum contagione inficiatur.

---

(1) I *Petr.* II, 9.

Quot enim sunt qui catholicas doctrinas profiteantur in iis quæ spectent vel ad civilis societatis auctoritatem debitumque obsequium eidem habendum, vel ad ius proprietatis, vel ad agricolarum et opificum iura et officia, vel ad necessitudines civitatum inter ipsas aut inter opifices et dominos vel ad rationes mutuas inter ecclesiasticam potestatem civilemque vel ad Sanctæ Sedis iura Romanique Pontificis atque ad Episcoporum privilegia vel ad ipsa denique iura Christi Conditoris, Redemptoris ac Domini in homines singulos populosque universos? Iidem vero sermonibus, scriptis, omnique vivendi ratione haud aliter se gerunt ac si doctrinæ præceptaque toties a Summis Pontificibus, a Leone XIII præsertim, Pio X ac Benedicto XV, promulgata, aut nativum robur amisissent aut penitus obsolevisent.

Multi scil. qui doctrinam catholicam mente profitentur, practice aliter agunt.

In quo genus quoddam modernismi moralis, iuridici ac socialis est agnoscendum; quod quidem, una cum modernismo illo dogmatico, impense reprobamus.

In eo, genus quoddam *modernismi* moralis, juridici ac socialis est agnoscendum.

Illæ igitur doctrinæ revocandæ sunt ac præcepta quæ diximus; excitandusque in omnibus idem fidei divinæque ardor caritatis, qui unus possit et illarum plane sensum aperire et horum observantiam urgere. Quod potissimum in christiana iuventute instituenda præstari volumus, in illa maxime quæ feliciter in spem sacri ordinis adolescit; ne ea videlicet in hac tanta rerum conversione atque opinionum omnium perturbatione, fluctuans, ut ait Apostolus, *circumferatur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* (1).

Itaque revocandæ sunt doctrinæ supra expositæ atque præcepta, et præsertim in instituenda juventute et formando clero.

Ex hac vera Apostolicæ Sedis veluti specula et quasi arce circumspectantibus Nobis, venerabiles fratres, nimis adhuc multi occurrunt qui vel Christum penitus ignorantes vel non eius integram germanamque doctrinam, præscriptamve unitatem retinentes, necdum *sunt de hoc ovili*, ad quod tamen divinitus destinantur. Quamobrem qui Pastoris æterni gerit vices, facere non potest quin et iisdem studiis inflammatus, easdem voces usurpet, brevissimas illas quidem sed amoris atque indulgentissimæ pietatis plenas: *Et illas* (oves) *oportet me adducere* (2); itemque memoria repetens, lætitiis omnibus excipiat eiusdem illud Christi vaticinium: *Et vocem meam audient*

III. Adhortatio ad unitatem, ut fiat unum ovile et unus pastor.

(1) *Eph.* IV, 14.
(2) Io. X, 16.

et fiet unum ovile et unus Pastor (1). Atque ita faxit Deus ut, quod Nos vobiscum, venerabiles fratres, vestroque cum cœtu Christifidelium concordibus votis precibusque imploramus, hanc suavissimam divini Cordis certamque vaticinationem quamprimum videamus optatissimo eventu comprobatam.

Unitatis religiosæ auspicium reperiri potest in eo quod nationes cum Sede Apostolica aut veterem amicitiam revocare aut primam pacisci concordiam voluerunt.

Huius autem religiosæ unitatis veluti auspicium quoddam affulsisse visum est cum illud accidit, quod minime vos latet, præclare factum, hoc quidem postremo tempore; omnibus inexpectatum, nonnullis etiam fortasse iniucundum, Nobis certe vobisque iucundissimum; principes plerosque viros ac nationum rectores pæne omnium, uno veluti instinctu pacis permotos, cum hac Apostolica Sede seu veterem revocare amicitiam, seu primum pacisci concordiam quasi certatim voluisse. Quod equidem Nos iure gaudemus, neque id propter amplificatam solum Ecclesiæ auctoritatem, sed ob auctum etiam eiusdem beneficentiæ splendorem, subiectamque omnibus experientiam virtutis sane mirificæ qua hæc una Dei Ecclesia valet ad prosperitatem omnem, civilem etiam ac terrenam, hominum societati comparandam.

Ecclesia directe intenta bonis spiritualibus, nihilominus prosperitati terrenæ favet.

Quamquam enim ea, divino iussa, rectâ spiritualibus nec perituris bonis intendit, tamen, ut omnia sunt apta inter se ac nexa cohærent, prosperitati etiam terrenæ tum singulorum hominum, tum ipsius humanæ societatis sic favet ut plus favere minime posset, si iisdem omnino provehendis instituta esse videretur.

Jura Ecclesiæ ne in prosequendo fine suo prohibeantur.

Quod si terrenis hisce negotiis mereque politicis moderandis, sine ratione, se immiscere nefas putat Ecclesia, eadem tamen iure suo contendit ne quid inde causæ prætendat civilis potestas, sive altioribus illis bonis, quibus salus hominum sempiterna continetur, quoquo modo obsistendi, sive damnum perniciemve iniquis legibus iussisque intentandi, sive divinam Ecclesiæ ipsius constitutionem labefactandi, sive denique sacra Dei iura in civili hominum communitate conculcandi.

Declaratio de his juribus vindicandis.

Eodem igitur prorsus proposito, iisdem etiam verbis usi, quibus desideratissimus, quem sæpius appellavimus, decessor Noster, Benedictus XV, in extrema illa sua Allocutione die XXI Novembris superioris anni habita, quæ de rationibus mutuis Ecclesiam inter et civilem

(1) Ibid.

societatem ordinandis fuit, sancte professus est, et ipsi Nos profitemur ac denuo confirmamus : « in pactiones huiusmodi Nos minime passuros ut quidquam irrepat quod sit ab Ecclesiæ alienum dignitate aut libertate ; quam, quidem salvam esse atque incolumem vehementer interest, hoc maxime tempore, ad ipsam civilis convictus prosperitatem ».

Valde dolendum est Italiam deesse in tot numero nationum quæ cum hac Sede Apostolica vinculis amicitiæ continentur.

Quæ cum ita sint, quo animi dolore in tot nationum numero, quæ cum hac Apostolica Sede amicitiæ vinculis continentur, Italiam deesse videamus, vix opus est dicere ; Italiam inquimus, patriam Nobis carissimam, a Deo ipso, qui rerum omnium temporumque cursum atque ordinem sua providentia gubernat, delectam, in qua Vicarii sui in terris sedem collocaret, ut hæc alma urbs, domicilium quondam imperii, amplissimi sed tamen certis quibusdam circumscripti terminis, iam totius orbis terrarum caput evaderet ; quippe quæ divini Principatus sedes, omnium gentium nationumque fines sua natura transcendentis, populos omnes nationesque complectatur. At vero tum huius Principatus et origo et divina natura, tum universitatis Christifidelium in toto orbe degentium ius sacrosanctum postulat, nulli ut idem sacer Principatus humanæ potestati, nullis legibus (licet hæ Romani Pontificis libertatem quibusdam præsidiis seu cautionibus communire polliceantur) obnoxius esse videatur, at sui penitus iuris ac potestatis et sit et manifesto appareat.

Necessitas libertatis pontificis romani.

Renovatio expostulationum ad jura Sanctæ Sedis defendenda.

Verum illa libertatis præsidia, quibus divina ipsa Providentia, humanarum rerum gubernatrix atque arbitra, non solum sine detrimento, sed magno cum Italiæ emolumento, Romani Pontificis auctoritatem communiverat; præsidia illa quæ tot sæculis divino eiusdem libertatis tutandæ consilio apte responderant, quorum nec divina hodiedum Providentia indicavit neque hominum consilia quidquam simile invenerunt quod eadem præsidia congruenter compensaret ; præsidia illa hostili vi protrita atque etiamnum violata absonam eam Romano Pontifici vitæ condicionem effecerunt quæ omnium Christifidelium per orbem universum animos gravi perpetuaque tristitia perfundat. Nos igitur, decessorum Nostrorum heredes ut consiliorum ita et officiorum, eademque præditi auctoritate, cuius solius est de re tanti momenti decernere, non equidem inani quadam terreni regni cupiditate adducti, qua vel leviter moveri prorsus Nos puderet, verum de

humano exitu Nostro cogitantes, memores severissimæ rationis, quam divino Iudici reddituri sumus, pro Nostri sanctitate officii, quas iidem decessores Nostri ad iura Apostolicæ Sedis dignitatemque defendendam expostulationes fecerunt, easdem Nos hoc loco renovamus.

Nihil unquam Italiæ metuendum ab Apostolica Sede, quæ cogitat cogitationes pacis veræ, conjunctæ cum justitia.

Ceterum nihil erit umquam Italiæ ab hac Apostolica Sede metuendum detrimenti: siquidem Pontifex Romanus, quicumque demum ille fuerit, is profecto semper erit qui illud Prophetæ ex animo usurpet: *Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis* (1), pacis, inquimus, veræ ac propterea minime a iustitia seiunctæ, ut iure possit subdi: *Iustitia et pax osculatæ sunt* (2). Dei autem omnipotentis miserentisque erit efficere ut hæc lætissima dies tandem illucescat, bonorum omnium fecundissima tum regno Christi instaurando tum Italiæ rebus universique orbis componendis: ne vero id frustra fiat, omnes qui recte sentiunt, dent operam dilligenter.

Conclusio. Omnes christifideles pro pacis muneribus obtinendis orent.

Quæ pacis munera suavissima quo citius hominibus tribuantur, omnes Christifideles enixe adhortamur ut una Nobiscum sanctis precibus insistant, per hos præsertim dies Natalis Christi Domini, *Regis Pacifici*, quo mundum ingrediente, angelicæ militiæ primum concinuere: *Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (3).

Et hujus pacis pignus sit omnibus apostolica benedictio.

Huius denique pacis quasi pignus volumus esse, venerabiles fratres, Apostolicam benedictionem Nostram, quæ et singulis e clero populoque fideli et civitatibus ipsis domibusque christianis fausta omnia portendens, tum vivis prosperitatem afferat tum vita functis requietem et beatitatem sempiternam: eamque benedictionem vobis et clero populoque vestro, testem benevolentiæ Nostræ, amantissime impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die XXIII Decembris MDCCCCXXII, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. XI.

---

(1) Ier. XXIX, 11.
(2) *Ps.* LXXXIV, 11.
(3) Luc. II, 14.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis septembris propositas.

—

I

In *Luc*, III, 15 ss : Baptizabit in Spiritu sancto et igni.

Q. *Interpretare* Luc., *III, 15-17.*

R. Venerat Joannes Baptista in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quatenus Judæi ad regnum messianicum, quod in eo erat ut inchoaretur, præpararentur. Allocutus erat Pharisæos et Sadducæos, male dispositos : allocutus erat meliusque dispositos invenerat, turbas, publicanos, milites. — Et ecce (v. 15) *existimante*, προσδοκώντος, exspectante *populo*, nimirum adventum Messiæ, *et cogitantibus* διαλογιζομένων, diversis rationibus deliberantibus *in cordibus suis, de Joanne* Baptista, *ne forte ipse esset* ille *Christus*, ille Messias quem exspectabant. (v. 16) *respondit Joannes, dicens omnibus : Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem fortior me*, ὁ ἰσχυρότερος μου, ille qui potentior est quam ego, *cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus :* qui in immensum me dignitate antecellit (1). — Et jam sequitur illud in quo ille Venturus potentior est Joanne : *ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne*, id est, ut statim demonstrabimus : bonos et bene dispositos erga se, quasi immerget in gratiis Spiritus sancti, malos

(1) Munus erat servorum corrigiam calceamentorum solvere vel sandalia portare (*Mt.*) dominorum suorum. Nequidem hujus ministerii relate ad Christum præstandi se dignum æstimat Joannes.

vero et male erga ipsum dispositos immerget in igne inferni. — Et hoc judicium a Messia exsequendum per figuram describit in sequentibus (v. 18) : exhibetur enim Messias quasi quidam agricola qui messem suam disposuit in area (1), et sive animalibus sive machinis, illam trituravit ; sic jacet frumentum paleis permixtum in area, et jam fiet separatio : adest agricola *cujus ventilabrum* — pala quædam lignea (2) — *in manu ejus* est, *et* stans in loco ventis exposito, projiciet frumentum et paleas in altum, sicque *purgabit aream suam*, i. e. frumentum illud quod in area jacet a paleis emundabit : grana cadent in terram, paleae vento auferentur aliquot saltem passibus ; *et*, hoc facto, *congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni*.. — Eodem modo facturus est Christus : judicium messianicum erit in eo quod separabit bonos a malis, eos qui credunt in ipsum ab illis qui resistunt, et bonos reponet in horreum suum cœleste, malos vero comburet in inferno igni *inexstinguibili* (3).

Paucis redeundum ad interpretationem quam dedimus finis v. 16 : *vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni*. Jam sancti Patres, v. g. s. Hieronymus ancipites erant in his verbis interpretandis. *Una* enim est *interpretatio*, quam inde a s. Joanne Chrysostomo plerique interpretes catholici proponunt : Ego, Joannes, vobis confero baptismum quo unice abluo corpora vestra, utique ad excitandos vos ad pœnitentiam peccatorum ; sed Messias vos baptizabit baptismo suo, qui dabit vobis Spiritus sancti gratiam, et, dum meus baptismus sola corpora abluit, ille quasi ignis quidam purificabit animas vestras. — *Altera* est *interpretatio* quam alii catholici admittunt (4) : Eos qui ipsum

(1) Flandr. : *dorschvloer*.

(2) Flandr. : *eene houten schup*.

(3) Dum loquebatur Joannes in figura de paleis comburendis *igni*, subito transierat a figura ad realitatem, et quia talis esset ignis quo comburerentur mali homines, voc. bulo *igni* addiderat *inexstinguibili*.

(4) Cfr Lepin, *Jésus-Christ, sa vie et son œuvre*, Paris, 1912, pp. 65 s. ; — Dausch, *Die heilige Schrift des N. T.*, *Bonn*, 1918, p. 85.

agnoscent, baptizabit baptismo a se instituendo, qui dabit vobis gratiam Spiritus sancti ; eos vero qui resistent, immerget in ignem inferni. — Hæc altera sententia videtur præferenda, imò putamus explicite non agi de baptismo christiano, sensumque effati Joannis in priori membro parallelum esse sensui alterius membri : Eos qui Jesum agnoscent, baptizabit, i. e. sensu quasi materiali, immerget (1), in gratiam Spiritus sancti....

Revera : *a*/ quod *baptizare in igni* intelligatur de immersione in igne inferni, desumi potest ex contextu immediato, ubi tum in præcedentibus (v. 9), tum in sequentibus (v. 17) de *igne* agitur, et hoc sine ullo dubio tamquam de illo igne quo peccatores puniendi sunt ; — præterea *Mc.* qui illum utrumque textum, præcedentem et sequentem, quem exhibent *Mt.* et *Lc.*, non habet, adeoque ibidem non loquitur de peccatoribus igne puniendis, præcise etiam hìc, in textu parallelo cum *Mt.* et *Lc.*, de solo *Spiritu sancto*, non vero de *igne* loquitur : *Ille baptizabit vos Spiritu sancto;* unde obvium est admittere *Mt.* et *Lc.*, qui in contextu bis loquuntur de igne illo quo peccatores punientur, ideo præcise mentioni *Spiritus sancti* addidisse mentionem *ignis : Vos baptizabit in Spiritu sancto et igni ;* — nota tandem esse satis inobvium in ore Joannis Baptistæ : Vos baptizabit baptismo suo, qui baptismus vobis conferet gratiam Spiritus sancti, quæ gratia quasi ignis emundabit conscientias vestras a peccatis, — et hic sensus eo magis est inobvius quod, ut diximus, in immediate præcedentibus et sequentibus bis de *igne* iræ divinæ loquitur Joannes, et nihil indicat ipsum vocabulo *igni* nunc alium omnino sensum affigere (2).

b/ Quod *baptizare in Spiritu sancto* intelligatur de im-

---

(1) *Hij zal hen dompelen in de genade. — Il les plongera dans la grâce de l'Esprit saint.*

(2) Magis contorta adhuc videtur interpretatio : Vos immerget in gratiam Spiritus sancti, comitantibus *igneis phænomenis*, qualia in die Pentecostes acciderent (*Act. Ap.*, II, 3).

mersione in gratiam divinam, seu de effusione extraordinaria gratiæ divinæ quæ in Novo Testamento contingeret, jam desumi potest ex parallelismo cum altero membro sub *a*) explicato : malos Christus immerget in ignem iræ divinæ, bonos in gratiam divinam ; — et egregie confirmatur ex textu parallelo qui legitur *Act. Ap.*, I, 5, ubi Jesus alloquens suos Apostolos sic dicit : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini* (gr. :) in *Spiritu sancto, non post multos hos dies :* hic prædicit Jesus, pro instanti die Pentecostes, non baptismum christianum Apostolis conferendum, sed abundantem communicationem donorum Spiritus sancti : tam copiose reciperent illa dona ut in eis tamquam in aquis viderentur immersi ; et revera s. Petrus prodigia pentecostalia sic interpretabitur, *Act. Ap.*, II, 16 ss. : *Hoc* quod vos miramini *est* illud *quod dictum est per prophetam Joël : Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem....* (et in seqq. ex Joël citatis describitur quam copiosa esset hæc effusio) (1).

A. Vander Heeren.

II.

De infallibilitate pontificia.

Q. *Accurate indica subjectum, objectum et conditiones infallibilitatis pontificiæ.*

R. Elementa responsionis ad quæstionem propositam, quæ respicit infallibilitatem, non Ecclesiæ qua talis, sed capitis Ecclesiæ seu romani pontificis, reperimus in ipsa

(1) Joannem Baptistam non explicite de *baptismo* a Christo conferendo locutum esse, vel saltem discipulos ejus ipsius verba non sic intellexisse, *confirmari* potest ex *Jo.*, III, 22, ss., ubi discipuli Baptistæ mirantes et satis ægre ferentes accedunt ad Baptistam eique nuntiant tamquam aliquid omnino inexspectatum Jesum quoque baptismum conferre. Unde videntur non audiisse Joannem quasi hanc baptismi collationem prædixisset, sed intellexerint illo sensu obvio metaphorico quem diximus.

doctrina concilii vaticani : « Docemus et divinitus revelatum esse dogma definimus : romanum pontificem, cum ex cathedra loquitur,.... cum .. doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit » (1).

Itaque : 1/ *subjectum* est ipse et quilibet romanus pontifex.

2/ *Objectum* est doctrina de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenenda.

3/ *Conditiones* his verbis enuntiantur : cum ex cathedra loquitur.

Antequam singula elementa explanando evolvamus, advertere juvat in responsione agi de infallibilitate, seu melius, uti patres vaticani caput quartum, in quo textus citatus occurrit, inscribere voluerunt, *de infallibili magisterio* romani pontificis (2). Ne confundantur igitur impeccabilitas et infallibilitas ; hæc enim dicit *immunitatem ab errore in docendo, non in agendo*, quamquam utique cum actibus regiminis connecti potest (3).

In decreto definitionis assignatur quoque *causa efficiens* hujus inerrantiæ, *divina* scilicet *assistentia*, quæ *non importat inspirationem*, qualem habuerunt hagiographi, quæque *differt etiam a revelatione* : « Neque enim Petri successoribus Spiritus sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent » (4). Hæc assis-

(1) *Conc. vatic.*, sess. IV, *Const. dogm. de Ecclesia Christi*, cap. 4 (*Enchir. Symbol.*, n. 1839).

(2) Hoc constat ex emendationibus propositis in congregationibus generalibus et ex relatione episcopi brixinensis de his emendationibus, quæ documenta prostant apud *Acta et decreta sacr. concil. recentiorum*, *Collectio lacencis*, VII, c. 372 s. et c. 406, Frib. Br., 1890.

(3) Vide responsionem nostram sequentem.

(4) *Conc. vatic.*, *l. c.* (*Enchir.*, n. 1836).

tentia *non confert omniscientiam*, sed contra *supponit* romanum pontificem *non negligere media inquisitionis et deliberationis*, uti concilium signanter proponit: « Romani pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis conciliis, aut explorata Ecclesiæ per orbem dispersæ sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quæ divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quæ sacris scripturis et apostolicis traditionibus consentanea, Deo adjutore, cognoverant » (1).

Attamen, quando romanus pontifex aliquam doctrinam definit, ipsa immunitas ab errore non dependet ab industria humana quacum doctrinam propositam investigavit, sed unice pendet a divina assistentia, quo auxilio suffultus jam in doctrina definienda errare omnino non potest.

Missa penitiore explicatione hujus assistentiæ divinæ, quæ efficienter causat infallibilitatem, jam ad determinandum subjectum, objectum et conditiones infallibilitatis pontificiæ accedimus.

1/ *Subjectum* est ipse et quilibet romanus pontifex (2), itaque infallibilitas jure dicitur *personalis*, quod tamen vocabulum in doctrina definita non fuit admissum, quoniam explicatione indiget.

Et revera, uti advertit episcopus brixinensis, in relatione sua de emendationibus super caput quartum, infallibilitas dici potest *personalis*, *primo* ut excludatur distinctio inter romanam ecclesiam et romanum pontificem, inter sedem et sedentem, qualem distinctionem gallicani defenderunt, qui singulos pontifices errare posse docebant, quamvis, aiebant, Deus caveret ne error in sede aut ecclesia romana inolesceret. « Rejecta ergo

---

(1) *Ibidem*; cfr etiam *Collat. Brugen.*, VI, p. 581.

(2) Proposita fuit emendatio sequens, sub n. 29 : post verba « romanum pontificem » addatur « et pro tempore existentem », sed hoc superfluum visum est ; cfr *Collect. lacens.*, VII, 376 et 410.

distinctione inter ecclesiam romanam et romanum pontificem, inter sedem et sedentem, id est, inter seriem universam et inter singulos romanos pontifices in hac serie sibi succedentes, defendimus *personalem* romani pontificis *infallibilitatem eatenus, quatenus* hæc prærogativa *omnibus et singulis legitimis Petri* in cathedra ejus *successoribus* ex Christi promissione competit ».

Attamen *secundo* « infallibilitas personalis Papæ *in se ipsa debet accuratius definiri*, quod nempe non competit romano pontifici quatenus est persona privata, neque etiam quatenus est doctor privatus, .. sed *quatenus est* persona romani pontificis, seu *persona publica*, id est, caput Ecclesiæ in sua relatione ad Ecclesiam universalem » (1).

Quandoquidem romanus pontifex est infallibilis quatenus est caput Ecclesiæ et vicarius Christi, quatenus in ipso primatus Petri perseverat, sequitur hanc prærogativam esse omnino incommunicabilem. Infallibilitas itaque delegari nequit, ut puta ss. congregationibus, quibuscum tamen pontifex partem auctoritatis suæ doctrinalis communicare potest (2).

2/ *Objectum* infallibilitatis pontificiæ idem est ac objectum infallibilitatis ipsius Ecclesiæ, uti signatim dicitur in textu concilii, quem in limine hujus responsionis adduximus.

---

(1) *Collect. lacens.*, VII, 399.

(2) Nota tamen fieri posse ut romanus pontifex *aliquod decretum* congregationis, per approbationem *in forma specifica suum faciat* et ita quidem ut tanquam *actus papalis* et *irreformabilis* haberi debeat. In hoc casu, uti notat FRANZELIN, *De divina Traditione et Scriptura*, p. 117, Romæ, 1870 : « congregatio solummodo se habet per modum consulentis et ministerialiter promulgantis ; definiens autem est solus pontifex ». Attamen, addit, p. 116, romanus pontifex suam auctoritatem universalis providentiæ, qua potius prospicit securitati doctrinæ, cum congregationibus communicare potest et hac ratione ipsæ habent auctoritatem utique communicatam, sed propriam ; quod decernunt autem, vi hujus auctoritatis, ex sese semper reformabile remanet.

Exinde, uti pariter notatur in relatione supra laudata (1), « universim quidem facile patet, objectum infallibilitatis *esse doctrinam de fide et moribus*. At non omnes veritates, quæ ad doctrinam de fide et moribus christianis pertinent, sunt unius modi ». Aliæ sunt veritates in se, et quidem explicite aut implicite, revelatæ (*objectum primarium*); aliæ sunt veritates connexæ cum revelatione, « quæ licet in se revelatæ non sint, requiruntur tamen ad ipsum depositum revelationis integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum » (*objectum secundarium*).

Ex distinctione objectum primarium inter et secundarium (2), intelligitur cur patres vaticani vocem « doctrinam *tenendam* » præ voce « *credendam* » in ipsa formula definitionis ponendam voluerint, ne videlicet objectum infallibilitatis ad solas veritates revelatas restrinxisse viderentur (3).

3. *Conditiones* infallibilitatis pontificiæ his terminis exprimuntur : *cum ex cathedra loquitur* et in ipso tenore decreti hæc additur explicatio : « id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam... ab universa Ecclesia tenendam definit » (4).

Hæc verba in relatione sæpius citata hoc modo evolvuntur : « quando summus pontifex loquitur *ex cathe-*

---

(1) *Collect. lacens.*, VII, 414 s.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, VI, p. 582.

(3) Quoad *gradum certitudinis* nota esse *dogma fidei* Ecclesiam et etiam romanum pontificem esse infallibilem in definiendis veritatibus in se revelatis ; theologi communiter habent saltem *theologice certum* esse Ecclesiam et Papam eadem pollere infallibilitate in definiendis rebus cum revelatione connexis ; quidam auctores extensionem infallibilitatis in genere ad res cum revelatione connexas dicunt non solummodo theologice certam, quatenus deductam ex revelatione, sed et in se revelatam ; cfr Franzelin, *o. c.*, p. 112. — Ex actis concilii vaticani liquet ipsum concilium hanc controversiam dirimere noluisse ; vide *Collect. lacens.*, VII, 415 s.

(4) *Concil. vatic.*, *l. c.* (*Enchir.*, n. 1839).

dra, primo non tanquam doctor privatus, neque solum tanquam episcopus ac ordinarius alicujus diœcesis vel provinciæ aliquid decernit, sed docet supremi omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens. Secundo non sufficit quivis modus proponendi doctrinam, etiam dum pontifex fungitur munere supremi pastoris et doctoris, sed requiritur intentio manifestata definiendi doctrinam, seu fluctuationi finem imponendi circa doctrinam quamdam seu rem definiendam, dando definitivam sententiam, et doctrinam illam proponendo tenendam ab Ecclesia universali » (1).

Oportet igitur *primo* ut pontifex *agat formaliter qua supremus doctor ac pastor*, ita ut illud quod decernit universam Ecclesiam respiciat (2) ; *secundo* ut *plene* adhibeat suam auctoritatem doctrinalem, per sententiam scil. peremptoriam et irreformabilem (3) ; oportet adhuc ut *intentio* definiendi rem sit *manifestata*, quoniam nemo

---

(1) *Collect. lacens.*, VII, 414. — Consensus Ecclesiæ non reddit itaque sententiam definitivam, et definitiones romani pontificis « ex sese, non ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse » adhuc explicite in fine capitis quarti statuit concilium ; cfr *Enchir.*, n. 1839.

(2) Non oportet tamen ut documentum, quod definitionem continet, *immediate* ad universalem Ecclesiam *dirigatur* ; licet toti Ecclesiæ destinatum, potest proxime dirigi ad episcopos illius regionis, in qua damnatus error grassatur ; exempla tradit MAZELLA, *De Religione et Ecclesia*, n. 1052, p. 821, Romæ, 1885³ : « Profecto Innocentius in causa pelagiana ad solos Africanos misit decretum suum et tamen s. Augustinus clamabat causam finitam esse ; s. Leo epistolam dabat ad Flavianum et tamen eam habebat, etiam antequam ab aliis cognosceretur, tanquam normam, qua fidei controversia Constantinopoli finiretur ; Hormisdas direxit professionem fidei ad solos Orientales, etc. ».

(3) Non sufficit ut doctrina magnopere extollatur, omnibus commendetur aut etiam in scholis docenda imponatur ; quin immo, quæ in documentis, quibus certissime propositum est edere definitiones, sunt obiter aut incidenter dicta, quæ indirecte enuntiantur, plerumque etiam quæ ad probationem in argumentis proponuntur, hæc omnia, quamquam gravissimam habent auctoritatem, non sunt tamen definitiones infallibiles ; cfr FRANZELIN, *o. c.*, p. 109.

teneri potest, priusquam rem tenendam esse certo cognoscat (1).

Dicitur tandem : cum ex cathedra *loquitur*, et revera hæc infallibilitas non est concipienda per modum habitus inhærentis menti pontificis, sed « assistentia (pontifici) promissa, qua fit, ut errare non possit, (ipse) solummodo tunc gaudet, quum munere supremi judicis..... et universalis Ecclesiæ doctoris *reipsa et actu* fungitur,.... quando solemni judicio pro universa Ecclesia res fidei et morum definit » (2).

H. Lamiroy.

III-IV.

De Jure occupationis V.

Q. *An etiam occasione magni belli, jure occupationis a concivibus vel militibus nostris usurpari potuerunt bona civium nostrorum:* a *ab ipsis aufugientibus domi relicta:* b) *vel a Germanis hinc inde asportata et deinde derelicta.*

R. Non est cur in ostendendo momento practico puncti quod nunc attingimus immoremur : cum illud omnibus perspicuum sit, nec desint quæstiones conscientiæ hac de re adhuc nunc pendentes, quarum proinde solutionem pro modulo nostro adumbrare juvabit.

Et quidem principium hic præ oculis habendum idem est quod jam in decursu ultimorum responsorum obvium habuimus : nempe de jure naturæ non licere occupationem nisi rei nullius, aut vacantis, aut derelictæ, vel saltem quæ derelictis legitime assimilari queat.

---

(1) Quoniam hæc intentio non satis manifestata ipsis videtur et claris indiciis non satis cognoscibilis, quidam theologi dubitant et alii negant syllabum a Pio IX editum constituere documentum ex cathedra pronuntiatum ; cfr De Groot, *Summa Apologetica de Ecclesia Christi*, p. 634 s., Ratisbonæ, 1906[3].

(2) Ita episc. brixinensis in relatione de emendationibus sæpius laudata, apud *Collect. lacens.*, VII, 399.

Jamvero extra dubium est illos concives nostros qui propter nefandum bellum lares suos deserere, domique res suas et pecunias quandoque infossas vel et fructus terræ suæ relinquere coacti sunt, nullatenus tunc temporis intentionem habuisse bonis suis valedicendi (1). Quare etiam bona ista non quidem ut derelicta sensu theologico, sed potius ut amissa habenda erant.

Verum, ut jam in præcedentibus monuimus, plures dantur casus in quibus ipsæ res amissæ, sive statim sive post aliquod tempus, rebus derelictis revera assimilantur, ita ut jure naturæ inventor seu detentor fiat illarum dominus.

Exemplum hujusmodi communiter proponitur res amissa cujus prior dominus jam statim proprietatem amittit, ideo quod ipsi nunquam possibile erit eam deinceps recognoscere, propter omnimodam nempe similitudinem ejus cum rebus ejusdem speciei : quod tamen exemplum non valet nisi simul desit quævis alia circumstantia qua res aliunde noscitari queat. Sed et alia non desunt specimina quæ hoc doctrinæ punctum elucidant : sic ubi res perdita tam parvi valoris est ut hanc merito censeatur dominus negligere ; aut si illam recuperandam de facto non curat postea, dum facillime posset ; vel tandem ubi post elapsum notabile tempus et factas ab inventore debitas inquisitiones, dominus non comparet, ita ut ex cursu rerum ordinario jam nullatenus verisimile sit ipsum adhuc inveniri posse. Quæ ultima causa legitime extendi posse videtur ad casus in quibus ratione belli vel alterius veri obstaculi investigationes statim fieri non potuerint, dum postea impossibilitas aut inutilitas ulteriorum scrutationum moraliter certo apparet :

---

(1) Notemus tamen quosdam ex illis incuria forsan in hoc peccavisse, ut ait : *L'Ami du Clergé*, 1922, p. 659, loquendo « des fuyards de la première heure » : « Combien de propriétaires auraient pu facilement mettre en sûreté certaines choses, ... et ne l'ont pas fait; et combien, en fuyant, ont fait le sacrifice de bien des choses qu'ils laissaient derrière eux, avec la pensée de ne les retrouver jamais ! »

quia v. g. propter solum jam temporis lapsum vel propter alias forte circumstantias constat eas fore steriles, vel nimis difficiles absolute loquendo, aut saltem relate ad valorem rei.

In his nempe casibus, cum revera domino spes perierit rem suam recuperandi, perit etiam jure naturæ dominium ejus ; adeoque vel ipse jam, suæ conscius impotentiæ, priori juri suo valedixit, vel saltem ipsi renuntiasse legitime censeri potest, ita ut irrationabiliter invitus foret quominus inventor rem ut suam deinceps possideat (1).

Tandem, ad nostram quæstionem quod attinet, accedit hic circumstantia magni momenti, eo quod Status noster onus compensandi pleraque damna a bello causata in se susceperit : inde enim multo facilius priores domini, pro sua indemnitate jam securi, rebus suis amissis valedixerunt, sicque eas ad statum rerum vere derelictarum, si nondum erant, reduxerunt.

Quæ cum ita sint, ad quæsita sequenti modo respondendum videtur :

1/ Concives sive milites nostri, qui e domibus quarum incolas *cognoscebant* (vel postea tempestive cognoverunt) res mobiles, pecunias, imo integras quandoque segetes sumpserunt et sibi servaverunt sive pretio vendiderunt, nullatenus jure occupationis tunc fecerunt : quia tunc objecta non erant vere derelicta sed potius amissa, et dominus non erat ignotus. Ideo *per se* res ablatas in se vel in æquivalenti restituere tenentur, demptis tantum sumptibus quos in eas forsan impenderint (2) ; et excepto etiam, ut patet, casu extremæ aut quasi extremæ necessitatis, in quo licet necessaria sumere. Nec profecto

---

(1) Manere tamen potest priori domino, secundum legem civilem justam, aliqua actio contra inventorem qui inde ad restitutionem obligetur, sive ante sive post sententiam judicis. Cf. *Coll. Brugen.*, t. XIX, p. 179 s.

(2) Nimirum si res venditæ fuerint, emptor tunc de restitutione rerum tenetur secundum generalia principia juris naturæ et leges civiles ; sed re reddita, ipsi restituendum est pretium quod olim solvit. Quodsi rem non reddat, primi ad æquivalens tenentur relate ad priorem dominum.

refert, quidquid objiciant detentores hujusmodi, res illas secus fuisse certo certius perituras vel a Germanis auferendas : *de facto enim non perierunt.* Utique aliud est si non agatur de rebus sibi servatis aut venditis sed *consumptis*, dum scilicet arripiens frumentum aut panes aliasve res comestibiles vicini sui profugi comederit, quæ secus a Germanis *certo consumendæ* erant aut propter bellum *destruendæ* ; prout etiam haud raro fecerunt nostri milites consumendo quæ relicta inveniebant « au front ». Tunc enim nihil est restituendum : quia res certo et imminenti periculo exposita moraliter amittit suum valorem, quamdiu saltem ita manet (1). Sed postquam e periculo evaserit, clamat domino : et hic habetur adhuc dominus.

Per accidens tamen liceret, ad normam dictorum initio responsi, certas res hoc modo servatas aut venditas pro derelictis habere, si omnino verisimiliter conjici posset priorem dominum ipsis valedixisse, sive propter parvitatem materiæ, sive maxime propter indemnitatem postea a Statu promissam.

2/ Ulterius, quod attinet ad res hujusmodi « occupatas » quarum dominus penitus *ignorabatur :* per se faciendæ erant debitæ inquisitiones sive statim sive postea. Verum, per accidens rursus et sane frequenter sufficiens adfuit excusatio ob unam aliamve causam e supradictis, præsertim vero quia omnino rationabiliter et verisimiliter, saltem in multis casibus, propter jus ad compensationem damnorum potuerit censeri dominus ipsis valedixisse (2).

---

(1) « Ceci excuse et exempte pleinement de restitution les gens qui, à l'approche de l'ennemi, se sont approprié pour leur propre consommation tout ce qu'ils ont trouvé dans les caves, celliers, greniers et jardins des fuyards, en fait de liquides et de comestibles qui sans cela seraient infailliblement devenus la proie des Boches..... Alors, res perit domino, et l'on avait raison de dire : A nous d'abord, aux Boches s'il en reste ». Cf. *L'Ami du Clergé*, 1922, p. 659.

(2) « Un très grand nombre de ces objets, évidemment, ont eu beau *clamare domino*, celui-ci ne les a pas entendus et n'a pu les entendre. Ils sont, de plus ou moins bonne heure, devenus *res derelictæ;* car

Sane non universaliter valuit hæc ratio, nec de omnibus hujusmodi rebus pronuntiari potuit illas inde factas esse primi occupantis : nam, præterquam quod plures dantur ad quos jus indemnitatis se non extendit, vel non integraliter, non defuerunt insuper aliæ res bene multæ quibus dicta præsumptio non applicabatur, quia domini potius ipsis inhærere censendi erant : ut sunt v. g. pecuniæ, res pretiosæ et pecora generatim. Quæ proinde bona, in quantum quolibet indicio recognosci quiverint, nec a priori certa fuerit inutilitas aut impossibilitas inquirendi etiam postea, minime potuerunt occupari animo domini nisi post debitas investigationes reapse peractas, simul cum sufficienti temporis lapsu.

3 Eadem nunc principia pariter applicanda sunt his rebus concivium nostrorum quas hostiles exercitus durante bello hinc illinc e domibus asportaverunt, et denique in recessu suo ubique dereliquerunt. Nam sane inimicorum actiones et exactiones hujusmodi dominium istarum rerum ad ipsos non transferebant, quippe quæ exactiones contra omne jus et fas, naturale simul et internationale, plerumque contingebant. Dices quidem aliquas saltem res privatorum, concorditer cum jure internationali, per regularem « requisitionem » exactas fuisse, concessa simul debita tessera (bon). Verum, etiam tunc dicendum videtur earum dominium inde priori domino nondum periisse, quoties nempe coacte tantum, et non libenter ipse acquieverit. Quidquid enim de hoc edixerit jus internationale, manet sane hæc injusti hostis coactio de jure naturæ injusta.

Proinde regulæ supra traditæ manent applicandæ, solo exceptu casu venditionis in manus hostium libenter peractæ : quia tunc res acquisita ad ipsos legitime perti-

---

devant l'impossibilité, pour lui constatée, de jamais les retrouver, il n'a pu conserver sur eux *animum domini* : il y a renoncé. D'ailleurs, les indemnités de *réparations* sont'là pour compenser leurs pertes aux propriétaires, et rassurer la conscience des actuels détenteurs. » *L'Ami du Clergé*, 1922, p. 156.

nebat, et ideo semel ab ipsis derelicta, fiebat primi occupantis, reservato tamen Statui nostro facultate recuperationis. Sed cum hujusmodi casus fuerint exceptionales, non utique ab « occupante » concive supponi poterant ; nec ipsi practice usuvenire, nisi rei certior evasisset.

4/ *Lex* tandem, ut jam novimus, quascumque res derelictas ad hostes vere pertinentes, iis non exceptis quas per regulares « requisitiones » Germani acceperant, ut spolia belli considerat in commodum Status ; de quo puncto supra disputavimus.

Similiter autem habet de rebus privatorum conciviun per bellum amissis, quae nempe post debitum tempus priorem dominum suum non invenerint ; nam pro his jus concessit ad compensationem damnorum. De qua quidem dispositione idem dicendum videtur in conscientia ac de spoliis belli : nam ea quae ut derelicta legitime haberi potuerint, facta sunt jure naturæ primi occupantis, saltem provisorie (1).

Insuper lex specialis, durante bello jam lata (Arrêté-Loi du 31 Mai 1917), *tres annos* constituit incipiendas inde a conclusione pacis (29 Junii 1919), per quos prioribus dominis liceret res suas a quocumque repetere, nequidem soluto earum pretio, sed recursu tantummodo manente in favorem actualis detentoris contra illum a quo forsan rem emerat. Quod spatium temporis cum jam nunc sit præteritum, ex codice civili priori domino adhuc remanet generalis actio tricennalis contra primum inventorem seu captorem.

Quoad *inquisitiones* vero a detentoribus faciendas, latæ sunt etiam peculiares dispositiones : in specie de pecoribus statutum fuit (Arrêté Royal du 22 Mars 1919) detentores ea sarta tecta apud se servare debere quoadusque

(1) « Doch zelfs indien iemand.... zich van restitutie ontslagen acht, is het ten minste *aanbevelenswaardig* het door den oorlog aangeworven goed aan den Staat te bestellen, *naarmate* alzoo dezes taak feitelijk zal vergemakkelijkt zijn van schadevergoedingen te verleenen aan de eigenaars ». SALSMANS, *Ons Gelcof*, 1920, bl. 472.

venirent legati officiales ad recuperationem missi; interim tamen declarationem burgimagistro faciendam esse, si pecora signum quoddam præ se ferrent quo recognosci possent, aut si quædam ex illis jam necatæ fuissent.

Hæc utique præscriptiones, in quantum jus naturæ de facienda inquisitione simpliciter referebant, conscientiam immediate obligabant: ita præceptum monendi burgimagistros, vel declarandi res illas quæ minime ut derelictæ haberi poterant, erat medium aptum et facile inquirendi dominos, et proinde ex justitia adhibendum, nisi quis aliud medium vere æquivalens aut adhuc melius invenire potuerit. Verum, relate ad res quæ jure naturæ ut derelictæ considerari poterant, videntur dictæ præscriptiones solummodo pœnales fuisse (1).

5 Coronidis instar, ut *de restitutione* verbulum faciamus, ex disputatis apparet eam in pluribus casibus non obligare: quoties nempe res sive statim sive post debitas investigationes, sive forsan propter impossibilitatem aut certam inutilitatem inquisitionum sive propter aliam legitimam causam assimilanda fuerit rebus derelictis. Nec imo si quis detentor mala fide res hujusmodi celaverit quas de jure naturæ licebat animo domini occupare, ideo ad restitutionem tenetur: quippe qui rem alterius de facto non retinuerit; jam enim erat nullius. Illum tamen subjective injustitia peccasse patet.

In reliquis casibus, in quibus nempe debitas et tempestivas oportebat facere inquisitiones quæ tamen non factæ sunt vel non sufficienter, requiritur ut adhuc nunc fiant, si tamen aliqua remaneat spes rationabilis dominum detegendi, nec majora sufficienter obstent (v. g. periculum probabile gravis pœnæ a judice imponendæ).

---

(1) « De verordeningen krachtens welke dergelijke goederen moesten ingeleverd worden, mochten wel op zich zelf als louter pœnaal gelden; maar de verklaring, dat men b. v. een stuk vee met dit of dat kenteeken had, kon soms op het spoor van den eigenaar brengen en was dus in dit opzicht verplichtend ». SALSMANS, *Ons Geloof*, 1920, bl. 472.

Secus, vel si frustra investigatio fiat, restitutio pauperibus vel causis piis (1) est objective obligatoria, casu quo mala fide priores investigationes neglectæ fuerint; non vero si bona fide hæc omissæ fuerint (2).

Sed tamen ne imprudenter turbet confessarius, absque probabili spe successus, illam bonam fidem quam impræsentiarum sat facile possent habere pœnitentes circa totam hanc materiam.

E. Hosten.

V.

De interpretatione authentica legis ecclesiasticæ.

Q. *Quid est interpretatio authentica legis ecclesiasticæ et quænam est ejus vis?*

R. I Novo. Interpretatio *authentica* est illa interpretatio, seu clarior determinatio mentis legislatoris, quæ obligatorio modo ab auctoritate publica proponitur (3). Quæ ut clariora fiant nota:

1, Leges nonnunquam interpretatione indigent; ut enim recte animadvertit Bouquillon (4), propter humani ingenii imbecillitatem, eloquii humani defectum et factorum variationem, nulla ordinatio ita perfecte exprimi potest ut excludatur quævis dubitatio rationabilis de ejus sensu et applicatione.

---

(1) Probabiliter videtur hæc restitutio in casu etiam Statui posse fieri, quo nempe melius valeat onus præstare indemnitatum solvendarum; imo ipsi debere fieri, si ipse moraliter certo vel probabiliter pro illis rebus (pecoribus v. g.) pro quibus nunc restitutio imponenda est, prioribus dominis pecuniam solvit aut solvet.

(2) In casu tamen prioris bonæ fidei, maneret adhuc obligatoria restitutio, casu quo nunc mala fide omitterentur investigationes quæ spem fructus apparent habere.

(3) Cfr Bouquillon, *Theol. Mor. fundamentalis* (ed. 3). n. 124 ss., Vanden Berghe, *De Legibus* p. 106 ss., Wernz, *Jus Decretalium*, 1905, 4. 1, p. 145, et præsertim recentiores. De Meester, *Juris canonici... compendium*, 1921, p. 176 ss. Marotto, *Institutiones Juris Canonici*, t. I, 1. 234 ss. Vermeersch-Creusen, *Epitome Juris Canonici* 1921, n. 59 ss.

(4) *O. c.* n. 124.

2/ Multum vero interest determinare undenam interpretatio procedat. Jamvero legis *interpres naturalis* est legislator : potest enim ipse congruam explicationem cum auctoritate proponere, et, ubi necesse fuerit, etiam corrigere primitivum legis defectum; præterea, si agatur de ordinatione propria, melius quam alii novit ejus sensum, et, si agatur de lege prædecessorum, ordinarie magis quam alii aptus est ad eorum mentem traditione cognoscendam. Hinc pronuntiat Innocentius III « unde jus prodiit inde interpretationem procedere »... Talis interpretatio vocatur *authentica*, quia datur ab eo qui potestatem seu auctoritatem habet : is enim græco vocabulo αὐθεντής dicitur (1).

3/ Ut autem stricto sensu *authentica* dici valeat interpretatio, necesse est ut ab auctoritate publica qua tali procedat, et ita proponatur *obligatorio modo*. Nam si superior legem declararet uti doctor privatus, minime utens sua potestate sed soli scientiæ seu doctrinæ innitens, ejus interpretatio esset mere doctrinalis et directiva atque morali tantum polleret auctoritate (2).

4/ Nomine *auctoritatis publicæ* intelligimus non solum legis interpretandæ auctor sed et ipsius in eodem ordine successor vel superior, imo etiam « is cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa » Can. 17, § 1.

Quare imprimis *Romanus Pontifex* ex prærogativa infallibilitatis sibi divinitus concessæ et pro plenitudine suæ jurisdictionis non solum juris canonici sive humani, sed etiam divini in Ecclesia est authenticus interpres.

Congregationes quoque Cardinalium amplis facultatibus a Sede Apostolica instructæ sunt leges ecclesiasticas interpretandi et exsequendi, juxta uniuscujusque competentiam; notatim promulgato novo Codice juris canonici, Benedictus XV Consilium seu *Commissionem* instituit « cui uni jus erit *Codicis* canones authentice interpretandi,

---

(1) *Ibid.* n. 125.
(2) Vanden Berghe, *o. c.* p. 107.

audita tamen, in rebus majoris momenti, Sacra ea Congregatione cujus propria res sit quæ consilio disceptanda proponitur » (1).

Etiam *consuetudini*, debitis stipatæ conditionibus, auctoritas illa publica agnoscenda est in legibus interpretandis, siquidem consensu legislatoris nititur. Quum autem hic non tantum legislator sed etiam subditi in explicanda lege conveniant, jure merito dicitur, can. 29, « Consuetudo optima legum interpres ».

Quod leges particulares attinet, has interpretari ipsius *Episcopi* seu ordinarii est ; Patriarchæ vero vel Primates vel Metropolitæ jurisdictione ad interpretandas leges Episcoporum suarum provinciarum *per se* non gaudent, non sunt enim Episcopis superiores quoad potestatem legislativam (2).

II. Vis et efficacia. Ex dictis colligitur authenticam interpretationem esse *de se obligatoriam ;* proponitur seu potius præcipitur ita ut ejus acceptatio sit *necessaria*. In hoc præsertim differt ab interpretatione sive doctrinali, sive mere usuali, cui inest vis *directiva* tantum.

Attamen omnis interpretatio authentica, quamvis semper aliquo sensu necessaria sit, non eamdem habet efficaciam ; distinguendum est inter authenticam *generalem* et authenticam *particularem :*

1 *Generalis* interpretatio authentica, illa nempe quæ omnibus subditis per modum legis scriptæ vel vero jure consuetudinario præscribitur « eamdem vim habet ac

---

(1) Marotto, *o. c.* n. 237. Sacris Tribunalibus Romanis ut cœteroquin omnibus judicibus ecclesiasticis rite constitutis competit etiam facultas leges ecclesiasticas interpretandi authentice sed in casibus particularibus tantum, ita nempe ut jus faciant inter partes.

(2) Wernz, *o. c.* p. 147, De Meester, *o. c.* p. 177. Notandum est legislatorem, successorem et superiorem facere posse interpretationem non tantum declarativam, sed etiam extensivam et restrictivam, non ita vero per se delegatum; ita commissio intepretando codici instituta non nisi interpretationes declarativas facere potest, similiter Sacra Trib. Romana aliaque tribunalia ecclesiastica quæ secundum jus judicare debent. (Marotto, *o. c.* n. 239).

ipsa lex » (Can. 17. § 2.), ideoque per se totam communitatem ligat.

2/ *Particularis* vero, illa nimirum quæ « datur per modum sententiæ judicialis aut rescripti in re particulari, vim legis non habet et ligat tantum personas et afficit res pro quibus data est » Can. 17. § 3. Constat igitur vim universalem per se non inesse in rescriptis S. Congregationum quibus dubia oratoris particularis solvunt (1).

R. Deschepper.

VI.

De parochorum stabilitate.

Q. *Interpretare canonem 454, § 1 et § 2.*

R: 1° « Qui parœciæ administrandæ præficiuntur qua proprii ejusdem rectores, *stabiles* in ea esse debent » (can. 454, § 1). Hanc stabilitatem postulat *efficacia muneris pastoralis*, nam « ut rectores quæ parœciæ utilia aut necessaria esse judicarent alacriore animo possent suscipere soluti metu ne ab Ordinario amoverentur pro lubitu, præscriptum generatim fuit, ut stabiles in suo officio permanerent » (2). Hanc stabilitatem postulat præterea *ipsa natura* officii ecclesiastici *stricte dicti*, quo pollent rectores parœciarum, cui nempe essentialis est stabilitas *objectiva*, propria autem et normalis stabilitas *subjectiva* (3). Attamen, cum stabilitas officii parœcialis in

---

(1) Omnibus tamen fidelibus quorum interest, regulam securam dant agendi ; et non raro fit ut interpretatio, particulari diœcesi data, ita ab auctoribus recipiatur ut usualis fiat et mox obliget tanquam consuetudo per coniventiam. Vermeersch-Creusen, *o. c.* n. 60.

(2) Decret. S. C. Consist. *Maxima cura*, 20 aug. 1910, ap. *Act. Apost. Sed.*, t. II, p. 636 ss.; *Collat. Brugen.*, t. XV, p. 583 ss. Cf. etiam Trid. Sess. XIV, c. 13, de ref.

(3) Cf. De Meester, *Compendium jur. can.*, t. I, n. 394. Stabilitas subjectiva seu inamovibilitas ad essentiam officii vel beneficii parœcialis non pertinet, cf. declaratio S. C. Consist., 1 aug. 1919, ad II, ap. *Act. Apost. Sed.*, t. XI, p. 346.

salutem sit inducta fidelium, idcirco sapienti consilio cautum est ne eadem sic urgeatur ut in perniciem eorum cedat (1). Ideo omnes parochi, licet stabiles et inamovibiles, a sua parœcia removeri possunt ad normas juris, h. e., propter causas a jure expressas et servato modo procedendi præscripto (can. 451, § 1).

2° « At non omnes parochi eandem obtinent stabilitatem ; qui majore gaudent, inamovibiles ; qui minore, amovibiles appellari solent » (can. 454, § 2).

Major stabilitas seu inamovibilitas id efficit ut parochi hac pollentes non possint ab officio et beneficio pœnaliter *privari*, nisi mediante procedura judiciali, nec a parœcia *removeri* nisi ob causam quæ ipsorum ministerium noxium aut saltem inefficax reddit et per longiorem procedendi modum, nec demum inviti ad aliam parœciam *transferri*, nisi obtentis ab eorum Ordinariis specialibus facultatibus apostolicis. *Minor stabilitas* seu amovibilitas faciliorem et expeditiorem reddit parochorum *remotionem* sive in pœnam delicti sive etiam citra gravem culpam, ob causam unde eorum ministerium inutile imo et noxium populi saluti evadit, simulque id operatur ut parochus amovibilis etiam invitus ab Ordinario *transferri* possit, ob bonum animarum, propter causam necessitatis vel utilitatis sese habentem ex parte parœciæ *a qua* aut parœciæ *ad quam* translatio fit (2).

3° In Belgio soli rectores parœciarum primæ et secundæ classis, præfecti parœciis erectis ex *articulo organico* 66 in qualibet justitia pacis, sunt perpetui seu inamovibiles ; omnes succursalistæ sunt veri parochi at amovibiles (3). De jure communi possunt Episcopi, cum consensu capituli cathedralis, amovibiles parœcias inamovibiles declarare (can. 454, § 3). At, in Belgio, etiam post publicatum

(1) Decret. cit. *Maxima cura*.

(2) Cf. Cod jur. can. lib. IV, tit. 27, 28, 29,

(3) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 8, n. 492 ss. ; S. C. Consist. decret. 20 jun. 1915, ap. *Act. Apost. Sed.*, t. VII, p. 381.

juris canonici codicem, quia, attentis præsentium rerum adjunctis, sufficiens legum civilium fieri non potest immutatio. disciplinæ post Concordatum a. 1801 ex indulgentia pontificia inductæ, nullam videtur faciendam esse immutationem donec aliter a S. Sede statutum fuerit (1).

A. De Meester.

(1) Cf. rescriptum S. C. Conc. ad Episc. Leodien., 1 maii 1845, ap. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n. 495.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis novembris propositas.

—

I.

In narrationem de Baptismo Jesu.

Q. *Narrationem de baptismo Jesu quæ occurrit* Matth., *III, 13-17, compone cum testimonio Joannis Baptistæ quod refertur* Jo., *I, 29-34.*

R. Conferenti duplicem narrationem quæ hinc apud Synopticos, signanter apud Matthæum, hinc apud Joannem præsto sunt, facile apparet quædam inconcinitas ; ecce enim apud Matthæum, Joannes Baptista coram Judæis se sistit eisque annuntiat tempus instare quo Messias appareat (cfr III, 2-12), et cum quadam die ipse Jesus venit ad eum ut baptizetur, Joannes prohibet eum dicens : « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me » ? Jesu vero urgente, eum baptizat, et « ecce aperti sunt ei cœli : et [Joannes] videt Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se » i. e. super Jesum. — Quæ narratio obvie innuit Baptistam jam ante baptismum Jesu collatum, eum optime cognoscere, et descensum Spiritus sancti sub specie columbæ nequaquam fuisse medium quo Jesum primò cognosceret. — Contrà in IV Evangelio : Baptista etiam hic annuntiat Messiam jam adesse in mundo (cfr I, 23, 26), sed ulterius, alludens ad scenam baptismi Jesu quam ex Synopticis notam supponit, explicite affirmat se nesciisse Jesum, et hoc ut videtur, usque ad ipsum momentum quo, Jesu

jam baptizato (1), Spiritus sanctus sub specie columbæ super eum descendit, ita nimirum ut hæc ipsa descensio fuerit medium a Deo adhibitum ut Jesum Joanni notum faceret; sic enim habet v. 33 : « Et ego nesciebam eum; sed [Deus] qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum [quasi columbam de cœlo, v. 32] descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto », seu qui Messias est (cfr *Mt.*, III, 11; *Mc.*, I, 8; *Lc.*, III, 16). — Unde stat difficultas: juxta Matthæum, Baptista jam ante baptismum Jesum cognoscit; juxta Joannem vero, post baptismum tantum eum cognoscit.

Non una fuit hujus difficultatis tentata solutio (2).

Ita v. g. *a*/ Baptista noverat Messiam jam adesse in mundo; noverat Jesum esse *virum vitæ sanctissimæ et integerrimæ*, et ideo præcise vult repellere Jesum ab illo baptismo pœnitentiæ quem ipse conferebat, — sed non noverat Jesum esse *Messiam*; hanc messianitatem postea tantum, per descensum Spiritus sancti cognoscit. — *Ast* fatendum est narrationem Matthæi hujusmodi distinctionem nullatenus insinuare, eamque, obvio sensu intellectam, significare Baptistam vere Jesum tamquam Messiam cognoscere, et hunc esse sensum verborum ejus ad Jesum (v. 14): « Ego baptizo in aqua, tu baptizas in Spiritu sancto (cfr v. 11) (3); baptismus tuus multo eminentior est meo, et ideo, non tu a me, sed ego a te deberem baptizari ».

b/ Baptista *dubitat* nonne Jesus sit *Messias*, et ideo ipsum a baptismo suo repellere conatur; postea, Jesu baptizato, certitudinem de ejusdem messianitate acquirit. — *Ast* etiam hæc distinctio videtur narrationi tum Matthæi tum Joannis violenter obtrudi.

---

(1) Aperte enim affirmant synoptici hunc descensum Spiritus sancti post Jesu baptismum contigisse.

(2) Has aliasque adhuc sententias v. relatas apud KNABENBAUER, *Ev. sec. s. Matthæum*, 1892, in h. l.

(3) De sensu hujus dicti recole dicta supra, pp. 25.

c/ Baptista noverat Messiam adesse in mundo ; bene noverat Jesum esse Messiam ; sed Jesum *facie ignorabat;* sat cito enim inde a pueritia sua abierat in desertum, ibique fuerat usque in diem ostensionis suæ ad ad Israel (*Lc.*, I, 80) (1); nunc vero, Jesu accedente ad baptismum, eo ipso momento revelatione interna et privata eum agnoscit ; postea vero, in descensu Spiritus sancti, quasi officiali et authentico modo confirmata fuit hæc cognitio quam paucis momentis antea privatim acceperat ; hanc publicam Jesu manifestationem nemo negare posset. Unde ubi Baptista dicit : *Ego nesciebam eum*, loquitur de omnibus annis præteritis, neque excludit notitiam privatam paucis momentis antea acceptam. — *Ast α/* minime probatur Baptistam Jesum facie non cognovisse ; nec probatur ipsum, etiam dum viveret in deserto nullas habuisse cum Jesu relationes ; nec probatur, quod dicunt, Joannem nunquam, puta ad magnas solemnitates, ascendisse Hierosolymam ; — *β/* illa revelatio privata prævie ad baptismum facta, et postea officiali modo confirmata, nullo jure — nisi ad solvendam propositam difficultatem — allegatur ; — potissimum *γ/* habetur manifesta oppositio, adeoque correspondentia quædam inter hæc duo : *Nesciebam eum*, — et : *in descensu Spiritus sancti ipsum agnovi* (v. 33 s.) ; ergo ipsa ignorantia in qua Baptista circa Jesum versabatur fuit per descensum Spiritus sancti sublata ; adeoque sensus non est : ego Jesum facie ignorabam, siquidem, in sententia proposita, Jesum facie agnovisset jam ante baptismum.

d/ Quarta tandem est sententia quæ videtur admittenda. Utique Baptista jam diu optime nosse poterat Messiam esse in mundo, item Jesum, quem facie minime

(1) Quod notant hi auctores Joannem Jesum agnovisse quidem dum adhuc in utero materno clauderetur (*Lc.*, I, 41), sed hoc nullam facere seriam difficultatem, facile agnoscimus. Minime enim patet Baptistam hac occasione usu rationis esse gavisum ; neque eum Jesum facie agnovisse ; neque eum hujusmodi usum rationis vel memoriam faciei Jesu servasse, ita ut postea exinde Jesum facie agnosceret.

ignorobat, esse hunc Messiam. Ast eum hucusque semper *ignoraverat qua Præcursor*, seu eum hucusque qua Messiam non manifestaverat : nihil enim nisi ex mandato divino agere voluerit. Quare per multos annos, de re tanti momenti, tacet, vitam agens absconditam in deserto (*Lc.*, I, 80). Missus a Deo, tandem inchoat suum ministerium, et Messiam annuntiat brevi venturum, ast nondum Jesum Messiam esse denuntiat (*Mt.*, III. 1-12) ; exspectat enim signum de cœlo. Revera divinitus monetur signum Jesum qua Messiam proclamandi futurum esse descensum Spiritus sancti sub specie columbæ. Et ecce quadam die, dum accedit Jesus ad baptismum Joannis, hic eum avertere vult, ast incassum ; et dum Jesus baptizatus de aqua ascendit, locum habet signum promissum (*Mt.*, III, 13 ss.). — Ast Jesus, statim post baptismum (cfr *Mc.*, I, 12), secedit in desertum, ubi manet per 40 dies et tentatur (*Mt.*, IV, 1 ss.). — Interea Joannes pergit prædicare et baptizare, et interrogatus a sacerdotibus nonne ipse sit Messias, negat, ast simul affirmat Messiam jam stetisse inter illos (*Jo.*, I, 26). — Et tandem, dum die sequente Jesus e deserto redux accedit, Baptista eum notum facit : Ecce agnus Dei... i. e. ecce Messias ; hic est de quo dicebam dum vobis Messiam annuntiabam (cfr *Jo.*, I, 29 ss.).

Hæc sententia, ut manifestum est, optime explicat successionem factorum quæ in variis Evangeliis enarrantur ; sola difficultas quæ ipsi opponi potest hæc est quod *nesciebam eum* intelligendum sit : *Jesum qua Messiam non manifestabam*, seu : *me qua Jesum cognoscentem non prodebam*. Ast α/ non inusitata est acceptio qua *scire* et *nescire* et alia hujusmodi vocabula audiuntur, de cognitione vel ignorantia, non theoretica, sed potius practica ; in ipso evangelio Matthæi, XXIV, 36 hoc sensu dicit Jesus se non *scire* diem judicii, i. e. non accepisse mandatum hunc diem manifestandi (1) ; — β/ hic sensus videtur

(1) Cfr enim *Act. Ap.*, I, 6, ubi apparent Apostoli Jesum non intellexisse quasi veram suam ignorantiam edixisset ; — et v. 7, ubi Jesus

jure desumi ex ipso contextu IV Evangelii : etenim 1, 31 hæc duo opponuntur ; *Ego nesciebam eum*, — et : *ut manifestetur in Israël, propterea veni in aqua baptizans ;* porro si sensus verbi *nesciebam* esset : *non cognoscebam eum*, exspectares qua oppositionem : *ut ipsum agnoscerem*, propterea veni.... ; contrà logica est oppositio hæc : hucusque eum non manifestaveram, — sed ut manifestaretur in Israël, propterea veni in aqua baptizans. — In hac hypothesi optime etiam intelligitur v. 34 : Signum a Deo promissum *ego vidi, et* exinde jam *testimonium perhibeo quia hic*, Jesus, *est Filius Dei* (1).

A. Vander Heeren.

II.

De infallibilitate Ecclesiæ quoad veritates theologicas.

Q. *Quomodo se extendit infallibilitas magisterii ecclesiastici ad veritates theologicas ? Explica responsum.*

R. 1/ Infallibilitas magisterii ecclesiastici se extendit *secundario modo* ad veritates theologicas, ratione scilicet ipsius connexionis, quam habent istæ veritates cum revelatione, uti in præcedenti responsione jam animadvertimus (2).

2/ Jam autem varia datur ratio connexionis, nimirum : *a/* aliæ veritates *præsuppositive* cum revelatione connectuntur, quæ videlicet præsupponi debent ad ipsam revelationem aut saltem ad talem veritatem in se revelatam

---

non negat se hanc diem scire, sed unice affirmat Patrem noluisse ut hæc dies manifestaretur hominibus. — Cfr quoque dicta Jesu : *Nescio vos*, et alia hujusmodi, i. e. nescio vos ad remunerandum vos.

(1) Cfr Fillion, *La Sainte Bible* (Lethielleux, 1878), *Evangile selon s. Matthieu*, in h. l.

(2) Supra, p. 32 Veritates istæ vocantur generice *theologicæ* propter ipsum nexum quem habent cum revelatione ; hæc est enim ratio formalis qua aliquid in theologia consideratur ; cfr *Sum. Theol.*, I, q. 1, a, 1; Van der Meersch, *De Deo uno et trino*, n. 4, p. 4, Brugis, 1917.

amplectendam ; *b/* aliæ *consecutive* aut *illative* cum revelatione cohærent, quoniam ex revelatione deducuntur, ratione statim pressius determinanda ; *c/* aliæ demum *finaliter* cum revelatione consertæ sunt, quæ nimirum versantur circa media necessaria aut utilia ad finem revelationis obtinendum (1).

Explicatur. — 1/ Ecclesia est infallibilis non modo in docendis veritatibus in se revelatis, sed adhuc in docendis veritatibus, quæ, quamquam in se revelatæ non sunt, tam arcte nihilominus cum revelatione cohærent, ut error aut etiam dubitatio circa easdem ipsam revelationem in discrimen vocaret.

Veritates in se revelatæ efformant ipsum depositum revelationis, adeoque constituunt *objectum primarium* infallibilitatis, quod *ratione sui* sub infallibilitate cadit. Veritates vero connexæ pertinent ad custodiam et securitatem ejusdem depositi; spectant itaque ad infallibilitatem, non ratione sui, sed *ratione veritatis revelatæ quacum cohærent* et *objectum secundarium* infallibilitatis efformant (2).

2/ Quoad varias species veritatum, quæ generico nomine omnes theologicæ vocantur, hæc de nexu earum cum revelatione explicare satis erit.

a/ Veritates, quæ *præsuppositive* cum revelatione connectuntur, nominantur *facta dogmatica* : enuntiant enim factum, non contentum in revelatione, sed a cujus admissione dependet securitas ipsius depositi aut saltem talis determinatæ veritatis in se revelatæ, talis dogmatis. Hæc, inter alia, indicari possunt : talis doctrina orthodoxa aut heterodoxa in tali libro vel documento objective continetur ; Pius IX fuit legitime in romanum pontificem electus.

---

(1) Cfr Van Noort, *De fontibus revelationis necnon de fide divina*, n. 241 s., p. 196 s., Amstelodami, 1911².

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, VI, p. 582; De Brouwer, *De Ecclesia Christi*, n. 238, p. 235, Brugis, 1891².

Et reapse Ecclesia quæ depositum fidei integrum servare et fideles ab errore tueri debet, jam officium suum efficaciter exsequi nequit si quilibet possit doctrinas revelationi contrarias impune spargere, interponendo magisterium ecclesiasticum non recte intellexisse sensum doctrinæ, quæ in tali libro continetur. A primis temporibus Ecclesia hac sua infallibili auctoritate in concilio nicæno damnavit opus Arii; in concilio ephesino probavit doctrinam s. Cyrilli, proscripsit vero scripta Nestorii; tempore jansenismi Alexander VII, in constitutione « Ad sacram beati Petri sedem », pronuntiavit: « Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis, cui titulus: Augustinus, excerptas in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, definimus et declaramus » (1).

Posset magisterium ecclesiasticum pariter definire, et quidem infallibiliter, Pium IX fuisse legitime electum in romanum pontificem, quoniam aliquis v. g. dogma Immaculatæ Conceptionis B. M. V. ex hac parte impugnaret; posset et alia facta dogmatica infallibili sua auctoritate docere, ut puta conventum vaticanum fuisse concilium œcumenicum legitimum, si talis definitio ad custodiam veritatis revelatæ esset necessaria (2).

b/ Veritates, quæ *consecutive* seu *illative* cum revelatione cohærent, vocantur *conclusiones theologicæ;* enuntiant aliquam veritatem, quæ per discursum, non mere explicativum sed proprie dictum, certo deducitur ex duabus præmissis, quarum una est revelata, altera naturaliter certa: ita v. g. Filius a Patre procedit per intellectum.

Penitior explicatio conclusionis theologicæ pertinet

---

(1) *Enchir. Symb.*, n. 1098.

(2) Vide in tractatu de fide aliam quæstionem, num scil. objectum fidei divinæ sunt propositiones particulares in quibus tale factum supponitur; ita v. g. Pius XI ex cathedra loquens est infallibilis; concilium vaticanum fuit infallibile; cfr MAZELLA, *De Religione et Ecclesia*, n. 810 s., p. 616 s., Romæ, 1885³; VAN NOORT, *o. c.*, n. 199 s., p. 158 s.

ad tractatum de fide ; satis apparet alioquin ex ipsa definitione quemadmodum error aut dubium de tali conclusione ad errorem aut saltem dubium de ipsa veritate revelata logice perducere debeat (1).

c/ Tandem quædam veritates *finaliter* consertæ sunt cum revelatione et auctores plerumque enumerant judicia α/ de generali disciplina Ecclesiæ ; β/ de approbatione solemni ordinis stricte dicti ; γ/ de canonisatione sanctorum definitiva (2).

Intelliguntur autem, *judicia doctrinalia* de conformitate talis legis cum principiis morum in deposito fidei contentis aut de aptitudine talis instituti, ut est medium ad perfectionem christianam procurandam.

In judicio prudentiali de opportunitate talis legis aut talis instituti, Ecclesia non est immunis ab errore, quamquam utique in hac materia non caret speciali sapientia (3) ; inde certo temerarium foret carpere opportunitatem alicujus legis aut utilitatem alicujus instituti, eo præsertim momento quo Ecclesia talem legem imponit aut urget, quo tale institutum solemni modo approbat. Attamen infallibiliter et irrevocabiliter solum pronuntiat judicium doctrinale et exinde intelligitur quomodo talem legem etiam universalem, talem ordinem stricte dictum, postea, aliis datis adjunctis, abrogare et tollere possit.

---

(1) Ecclesia sæpius practice et in actu exercito hanc suam infallibilitatem affirmavit, irrevocabiliter reprobando doctrinas, non veritatibus in se revelatis, sed conclusionibus theologicis directe adversantes; cfr Van Noort, *De Ecclesia*, n. 88, p. 91, Amstelodami, 1920[4].

(2) Alia judicia, ut puta de juribus Ecclesiæ, hac ratione sub infallibilitate cadere possunt, uti scite notat Van Noort, *De fontibus revelationis*, n. 243, p. 197. — Vide supra, p. 32, n. 3, quæ de *gradu certitudinis* in hac materia animadvertimus ; quoad singulas veritates theologicas in specie consideratas, generatim theologi admittunt extensionem infallibilitatis ad facta dogmatica, conclusiones theologicas, rem disciplinarem et approbationem ordinum esse saltem *theologice certam*; quoad canonisationem sanctorum, infallibilitatem ad camdem extendi saltem esse *sententiam hodie communem* pronuntiant.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, VI, p. 655.

Ecclesia est infallibilis in re disciplinari, in approbatione ordinum, in canonisatione sanctorum, quoniam hæc omnia ad finem revelationis obtinendum, ad gloriam scil. Dei manifestandam et sanctificationem hominum procurandam, faciunt. Et enim si unicuique liceret leges disciplinares pro universa Ecclesia sancitas aut vivendi formas ab Ecclesia probatas et tanquam media perfectionis commendatas traducere ut æternæ saluti noxias, vel dubitare etiam de sanctitate illorum quos Ecclesia colendos et imitandos omnibus proponit, jam finis revelationis quam maxime impediretur et ipsa revelatio magna ex parte practice inutilis redderetur (1).

H. Lamiroy.

III.

De Accessione I.

Q. *Paucis expone principia tum juris naturæ tum juris civilis, relate ad proprietatem fructuum rei alienæ quam quis bona fide possidet.*

R. Præsens statuitur quæstio in decursu materiæ accessionis potius quam restitutionis, propter modum loquendi Codicis Civilis, qui accessionem declarat : modum acquirendi dominium eo quod res aliqua a re nostra *producatur* vel rei nostræ *adjiciatur* (a. 546). Iste quidem loquendi modus, quod ad fructus rerum attinet, improprius videtur (2), cum jam jure proprietatis res fructificet domino, quin opus sit alium titulum invocare. Sed quidquid sit, operæ pretium erit de dominio fructuum sermonem facere, casu quo possidens bona fide rem aliquam fructiferam non sit revera ejusdem proprietarius (3).

---

(1) Cfr Van Noort, *De fontibus revelationis*, n. 243, p. 197.

(2) Cf. Illmum Waffelaert, *De l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 225-226.

(3) Cf. brevem enumerationem principiorum ad hanc rem spectantium apud *Coll. Brugen.*, II, t. 516.

Jamvero, *fructus* distinguuntur a theologis in naturales, industriales, mixtos et civiles. « *Naturales* dicuntur ii qui sine ullo aut fere ullo hominis labore ex re ipsa beneficio naturæ sponte nascuntur, ut fructus in arboribus, lignum in sylvis, fœnum in pratis ; *industriales*, qui non nisi ex industria et labore oriuntur, adeo ut res aliena non sit nisi instrumentum, et nihil vel parum conferat in eorum productionem : *mixti*, qui partim ex re ipsa, partem ex hominis industria oriuntur, ita ut utrumque notabiliter influat in eorum productionem, v. g. segetes. Tandem additur quarta species ; scilicet fructus *civiles* dicuntur qui non sunt proprie rei fructus, seu ab ipsa re non producuntur, sed tamen per quamdam analogiam inter fructus a lege computantur, v. g. pretium locationis domus, aut equi » (1).

Codex vero Civilis omittit mentionem et proinde attributionem fructuum proprie industrialium sensu theologico ; sed mixtos fructus vocat ipse industriales (2).

Distinguuntur autem fructus proprie dicti a *productis extraordinariis*, quæ communiter ex lege ad possessorem bonæ fidei non transeunt, sed proprietario manent (3).

---

(1) Carrière, *De Justitia et Jure*, I, n. 370.

(2) Cf. a. 583 et 584 : « Les fruits naturels sont ceux qui sont le produit spontané de la terre. Le produit et le croît des animaux sont aussi des fruits naturels. Les fruits industriels d'un fonds sont ceux qu'on obtient par la culture.

Les fruits civils sont les loyers des maisons, les intérêts des sommes exigibles, les arrérages des rentes. Les prix des baux à ferme sont aussi rangés dans la classe des fruits civils ».

(3) Cf. Thiry, *Cours de Droit civil*, I, n. 693 ; « On entend par *fruits* tout ce qui naît et renaît d'une chose... : comme les récoltes, les fruits des arbres, le croît des animaux. On entend par *produits extraordinaires* certains revenus qui ne se reproduisent pas, comme les minerais, les pierres d'une carrière, les futaies mises en coupe réglée. Ces objets, tirés ou séparés du sol, ne se reproduisent pas. Cette division n'a pas d'importance relativement au propriétaire de la chose.... Mais elle en a beaucoup vis-à-vis de l'usufruitier et du possesseur de bonne foi qui ont droit aux fruits, mais non aux autres produits.

a/ Quæ cum ita sint, « *ex jure naturali* principium generale est ad illum pertinere fructus, ad quem pertinet causa fructifera, quia res domino fructificat. Hinc 1° fructus industriales in sensu theologorum, pertinent ad possessorem, nec tenetur illos restituere. Sic qui cum alieno instrumento opus quoddam fecit eximii pretii, non debet certe illud opus restituere. Sic etiam, inquiunt communiter auctores, qui cum pecunia aliena negotiando ingentes comparavit divitias, non ideo tenetur restituere. Hinc 2° fructus naturales tenetur possessor domino restituere : modo tamen apud illum exstent in se vel in æquivalenti.... (1). Fructibus naturalibus æquiparantur fructus civiles. Hinc 3° fructus mixti, qua parte sunt naturales, pertinent ad dominum rei ; qua parte autem sunt industriales, ad possessorem : unde inter utrumque dividi debent, æstimatione facta juxta judicium viri prudentis » (2).

b/ Verum, si hæc de solo jure naturæ sit conditio possessoris, relate ad fructus rei alienæ quam bona fide possidet, aliter disponit *jus civile*, prout regula generali declarant a. 549 et 550 : « Le simple possesseur ne fait les fruits siens que dans le cas où il possède de bonne foi ; dans le cas contraire, il est tenu de rendre les produits avec la chose au propriétaire qui la revendique. — Le possesseur est de bonne foi quand il possède comme propriétaire en vertu d'un titre translatif de propriété dont il ignore les vices. Il cesse d'être de bonne foi du moment où ces vices lui sont connus ».

Itaque tribuit C. C. fructus possessori rei alienæ, modo

Quelquefois cependant, les produits extraordinaires sont considérés comme fruits, p. ex. : les futaies mises en coupes réglées (a. 591) et les mines et carrières en exploitation (a. 598). Cela a lieu lorsque la destination du propriétaire a fait de ces produits l'objet d'une perception régulière et périodique ».

(1) Sed potest sane possessor de his fructibus demere debitos sumptus quos in rem fecit, simul cum pretio laboris quam forsan impendit.

(2) Carrière, *ibid.*, III, n. 1051.

apud eum sit bona fides cum titulo translativo proprietatis. *Titulus* hic non requiritur necessario scriptus, sed quivis actus juridicus, scriptus aut non scriptus, qui sit de se idoneus ad proprietatem transferendam : ut venditio, donatio, testamentum ; non autem locatio aut pignus aut depositum. Cum ille titulus in casu rei alienæ non sit validus, necessario erit aliquo modo vitiatus : sive quia venditio v. g. facta est ab illo qui non erat proprietarius, sive donatio absque requisitis formalitatibus peracta sit, sive testamentum informe fuerit aut per aliud testamentum posterius revocatum.

Parum ergo refert ; et imo titulum putativum jam hic sufficere communiter docent jurisperiti, ut est revera testamentum revocatum, aut etiam simplex error apud heredem ab intestato qui incipit possessionem fortunæ defuncti, putans se esse solum heredem, cum tamen non sit. Verum, possessoris est suum titulum probare.

Bona fides autem requiritur juridica seu ad normam legis civilis (1) : scilicet, in materia possessionis, persuasio possessoris se rem ut verum proprietarium possidere, vi sui tituli cujus ignorat vitia. Hæc quidem bona fides debet revera existere, ut quis conditiones legis verificet ; et ideo cessat legale privilegium statim ac possidens vitia tituli sui cognoverit ; sed interim a lege supponitur adesse, nisi verus proprietarius contrarium demonstret. Tunc tantum, cum ad litem ventum erit, debebit possessor suam bonam fidem probare posse, si solus error seu sola bona fides ipsi pro titulo erat, ut in casu heredis putativi.

Quosnam nunc fructus possessori hujusmodi lex tribuat, explicant jurisperiti : omnes scilicet fructus qui de jure naturæ cederent vero proprietario, et jam a possessore sunt *percepti*. Percipiuntur autem fructus terræ naturales et mixti, quando separantur seu deciduntur a terra sive ab arboribus, quamvis a loco forsan nondum sint

(1) De bona fide juridica et theologica circa hoc punctum cf. *Coll. Brugen.*, IX, p. 516.

amoti ; percipitur lana ovis quando excisa fuerit, vitulus vaccæ quando natus fuerit etc. Percipiuntur vero fructus civiles quando et quatenus obtigerunt, numerando de die in diem.

Dicto proinde jure fruitur possessor noster quamdiu apud ipsum manet bona fides juridica ; nisi tamen apud tribunal reclamet verus proprietarius: tunc enim, quamvis forsan apud possessorem bona fides permanere possit, a die inceptæ actionis perit jus ipsius.

Nota. Principio generali a lege statuto in hac materia fructuum apponit ipse C. C. quasdam exceptiones, in quibus aliter de fructuum dominio disponit. In quibusdam enim specialibus casibus, expressis verbis delimitat partem fructuum a possessore reddendam, vel diem a quo fructus sunt restituendi (1). Insuper in casu contractus cum conditione resolutoria explicita vel implicita, et ubi hæc conditio ad effectum pervenit, aufert lex omnes effectus prioris contractus, quasi iste nunquam extiterit : et proinde tunc integram restitutionem rei cum fructibus imponit (2).

---

(1) Sic in casu personæ absentis cujus actuale domicilium penitus ignoratur, possunt quandoque præsumpti ejus heredes in possessionem provisoriam mitti bonorum ejus ; quodsi postea tempestive compareat dominus, determinata quædam pars fructuum erit ipsi ex art. 127 restituenda. Adhuc : fructus illarum donationum inter vivos quæ post mortem donatoris ad massam hereditatis redire debent propter legem *collationis* (rapport à la masse), restitui debent a die apertæ successionis (a. 586); si autem ad massam redire debeant propter legem *reductionis* (réduction des donations qui excèdent la portion disponible), ab eadem die debent restitui si petitio reductionis facta sit infra annum obitus donatoris ; secus a die petitionis in reductionem (a. 928). — Cf. etiam a. 958 et 962 : de revocatione donorum inter vivos ob causam ingratitudinis aut prolis supervenientis ; et a. 1682 : de rescissione venditionis propter læsionem in pretio ; etc.

(2) Sic ubi donatio inter vivos revocatur ob inexecutionem conditionum, res ipsa cum omnibus fructibus restitui debet (a. 954). Pariter si venditio quædam rescindatur quia emens pretium non solvit (a. 1654); quod etiam valet de omni rescissione contractus synallagmatici, ubi una pars obligationes suas erga alteram partem non adimplevit (a. 1184).

IV.

De Accessione II.

Q. *Inde pro conscientia resolve sequentem casum : Titius, qui per testamentum amici sui Joannis cunctam ejus fortunam obtinuerat, jam per 8 annos illis bonis fruebatur optima fide, cum quadam die producitur alterum Joannis testamentum posterius, quo defunctus omnia sua tradebat Philippo. Inde Titius, jam hereditate privatus, a confessario quærit num etiam fructibus jam perceptis renuntiare teneatur.*

R. Sufficienter patebit solutio propositi casus, expendendo valorem in conscientia legis civilis supra expositæ: utrum hæc nempe dominium fructuum vere transferat ad possessorem bonæ fidei, an contra rem conscientiæ sub solo jure naturæ relinquat, negata tantum proprietario actione civili in fructuum revindicationem.

Jamvero, A.A. moderni communiter admittunt dispositiones juris civilis, de quibus loquimur, etiam pro conscientia esse translativas dominii, saltem ut probabilius : modo sane conditiones a lege stipulatæ verificatæ fuerint, et modo simul adsit apud possessorem bona fides *theologica*.

Hæc autem est : persuasio possessoris quovis modo prudenter formata, hoc est inculpabilis vel non graviter culpabilis, se rem de qua agitur formaliter juste ut suam possidere ; et in quæstione fructuum facile coïncidet cum bona fide juridica quæ a C. C. requiritur.

Porro, sub his conditionibus sic ratiocinantur prædicti AA. : Lex, vi alti quo pollet dominii, potest etiam pro conscientia, si velit, translationem dominii de uno ad alium valide efficere, modo hæc translatio bono communi necessaria sit vel saltem stricte utilis. Atqui in nostro casu, lex vere voluit hanc fructuum jam perceptorum translationem in manus possessoris bonæ fidei ; et motivum æquitatis, quo mota est, correspondet reapse strictæ utilitati, imo et cuidam necessitati pro bono publico. Ergo.

Major quidem constat (1). Minor vero, ad intentionem legis quod attinet, jam ex verbis ipsius patere videtur : verba enim a. 549 et 550 sunt omnino absoluta, et aptissima ad significandam veram dominii translationem ; nihilque in ipso textu legis restrictionem indicat ad solum forum externum.

Ceteroquin, nonne motivum legislatoris in eumdem hic loquitur sensum ? Profecto quisque civis lautius sive parcius censetur vivere pro mensura redituum suorum ; et certe frequenter possessores bonæ fidei illos etiam reditus ex re aliena quotannis absumunt. Contra veri proprietarii, certis reditibus in casu orbati, parcius sane vixerunt, nec sæpe ditiores fuissent si illos etiam reditus habuissent, cum et ipsos consumpsissent largius vivendo. Accedit magnum onus profecto fore possessoribus bonæ fidei, si post plures annos non tantum rem alienam, sed et omnes reditus ejus ex improviso restituere deberent ; imo et eos inde ad ruinam quandoque adduci posse, dum tamen nullatenus in culpa fuerint ; proprietarios vero sæpius hoc casu aliquam negligentiæ culpam sibi imputandam habere in curandis rebus suis : adeo ut incommodum ex parte fructuum potius a domino sit ferendum quam a possessore. Simul etiam lex hoc modo acuit diligentiam dominorum, minando fructuum perditionem.

Certe objicitur non dari possessori onus veri nominis in reddendis illis fructibus quos de facto non consumpserit, quibusque revera ditior factus sit. Sed respondetur hoc etiam casu videri legislatori motivum sufficiens boni communis ad legem translativam dominii, nempe ad vitandas frequentes et intrincatas lites in computu : quanta nimirum pars fructuum de facto supersit, quanta-

(1) Nec profecto debet Status hoc casu de suis bonis compensare damnum inde vero proprietario obveniens. Hoc enim præstare non valeret, cum ipse nihil ex his fructibus lucretur; ceteroquin, ut etiam AA. circa præscriptionem animadvertunt, resarciuntur hæc damna in quantum possibile est, eo quod lex æqualem omnibus lucri et damni sortem exhibet, et damna illata communi utilitate compensat.

que respondeat labori possessoris etc. Et quid « si aliquis v. g. se divitem existimans multas expensas fecit ex fructibus sibi revera propriis, et eos reservavit quos falso credidit ad se pertinere ? Seclusa lege de qua loquimur, fructus istos deberet restituere, et sic non solum non ditior evaderet, sed detrimentum ex re aliena pateretur » (1).

Porro, non sufficienter videtur obtineri scopus pacis et boni communis si lex forum externum solummodo attingat per negationem civilis actionis. Nam hujusmodi negatio malis tantum civibus prodesset, qui conscientiam flocci faciunt, non vero bonis qui coram Deo ad restituendum se sentirent obligatos : quod argumentum æque bene in hac materia afferri valet quam in materia præscriptionis.

Igitur moderni AA. communiter rem admittunt prout exposuimus.

Quidam tamen contradicunt, inter quos præsertim Lehmkuhl (2) et Ballerini (3). Quorum prior insistit in conceptu proprietatis et juris naturalis, a quibus prædictas legis dispositiones satis alienas declarat ; ideoque, quamvis ob auctoritatem aliter sentientium probabilitatem sententiæ benignioris non velit negare, alteram tamen sententiam ita præfert ut in casu permitteret domino fructus suos etiam occulta compensatione sibi rursus comparare.

Verum, si rationes ad transferendum dominium sufficiunt, nil jam contra jus naturale fit ; nec magis contra rectam rationem proprietatis, cum hæc sane limites plures complectetur, inter quos eminet altum dominium Status. Quamobrem nullatenus permitteremus pro fructibus occultam domini compensationem.

Clarus vero Ballerini sententiam veterum theologorum

---

(1) Carrière, *De Justitia et Jure*, III, n. 1053.
(2) *Theol. Mor.*, I, n. 1135.
(3) *Opus Morale*, III, n. 423.

affert, unanimi quasi consensu juri naturæ inhærentes non obstante jure Romano ; insuper non admittit sufficientes esse difficultates in computu faciendo ubi fructus adhuc exstant ; et tandem præscriptionem liberativam adducit qua sæpe pars fructuum reddenda notabiliter minuetur, ita ut non tantum remaneat onus possessori bonæ fidei.

Ad quod respondetur jus Romanum antiquum, ut ipse fatetur Ballerini, de hac re obscurum fuisse, ita ut multi desperarent varias ejus dispositiones inter se conciliare : « quidquid enim dixeris, id quidem ob auctoritatem doctorum et interpretum erit probabile, sed habebis aliquam legem (Romani juris) graviter adversantem » (1).

Ad 2um : ipsam historiam luculenter testari difficultates de quibus agitur esse verissimas (2).

Ad 3um : apud nos præscriptionem liberativam fructuum seorsim non concedi a lege, sed tantummodo si res ipsa simul præscribatur ; quod sane rarius contingit quam ut incommoda vitentur de quibus supra. Articulus enim 2277 de præscriptione quinquennali non loquitur de fructibus rei alienæ, nec ipsis seorsim applicabilis est ; sed tantum de creditoribus agit et de debitis periodicis, non vero de proprietariis qui proprietatem suam sibi vindicant (3).

Conclusio proinde disputationis et simul propositi casus sit sequens : valet, ut omnino probabilius, lex prædicta

---

(1) Carrière, *ib.*, n. 1052.

(2) Cf. Planiol, *Droit Civil*, I, n. 2298 : « De grandes difficultés s'élevaient dans la pratique pour savoir si la *valeur* des fruits conservés n'avait pas été déjà consommée ou engagée. Aussi, dès le 18e siècle, on n'exigeait plus la restitution des fruits extants ».

(3) Cf. Planiol, *ib.*, n. 2456 : « Cette prescription quinquennale n'éteint que l'action du *bailleur*, qui demande, à titre de *créancier* du preneur à bail, le payement des loyers d'une maison ou les fermages d'un bien rural ; elle est étrangère à la théorie de la revendication, quand le *propriétaire* demande la restitution des loyers ou fermages touchés par le possesseur ». — Cf. etiam Thiry, *Cours de Droit Civil*, I, n. 696, auctoresque ibidem citatos.

qua translativa proprietatis fructuum jam perceptorum, adeoque tuta conscientia potest Titius reditus jam elapsos sibi retinere. Tamen ob probabilitatem, maxime extrinsecam, sententiæ severioris, non sunt damnandi proprietarii qui accipiunt vel imo privatim rogant a possessore hujusmodi ipsam rem simul cum fructibus, et tenent quæ ita acceperint : nisi tamen possessor postea apud tribunal restitutionem fructuum tempestive sibi reclamet (1).

E. Hosten.

V.

De interpretationis authenticæ promulgatione.

Q. *An et quare interpretatio authentica legis ecclesiasticæ promulgari debet?*

R. Ad normam canonis 17 § 2 respondendum est hac distinctione:

Interpretatio authentica

1/ Promulganda *non* est si est *mere declarativa*, i. e. « si verba legis in se certa declaret tantum » (2). Ratio est : quia hujusmodi declaratio essentialiter non differt a lege declarata, quæ jam fuit debite promulgata. Quacumque igitur forma edatur, statim ac in notitiam fidelium deveniat interpretatio authentica mere declarativa obligat, imo retrotrahitur quasi data esset cum ipsa lege.

2/ Promulganda autem est :

a) si est *extensiva* vel *restrictiva*, i. e. si aliquid legi addit eam extendendo ad casus prius non comprehen-

(1) Cf. Illmum Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 60.

(2) Interpretatio mere declarativa ea est quæ sensum verborum legis non proprie dubium et incertum, sed subobscurum explicat per alias voces et sententias clariores. Hæc interpretatio ab AA. quandoque potius *simplex declaratio* dicitur vel interpretatio improprie dicta ; attamen hodie, insistendo vestigiis Novi Codicis (c. 17 § 2), admittenda est ut *vera* interpretatio illa « quæ verba legis in se certa declaret tantum ». Cf. Maroto, *Institutiones Juris Canonici*, Matriti 1919, n. 235

sos (1), vel aliquid a lege demit ambitum ejus restringendo (2);

b) si est *proprie declarativa*, si nempe verba legis vere dubia et obscura declarat.

Sic res decisa est in canone 17, § 2, qui addit interpretationem ita per promulgationem propositam non habere effectum retroactivum ; habetur ut nova lex, quæ juxta normas generales vim tantum habebit expletis tribus mensibus a die promulgationis, nisi aliter statuatur (can. 9).

Ex ipsa rei natura ita etiam concludendum : interpretatio enim extensiva et restrictiva legem vere mutat, novam obligationem inducit, vel anteriorem obligationem partim tollit ; est igitur æquivalenter nova lex, quæ sine promulgatione effectum habere non valeret. Sed etiam interpretatio, quæ quamvis nihil addat aut auferat, tamen veram obscuritatem dissipet (in casu nempe quo de sensu et extensione legis viri docti et probi inter se disputabant) dicenda est æquivalenter nova lex ; inducit enim obligationem quæ antea non existebat, cum lex dubia non obliget.

Constat itaque jam quod olim in controversiam veniebat (3): decreta interpretativa legum dubiarum, non secus ac leges ipsas promulgandas esse, nec casibus promulgationi anterioribus applicari debere.

R. Deschepper.

---

(1) « Ut cum ad ficte absolventes complicem translatum est quod de vere absolventibus statutum erat » Exemplum allatum apud Vermeersch-Creusen, *Epitome Juris Canonici*, 1921 p. 40.

(2) « Ut cum verba can. 542 *qui sectæ acatholicæ adhæserunt* de iis solis qui a fide catholica recesserint et dein sectæ acatholicæ nomen dederunt intelligenda dicuntur » *Ibid.* et *Collat. Brug.* t. XX, p. 139 n. 7.

(3) Cf. Vanden Berghe, *De Legibus* n. 118 et Wernz, *Jus Decretalium*, t. I. n. 100 et 127.

VI.

De missa Dominicæ impedita.

Q. *Cur, quandonam et quo ritu celebranda est missa alicujus Dominicæ sua die impedita ?*

R. Cur ? In ordinatione anni liturgici, habentur merito Dominicæ ut columnæ quibus tota structura sustentatur et mirabili unitate sibi cohæret. Dominica enim celebrata est a primis temporibus, quibus ceteræ dies hebdomadæ nondum haberent conventus liturgicus Unde et ipsa non solum prima habuit formulare missæ et officium fixum, sed et ceteros hebdomadæ dies seu ferias regere solet, quatenus etiam hodie, pro missa de feria communi simpliciter sumitur formulare missæ Dominicæ præcedentis.

Peculiari itaque nobilitate præstant missæ et officia Dominicarum et specialem merentur venerationem. Inter cetera autem Dominicæ privilegia hoc erat quod missa Dominicæ nunquam poterat omitti : si itaque quandoque missa Dominicæ in sua die esset impedita, eadem missa ex integro erat celebranda seu, ut dici solet, *resumenda infra hebdomadam,* ita ut ejus loco subrogari non posset missa votiva aut de Requie.

Verum ante ultimam Missalis reformationem valde restricta erat hujus principii applicatio. Nam : *a*/ afficiebat tantum missas conventuales, non alias seu privatas ; *b*/ etiam in choro restringebatur ad solum casum quo occurreret infra hebdomadam dies in qua faciendum esset officium de feria non habente missam propriam (1) : hic autem casus, ob multiplicata festa, festorum translationes et officia votiva admodum rarus erat.

In recenti autem felicissima Breviarii et Missalis reformatione, hoc inter alia præcipue intendit Pius X, ut venerabilia Dominicarum officia et missæ in legitimum pristinum honorem restituerentur. Nil mirum igitur in

---

(1) Vide *Missalis Rubric. Gener.* IV, 3; V, 2.

novis rubricis Missalis regulam de resumenda infra hebdomadam missa Dominicæ fuisse magis inculcatam et extensam, et ita quidem ut obligatio *a*/ extenderetur — cum restrictione tamen — ad missas etiam non conventuales ; *b*/ et caderet etiam in alios dies, si infra hebdomadam nullum occurreret officium de feria missam propriam non habente.

II. Quandonam sit resumenda eruitur ex rubrica novi Missalis, *Additiones et Variationes*, tit. I, n. 6 :

« *Si missa alicujus Dominicæ [non tamen Dominicæ in die 5 Januarii repositæ* (1), *nec Dominicæ post Epiphaniam aut Pentecosten in sabbato anticipatæ]* (2) *sua die ab officio nobiliori impediatur* (3) », ipsa missa Dominicæ (non ejus officium) resumenda est infra hebdomadam, sicut olim, in prima die in qua occurrit faciendum officium de feria, quæ missam propriam non habeat (4) ; sed « *si nulla occurrat dies in qua fieri valeat officium de feria missam propriam non habenti, tunc ipsa Dominicæ missa resumitur infra hebdomadam die in qua unum e sequentibus celebretur officiis, selecto quidem, si suppetat, juxta hunc ordinem minus nobili, scilicet : 1) de festo simplici ; 2) de s. Maria in sabbato ; 3) de die octava simplici ; 4) de die infra octavam communem, vel hac deficiente, de die infra octavam privilegiatam pro particulari ecclesia concessam* (5), *excepta tamen*

---

(1) Notum enim est missam et officium diei 5 Januarii, quæ dicuntur vigiliæ Epiphaniæ, esse revera missam et officium Dominicæ quæ a 1 ad 5 Januarii occurrere potest: olim fuit hoc officium repositum fixe in die 5 januarii, quia ceteris diebus semper impediebatur officio dierum octavarum S. Stephani, S. Joannis, SS. Innocentium.

(2) Dominicæ *anticipatæ* tam officium, quam missa celebratur in sabbato; si autem impediatur non valet infra eamdem hebdomadam resumi.

(3) Ex gr. dominica prima post Pentecosten, quæ quotannis impeditur festo duplici I classis SS. Trinitatis.

(4) Si aliqua feria (major) habeat *missam propriam*, hæc nunquam locum cedere debet missæ Dominicæ resumendæ : et merito quidem, quum missa Dominicæ licet impeditæ fuit saltem commemorata quoad orationes et evangelium. Idem dicendum de vigilia.

(5) Talis est octava SS. Petri et Pauli pro ecclesiis Urbis Romæ.

die in quam simul inciderit feria missam propriam habens aut quælibet vigilia (1); 5) *denique de die infra octavam in universali Ecclesia privilegiatam, dummodo agatur de Dominica infra respectivam octavam occurrenti* (2), *et non de alia Dominica ante eam octavam impedita, et nulla item occurrat vigilia* ».

Sedulo ad hanc officiorum seu dierum enumerationem animadvertendum est missam dominicæ non esse resumendam in ea ex enumeratis diebus quæ prima infra hebdomadam occurrit, sed in *ea in qua agitur officium minus nobile*. Puta, si feria II occurrat dies octava simplex, feria vero V dies infra octavam communem, et tandem officium de S. Maria in sabbato, missa dominicalis celebranda erit in sabbato. Sed si in aliqua ecclesia particulari occurreret v. g. festum patroni loci, missa de Dominica resumenda esset in feria II. Nunquam resumi potest in feriis missa propria gaudentibus, in vigiliis, in festis ritus semiduplicis aut duplicis (3).

III. Quo ritu? Ita pergit eadem rubrica nova : « *In hujusmodi porro resumptionis die dicitur unica missa conventualis de ipsa Dominica, et in eadem missa fit commemoratio de officio diei, et aliæ quæ occurrant. Missæ autem privatæ dici possunt aut de officio diei, cum commemoratione Dominicæ, aut de ipsa Dominica, cum commemoratione officii diei ; additis in utraque missa aliis commemorationibus ut supra* ».

Primo, distinguendum est inter *a* missam *conventualem*, in choro, quæ *debet* esse missa de Dominica impedita, et *b*, missas *privatas*, h. e. non conventuales, sive lectas sive cantatas, quæ possunt esse *ad libitum* vel missa de Dominica impedita vel missa conformis officio diei, sed cum commemoratione missæ de Dominica.

---

(1) Vide notam 4 præcedentis paginæ.

(2) Casus occurret quotannis in Dominica infra octavam Epiphaniæ quæ infeliciter semper jam impeditur festo S. Familiæ.

(3) Cf. *Calendarium* nostrum liturgicum, p. 10.

Deinde notandum hac die prohiberi tam *votivam* privatam lectam (1) quam missam quotidianam *Requiem* sine cantu celebratam (2).

Quoad ritum, pro *missa de Dominica* resumenda sumitur ipsum formulare missæ Dominicæ præcedentis; sed missa celebratur more votivo, quia non est conformis officio diei, et ritu non semiduplici sed simplici. « Non dicitur *Gloria*, nisi sit infra octavas in universali Ecclesia privilegiatas aut tempus paschale, vel nisi agatur de missa Dominicæ infra octavam Nativitatis post diem 1 Januarii resumenda » (3). — Nec dicitur *Credo* « nisi agatur de missis Dominicæ infra octavas in universali Ecclesia privilegiatas occurrentis, quæ intra respectivæ octavæ ambitum sint resumendæ » (4), « etiamsi *Credo* alicui ex commemorationibus occurrentibus conveniret » (5), quia missa est ritus simplicis. — In hac missa facienda est primo commemoratio officii diei, nisi hoc sit officium feriæ, quo casu orationes sunt eædem ac ipsius missæ ; dein aliæ commemorationes forte occurrentes, et in eorum defectu oratio (vel orationes) pro tempore assignata. *Præfatio* non dicitur de SS. Trinitate, sed « si alia missæ vel officii etsi commemorati præfatio propria desit, ponitur præfatio communis ».

Si vero missa privata sive cantata sive lecta celebretur *de officio diei*, in hac facienda est *commemoratio missæ Dominicæ* præcedentis, sicut et commemorationes aliæ forte occurrentes, ita ut sint saltem tres orationes, votivis non computatis. Sed non dicitur ultimum evangelium Dominicæ (6) : ratio est quia illud evangelium jam fuit lectum in fine missæ Dominicæ præcedentis.

C. Callewaert.

---

(1) *Additiones et Variationes in rubricis Missalis*, II, 1.
(2) *Ibid.*, III, 9.
(3) *Missal. Addit. et Variat.*, VIII, 1.
(4) *Ibid.*, VII, 3.
(5) *Rubr. de Præfat. de SSa Trinitate.*
(6) *Miss. Addit. et Variat.*, IX, 2.

Acta SS. Congregationum

Ex S. Congr. Rituum

HILDESIEN (1).

DUBIA VARIA.

Sacerdos Iosephus Machers, qui pro dœcesi Hildesiensi *Directorium ecclesiasticum* componere debet, de consensu sui Rmi Episcopi, sequentia dubia, pro benigna responsione, Sacrorum Rituum Congregationi humiliter subiecit ; nimirum :

A) *De Festo Patroni principalis eiusque Octava.*

I. Si Missa patroni principalis vel saltem Evangelium non est determinatum (2), licetne diebus infra Octavam necnon in die Octava (secundum Rubricas novi Missalis ante Commune unius Martyris et ante Missas votivas ad diversa positas) aliam Missam vel aliud Evangelium ex eodem Communi sumere atque in die Festi, an Missam vel Evangelium pro Festo electum per totam Octavam legere oportet ?

II. Et si *affirmative* ad primam partem, licetne in casu etiam Lectiones trium Nocturnorum Officii ad libitum ex Lectionibus diversis eiusdem Communis eligere, observata tantum regula, quod Missæ et Officii Evangelium idem esse debet ?

B) *De Feriis Rogationum.*

III. In Missa Rogationum, si ad Processionem celebratur in ecclesia, ubi etiam Missa de die sine cantu celebratur, utrum Commemorationes speciales fieri debent an non ?

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIV (1922), 468.

(2) Quia ejus officium et missa non sunt descripta in calendario.

C) *De Missis defunctorum.*

IV. Si Missa celebratur pro defuncto nondum sepulto, cum vel sine cantu, diebus quibus Missas quotidianas pro defunctis in cantu resp. sine cantu celebrare licet, utrum in omnibus ecclesiis et oratoriis Missa pro die obitus cum unica Oratione uti oportet?

V. Et si *affirmative*, licetne hanc Missam etiam post sepulturam celebrare, si Missa exequialis rationibilem ob causam celebrata nondum est?

VI. Diebus ut supra liberis licetne plures Missas, de die III, VII, XXX, opportuniore post acceptum nuntium, anniversaria, etiam late sumpta, celebrare, an unam tantum?

VII. Missa cantata in anniversariis, quæ extra diem obitus ex fundatione celebratur, vel quæ pro omnibus defunctis alicuius cœtus semel quolibet anno habetur, utrum eo tantum casu gaudet privilegio, quo certa dies in fundatione vel ex consuetudine cœtus est determinata, an etiam quo dies ad libitum celebrantis vel cœtus eligitur?

D) *De solemnitatibus Festorum Motu proprio* Abhinc duos annos *in Dominicas translatis.*

VIII. Missa de solemnitate, ex Decreto generali S. R. C. super Motu proprio *Abhinc duos annos* in Dominicam translata, num a parocho pro populo applicari potest, secundum *Additiones et variationes in Rubricis Missalis*, II, n, 11, an non?

IX. In dicta Missa, si est de Festo duplici I classis, num Commemorationes omnes sunt faciendæ, quæ fierent, si Festum in Dominica occurreret (secundum Decretum generale S. R. C. super Motu proprio dicto), an illæ tantum, quæ fiunt in Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa (cfr. *Add. et variat.*, V. 3)?

X. In dicta Missa, de ritu duplici I sive II classis, num Symbolum est dicendum, etiamsi Missa Festi per se Symbolo caret nec Commemoratio Dominicæ alteriusque Officii, quod Symbolum requirit, facienda est, an omittitur?

XI. Præfatio in dicta Missa, si Præfatio propria deest, ac Missa sine Commemoratione diei celebratur, estne communis?

E) *De Missa in honorem Ssmi Cordis Iesu prima Feria VI mensis celebranda.*

XII. Si dicta Feria VI inciderit in die, qua de Festo Christi Domini fiat Officium aut Commemoratio aut occurrat Vigilia aut dies infra Octavam, quamvis simplicem, loco Missæ de Ssmo Corde, num *semper* Missa de Festo aut de Vigilia aut de Octava celebranda est, excepto casu, quo occurrat Festum duplex I classis vel Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum?

XIII. Et si *affirmative*, num ista Missa admittit Commemorationes tantum de duplici secundæ classis et de Feria maiore?

XIV. Si dicta Feria VI inciderit in Festo duplici I classis, quod non est Christi Domini, num in Missa, loco dictæ Missæ de Ssmo Corde alias celebrandæ, Oratio de Ssmo Corde sub una conclusione cum prima addi potest (cfr. *Add. et variat.*, II, 3), et num in casu Commemorationes præter supradictas omittuntur?

XV. Si dicta Feria VI inciderit infra Octavam Pentecostes, in Missa de die, loco Missæ de Ssmo Corde alias celebrandæ, estne dicenda *una tantum* Oratio?

F) *De Evangeliis in fine Missæ.*

XVI. Evangelium, quod in certis Festis B. M. V. sumitur de Communi Festorum B. M. V., estne Evangelium stricte proprium an non?

XVII. Evangelia, quæ dicuntur in Festis Angelorum, S. Pauli Apostoli, SS. Simonis et Iudæ Apostolorum, SS. Marci et Lucæ Evangelistarum, S. Stephani Protomartyris suntne stricte propria?

XVIII. Evangelium de Octava SS. Petri et Pauli Apostolorum, sub die 3 et 4 mensis iulii notatum, estne stricte proprium? Et si *affirmative*, rectene sic proceditur: Si die 4 mensis iulii Officium est de Octava, in Officio de Festo resp. Dominica, quod die 3 mensis iulii fiet, ultimum Evangelium non legitur de Octava, sin autem utraque die Commemoratio tantum fit de Octava, die priori Evangelium de Octava legitur in fine, die vero posteriori non?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam partem.

Ad II. Quoad Lectiones III Nocturni, provisum in primo. Quoad alias Lectiones, *Affirmative*.

Ad III. *Affirmative*, nisi Missa lecta de die fuerit Conventualis.

Ad IV. *Affirmative*.

Ad V. *Negative*.

Ad VI. *Affirmative* ad I partem, *negative* ad II partem.

Ad VII. *Negative* ad I partem, *affirmative* ad II partem.

Ad VIII. *Negative*, nisi agatur de Missis comprehensis etiam in novis Rubricis Missalis Romani, tit. IV.

Ad IX et X. *Negative* ad I partem, *affirmative* ad II partem.

Ad XI et XII, *Affirmative*.

Ad XIII. Serventur novæ Rubricæ Missalis Romani, tit. V, nn. III et IV.

Ad XIV. Serventur novæ Rubricæ Missalis Romani, tit. V, nn. III et IV, quoad Missas votivas solemnes pro re gravi et publica simul causa.

Ad XV. *Affirmative*, ratione Commemorationis Missæ de Ssmo Corde Iesu, admissis tamen, si quæ sint, collectis imperatis pro re gravi (1).

Ad XVI et XVII. Provisum per decretum de Evangeliis in fine Missæ legendis diei 29 aprilis 1922 (2).

Ad XVIII. *Affirmative*, et legatur ipsum Evangelium prima die qua fiet Octavæ Commemoratio, etsi dein persolvendum sit Officium eiusdem Octavæ.

Atque ita rescripsit ac declaravit die 16 iunii 1922.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. † S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

Adnotationes. — A/ *De festo Patroni principalis ejusque octava.*

Firma ergo stat regula qua infra octavam aliquam particularem Sancti, Patroni loci vel Titularis ecclesiæ, debet esse eadem missa ac in festo, idem igitur evange-

(1) Si verba hæc stricte sint sumenda, ex eis sequitur orationem propriam missæ diei cum commemoratione de SS. Corde « sub unica conclusione » (*Add. et Var.* II, 3) computandam esse ut « una tantum oratio ».

(2) *Collat. Brugen.*, t. XXII, p. 233.

lium, et consequenter homilia aliqua de hoc eodem evangelio.

Ad lectiones quod attinet: in I nocturno erunt de scriptura occurrente; in II nocturno, in diebus infra octavam sumuntur ex octavario romano si præsto sit, vel dicantur de communi (alternatim ex primo et secundo loco de communi), in die autem octava, dicantur ut in festo ; in III tandem nocturno, diebus infra octavam variantur etiam lectiones, si diversæ inveniantur in octavario vel in communi, sed semper de eodem evangelio festi, et in die octava debent esse ut in festo.

C/ *De missis defunctorum* (1).

Confirmatur quod antea valebat. Si nempe per rubricas licet celebrare missam quotidianam *Requiem* cantatam vel etiam lectam, si hæc missa offeratur pro defuncto nondum sepulto, celebranda est juxta formulare *in die obitus*, cum unica oratione et *Dies iræ* (dub. IV). Verum hæc dispositio nequit extendi ultra diem sepulturæ, etiamsi missa exsequialis rationabilem ob causam differatur ad aliam diem (dub. V). Sed applicanda est etiam diebus quibus celebratur missa privilegiata die III, VII aut XXX, die opportuniore post acceptum nuntium, die anniversaria etiam late sumpta (dub. VI).

Sed hoc notandum quod dies anniversariorum late dictorum (*a*/ quæ fundata sunt sed non in diem vere anniversariam ; *b* quæ pro omnibus defunctis alicujus cœtus semel quolibet anno habentur), si non sit determinata ex fundatione, potest quotannis eligi ad libitum celebrantis vel cœtus.

D/ *De solemnitatibus festorum in Dominicam translatis.*

Decretum generale super Motu proprio *Abhinc duos annos*, diei 18 oct. 1913 (2), suppresserat assignationem perpetuam cujusvis festi in quavis Dominica, et festis antea ita assignatis (v. g. solemnitati S. Joseph vel festo VII Dolorum) statuerat aliam diem fixam (tit. I, n. 2). Sed simul permittebat ut in Dominicam sequentem transferretur eorum solemnitas externa, quæ celebrari poterat vel per unicam missam de solemnitate (si festum esset dupl. II classis), vel per omnes missas (si festum esset dupl. I classis) exceptis tamen in utroque casu « missa *conventuali et parochiali* semper de officio diei dicendis ».

(1) Cf. *Calendar. liturg.* p. 14-15.

(2) *Collat. Brugen.*, XVIII, p. 700.

In novis autem rubricis (IV, 3) expresse agitur de translata in Dominicam minorem « solemnitate externa festi Patroni principalis aut Tituli vel Dedicationis propriæ ecclesiæ aut etiam Tituli vel Sancti fundatoris Ordinis seu Congregationis », quæ omnia sunt festa dupl. I classis. Sed insuper (tit. V, 3) agitur non solum de « missis de solemnitate externa duplicis I classis in Dominicam, juxta ipsum tit IV, n. 3 translata », sed etiam de « missis de solemnitate externa duplicis item II classis in Dominicam translata » (1). Et simul statuitur (II, 11) has missas non posse esse « *conventuales* », sed non prohibetur quominus sint « *parochiales* » seu pro grege celebrentur.

Unde quidam deduxerant jam non prohiberi missas de solemnitatibus translatis vi decreti generalis 28 oct. 1913 celebrare pro grege. Sed responsio ad VIII hanc extensionem non admittit, et privilegium eas celebrandi pro populo reservat iis solis quæ « comprehenduntur in novis rubricis Missalis tit. IV ». Nequit ergo missa de solemnitate translata S. Joseph aut VII Dolorum esse parochialis. Et sub hoc respectu manet in vigore decretum 28 octobris 1913.

Quod vero spectat *modum celebrandi* has missas, servari debent novæ rubricæ de missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa (2). Ita notatim quoad *commemorationes* (tit. IV, 3 = dub. IX); quoad influxum secundæ missæ cantatæ aut conventualis (V, 4): si itaque in missa de solemnitate omittenda est commemoratio Dominicæ, omittendum est *symbolum* (dub. X) et dicenda est *præfatio* communis (dub. XI) (3), nisi ipsa missa aut alia commemoratio facienda symbolum aut præfationem propriam requirant (4).

---

(1) Nonne his videtur alludi ad Decret. gener. 28 oct. 1913 ?

(2) Sicut infra statuitur de missa votiva de SS. Corde Jesu.

(3) Ita jam indicavimus in Calendario anni 1921 pro solemnitate S. Donatiani.

(4) Non videmus quomodo ex his responsis eruere possit doctissimus J. Pauwels (*Periodica*, t. XI, Oct. 1922, monumenta, p 120) « solemnitates decreto 28 oct. 1913 concessas... *non esse servitas* nisi in novis rubricis comprehendantur », quum in ipsis his responsis statuat S. Congregatio quomodo præcise sint celebrandæ missæ illarum solemnitatum. Restrictio enim « nisi agatur de missis comprehensis etiam in novis rubricis Missalis tit. IV » afficit tantum responsum ad VIII, de facultate celebrandi pro grege, non vero sequentia responsa.

E/ *De missa in honorem SS. Cordis Jesu.*

De missa votiva quæ in honorem SS. Cordis permittitur prima feria VI mensis nihil habent novæ rubricæ Missalis, et quæri poterat quousque novæ rubricæ essent applicandæ. Ex præsenti decreto sequitur hanc missam celebrandam esse *ad normam votivæ solemnis* pro re gravi et publica simul causa. Notatim admittuntur tantum commemorationes de duplici II classis et de feria majore, et collectæ imperatæ pro re gravi (1).

Si autem in prima feria VI de festo *Christi Domini* fiat officium, aut commemoratio aut vigilia aut dies infra octavam etiam simplicem, aut dies octava (2), non permittitur — extra ordinem officii — missa votiva de SS. Corde, quia de eadem persona Christi agitur dies in ipso ordine officii. Sed celebrari potest missa de dictis festo, vigilia aut octava, etiamsi forte de his juxta calendarium nihil esset faciendum, et quidem cum privilegiis missæ votivæ solemnis pro re gravi ut supra. Ipsa tenet locum missæ de SS. Corde, sed de hac nulla est facienda commemoratio, quia agitur de eadem persona Christi, etiamsi ageretur de mysterio non identico, vel quod antea habebatur ut non identicum, v. g. Epiphaniæ (3).

Regula quidem generalis est missam votivam non posse celebrari « die in qua fiat officium aut commemoratio vel occurrat vigilia aut dies infra octavam quamvis simplicem *de identico Domini mysterio* vel de eadem Sancti persona de qua esset canenda missa » votiva (II, 3). Sed ex decreto 2 junii 1916, ad I, apparet hanc restrictionem « *de identico Domini mysterio* » non esse attendendam, ubi agitur de missa votiva SS. Cordis Jesu et hæc verba in casu intelligenda esse : « de eodem Christo Domino ».

Ratio videtur esse quia « in sanctissimo Corde Jesu gloriantes *præcipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus* » (4), adeo ut objectum cultus SS. Cordis sit aliquatenus

(1) Ex novis rubricis (V, 3), in missa votiva solemni pro re gravi et publica causa faciendæ sunt insuper commemorationes « de Dominica quavis, de rogationibus » — sed hæ nunquam possunt incidere in primam feriam VI mensis — et etiam « de aliqua ex vigiliis aut octavis privilegiatis » — sed in his prohibetur votiva de SS. Corde (D. 3712).

(2) Iis æquiparatur festum Purificationis quod habetur ut festum Domini Jesu, et feria VI post octavam Ascensionis, in qua continuatur officium octavæ ejusdem (D. 4093, 3 et 8 jul. 1921).

(3) Cf. Decr. S. R. C. *Dubia*, 2 jun. 1916, ad I.

(4) Oratio festi SS. Cordis.

identicum cum omnibus mysteriis quæ de Christo Domino in liturgia recoluntur.

Prohibetur votiva de SS. Corde in festis duplicibus I classis et octavis privilegiatis (n. 3712). Quodsi hujusmodi festum aut octava *sit de Christo Domino*, celebranda erit missa festi aut octavæ, sine commemoratione SS. Cordis ut diximus. Si autem festum duplex I classis (v. g. Dedicationis aut Patroni loci) aut octava privilegiata (nempe Pentecostes) (1) *non sint de Christo Domino*, celebratur missa festi aut octavæ et orationi propriæ missæ additur, sub una conclusione, commemoratio SS. Cordis, ut statuitur pro casu missæ votivæ solemnis impeditæ ; aliæ commemorationes admittuntur tantum sicut in missa votiva solemni, ut supra diximus, nempe de duplici I classis. de feria majori et imperatæ pro re gravi,

F/ *De evangeliis stricte propriis in fine missæ..*

Ex citato decreto diei 29 aprilis 1922 (*Collat. Brugen.*, XXII, p. 234) eruitur :

1/ indubie ut stricte propria haberi evangelia quæ dicuntur in festis :

a/ B. Mariæ V. etiamsi sumatur de communi (sub XVI) ;

b/ SS. Angelorum ;

c/ SS. Simonis et Judæ, qui certe numerantur inter « XII apostolos » ;

2/ certe non esse stricte propria evangelia festorum

a/ SS. Marci et Lucæ qui non veniunt inter « XII apostolos » ;

b/ S. Stephani Protomartyris, qui nullibi indicatur in decreto.

3/ dubitari forte posset de festis S. Pauli, sed postea tantum adjunctus est duodecim apostolis et ideo non videtur sub numero « *duodecim* Apostolorum », de quibus expresse agit decretum.

Tandem etiam evangelium *Ecce nos reliquimus omnia*, proprium diebus infra octavam SS. Petri et Pauli, ex eodem decreto habendum est ut stricte proprium (2). Et statuitur merito regula illud esse legendum in fine missæ prima die qua fit commemoratio octavæ, etsi alia sequenti die sit celebranda missa ejusdem octavæ. Jamvero juxta calendarium Ecclesiæ universalis non est

(1) Ceteræ enim quinque octavæ privilegiatæ sunt de Christo Domino.

(2) Idem omnino dicendum de evangelio diei octavæ SS. Petri et Pauli.

faciendum officium aut commemoratio octavæ ante diem 3 julii, qua die ponitur in Missali missa cum evangelio *Ecce nos*. In diœcesi autem Brugensi, quum non celebretur festum, duplex II classis, Pretiosissimi Sanguinis, die 1 julii, agitur officium et missa diei octavæ S. Joannis Baptistæ, sed hoc officium, quum sit duplex majus tantum, admittit commemorationem diei infra octavam SS. Petri et Pauli: et ideo hac die 1 julii legendum est etiam evangelium stricte proprium *Ecce nos reliquimus*. Semel autem lectum jam non debet repeti in fine alicujus sequentis missæ: apud nos ergo non est legendum in fine missæ S. Leonis, die 3 julii, sicut faciendum est juxta calendarium Ecclesiæ universalis.

C. Callewaert.

Suprema S. Congregatio S. Officii.

Decreto 15 decembris 1922 (1) damnati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt libri: *Elementos de Lógica*. — *Elementos de Psicologia*. — *Elementos de Ética cientifica*, auctore P. Sanz Boronat.

(1) *Act. Apost. Sed.*, 1923, t. XV, p. 29.

Consultatio.

De benedictione puerperarum.

Q. *An post publicatum codicem juris canonici benedictio mulierum post partum adhuc dicenda sit functio stricte parœcialis?*

Respondetur distinguendo :

1° *De jure communi*, negative ; etenim codex can. 462 inter functiones parocho reservatas non commemorat benedictionem puerperarum. Olim decretum generale S. C. Rituum, 10 dec. 1703 (1) rem claro modo non conficiebat ; inde ab eo tempore decreta particularia in varium sensum fuerunt lata ; auctores autem non concorditer loquebantur (2). Recentiora tamen decreta S. C. Concilii, data die 13 junii 1893 et 18 jan. 1896, habebant benedictionem mulierum post partum ut functionem mere ecclesiasticam, parocho non reservatam. Præterea, quod notatu dignum est, in versione decreti generalis a. 1703 supracitati, quæ invenitur apud *Decreta authentica* S. Rit C., n. 2123, verba « benedictiones mulierum » in responso ad VI fuerunt omissa. Inde potius concludendum videtur, ante codicem, benedictionem puerperarum non amplius venisse inter functiones parœciales.

2° *De jure particulari*, affirmative. Etenim in diœcesi Brugensi, sicuti in aliis quibusdam Belgii diœcesibus, viget *consuetudo* saltem centenaria, jure particulari probata (3) et ab auctoribus testata (4), vi cujus puerperæ in

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.*, ed. 8, t. I, p. 771 ss.

(2) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XII, p. 158 ss.

(3) *Pastorale Brugense*, tit. *De introductione mulieris post partum*, editio a. 1838.

(4) Ita in omnibus editionibus *Compendii juris canonici* in Seminario Brugensi classici.

sola ecclesia paroeciali a solo parocho, vel alio sacerdote ex ejus licentia, benedictionem recipiunt. Quæ consuetudo, si consideretur ut *consuetudo præter legem*, quæ legem objective dubiam juxta certum et definitum sensum obligatorio modo observandam esse statuit, non corruit vigore codicis. Si vero habeatur ut *consuetudo contra statuta* novi codicis, tunc utpote ad minus centenaria, tolerari potest — et proinde servanda est — cum Episcopus Brugensis pro nostræ diœcesis adjunctis existimet eam prudenter submoveri non posse (1).

A. De Meester.

L'Édition vaticane de la Semaine Sainte et de l'Octave de Pâques.

Un nouveau volume de l'Édition vaticane vient de sortir des presses, l'*Officium Majoris Hebdomadæ et Octavæ Paschæ* (2). Le décret général de la Congrégation des Rites, qui porte approbation de cette édition et déclare qu'elle doit être considérée comme typique, est daté du 22 février 1922.

« Disons tout de suite que cet *Officium Majoris Hebdomadæ*... etc. est une sorte de *Totum :* dans un format

(1) Can. 5 codicis.

(2) Officium Majoris Hebdomadæ et Octavæ Paschæ, *a Dominica in Palmis usque ad Sabbatum in Albis, cum cantu, juxta ordinem Breviarii, Missalis et Pontificalis Romani.* Editio typica Vaticana. Romæ, typis polyglottis vaticanis, 1922, in-8°, VIII-640-30* pages. Prix du volume broché, L. 15 pour Rome, Fr. 19.60 pour l'étranger (port compris); du volume relié respectivement, L. 21.50 et Fr. 26.50. — Une édition partielle reproduit l'Office et la Messe des trois derniers jours de la Semaine Sainte: In Triduo Sacro Majoris Hebdomadæ. *Officium et Missa cum cantu, excerptum ex Officio Majoris Hebdomadæ.* Editio typica vaticana, 1922, IV-240 p. Prix du volume broché, L. 8 pour Rome, Fr. 10.80 pour l'étranger (port compris); du volume relié, respectivement L. 13 et Fr. 15.80.

élégant de 650 pages environ, il contient l'office *très complet* de cette *Quinzaine*, sans renvoi au Bréviaire, à l'Antiphonaire ou au Graduel. Tout l'Office, depuis les Matines du Dimanche des Rameaux jusqu'aux Complies du Samedi *in albis*, y compris les messes (même l'ordinaire des messes) s'y trouve, et intégralement noté, même le chant des quatre Passions à leur jour respectif, même la Bénédiction des Saintes Huiles du Jeudi Saint, etc. En sorte qu'un prêtre pourrait se contenter de ce volume pour dire ou chanter tout son office et célébrer solennellement toutes les messes de ces quinze jours » (1).

Faisons remarquer quelques particularités de la présente édition.

1° Le *texte* est celui de la dernière édition typique du Missel et du Bréviaire. Il s'écarte ainsi quelque peu des éditions antérieures de la Vaticane, qui ont rétabli dans les hymnes le texte ancien quand la mélodie traditionnelle semblait l'exiger. L'uniformité des livres liturgiques, a prévalu contre tout autre motif. L'unité complète se fera quand le texte du Bréviaire et du Missel sera soumis à une correction définitive.

Il s'en suit cependant certaines anomalies dans les livres liturgiques de chant. Un exemple fera saisir la chose. Le *Vexilla regis* présente dans les éditions successives de la Vaticane trois versions : la version antérieure à la correction d'Urbain VIII dans le *Graduale Romanum*, à l'office du matin du Vendredi Saint; le texte corrigé sous Urbain VIII, dans l'*Antiphonarium Romanum* et l'*Officium Hebdomadæ Sanctæ*, à Vêpres; un texte mixte où certains vers de la version ancienne sont repris, dans l'*Officium Hebdomadæ Sanctæ*, à l'office du matin du Vendredi Saint (2).

2° Quant *aux mélodies*, aucune modification n'a été introduite dans les chants repris au *Graduale* et à l'*Anti-*

---

(1) *Revue Grégorienne*, 1922, t. VII, p. 216.

(2) Voir d'autres exemples dans la *Revue Grégorienne*, *l. c.*, p. 217, notes; *Rev. de chant grégorien*, t. XXVI, p. 50.

phonarium: seule la figuration des neumes y a reçu de légères améliorations qui nous signalerons plus loin.

Dans les chants des Matines — partie neuve de la publication — il est quelques particularités intéressantes.

a) L'écriture musicale a gagné en clarté et en exactitude. On a nettement distingué les *bivirgas* séparées des *distrophas*, les premières étant indiquées par des *virgas* caudées, les autres par de simples *punctums;* le *salicus* ne se confond plus aussi aisément avec le *scandicus*, la première note du *salicus* étant clairement séparée des autres. On rencontre fréquemment dans les Répons, le *quilisma* à l'unisson de la note précédente, ce qui également est une innovation.

b) Les *Rubriques* indiquent avec toute la précision désirable la manière d'exécuter les chants. Nous en transcrivons une à titre d'exemple : Pendant l'office du Triduum sacrum « *ad omnes horas usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive, in fine Psalmorum et Canticorum, et in Responsoriis omittitur* Gloria Patri. *In officio cantato ultimi versiculi Psalmorum et Canticorum terminantur sicut et alii, scilicet in finali Antiphonæ convenienti. In officio vero recitato, ad omnes Horas, vox deprimitur per tonum in fine cujusque Psalmi, cantici et cujusque divisionis: item etiam in fine Psalmi* Miserére *qui post Horas voce submissa recitatur. — Oratio* Réspice *dicitur gravi et recta voce, et ultima syllaba deprimitur ut in Psalmis* ».

c) Le chant de la *Passion* est entièrement noté aux quatre jours de la Semaine Sainte; il reproduit la version officielle parue précédemment (1). Les *Lamentations* sont notées d'après la manière romaine ramenée à son type primitif. Elles offrent une psalmodie très simple du premier ton, avec la médiante ordinaire, une finale simplifiée et, au milieu, une formule qui combine les deux cadences (2). La dernière Lamentation, l'*oratio*

---

(1) Voir *Collat. Brugen.*, t. XX, p. 221 s.

(2) *Rev. de chant grégorien, l. c.*, p. 50.

Jeremix est présentée avec un ton ancien *ad libitum*, qui s'accorde parfaitement avec le Répons *Plange quasi virgo*, qui le suit. Ces formules archaïques sont certes pleines de caractère ; mais il faudra s'y habituer : elles paraîtront à beaucoup un peu dures et ne manquent pas de difficulté. Ces mêmes remarques s'appliquent au ton ancien qui a été choisi pour l'Invitatoire de Pâques, avec sa fréquente répercussion du triton *si-fa*. Cette version est suivie d'une autre plus récente *ad libitum*, qui a moins d'allure que la première, mais est plus chantante et plus gracieuse.

d) Ce qu'on remarque surtout dans les mélodies des *Répons*, c'est la tendance a choisir la version primitive, celle de plus anciens manuscrits et a rejeter des corrections traditionnelles, basées sur la nature instable de certaines notes et reproduites pendant des siècles par les manuscrits de la plupart des pays et des écoles. Citons la substitution fréquente du *si* naturel au *do*, par exemple, dans le Répons 8 *Aestimatus sum* du Samedi Saint; citons aussi le rétablissement partiel de la teneur primitive des VIIe, VIIIe, IIIe et IVe modes sur le *mi* et le *si*, par exemple dans le Répons *Insurrexérunt in me* du Lundi Saint, *Aestimatus sum* du Samedi Saint. Tous les grégorianistes savent que la note de récitation du IIIe mode fut primitivement le *si*, mais que de très bonne heure, et généralement dans toutes les églises de la liturgie romaine, elle glissa au *do* (1). Il nous semble que la Commission a quelque peu sacrifié à l'archaïsme une tradition fort respectable et aussi le côté pratique de la réforme grégorienne. Et puis — disons-le avec tout le respect dû à la Vaticane — ce défaut d'unité dans la confection des livres liturgiques de chant, ce manque de principes directifs qui devaient inspirer le choix des versions de l'œuvre toute entière, ces discussions d'écoles

(1) Voir WAGNER, *Der Kampf gegen die Editio Vaticana. Eine Abwehr*, p. 25 ss., Graz, 1907.

pour faire prévaloir des vues plus personnelles qu'objectives sont de nature à faire obstacle à la restauration liturgique et à propager l'idée que le travail accompli jusqu'ici est imparfait et devra subir des modifications dont on ne verra jamais la fin. Appliquez à l'Office des morts d'un usage si fréquent les normes suivies dans l'édition de la Semaine Sainte et vous serez persuadés des inconvénients de ces variations et de ces divergences.

Ces remarques toutefois ne visent que quelques points de détail ; dans son ensemble le nouveau volume de l'édition Vaticane est une grande et belle œuvre, qui mérite qu'on l'accepte non seulement avec docilité mais avec amour et reconnaissance.

A. De Meester.

Notæ Bibliographicæ

J. Salsmans. S. J. *Casus Conscientiæ propositi ac soluti ab E. Genicot*, Bruxellis, Dewit, 4ª ed., 1922. In-8°, 723 p.

Optime denuo meruit cl. Auctor de scientia theologica, hanc novam editionem parans Casuum conscientiæ olim a P. Genicot propositorum: cum post promulgationem Cod. canonici plures profecto solutiones ad trutinam revocandæ essent, nonnullique etiam casus de quæstionibus noviter ortis addendi viderentur, necnon responsiones olim traditæ in quibusdam punctis emendandæ. Quæ omnia feliciter, pro sua ingenii alacritate, præstitit P. Salsmans, omnes simul Casus, numero scilicet 1138, uno jam volumine complectens.

Quamobrem plurimum optamus ut et alumni in theologiæ gymnasiis, et sacerdotes in ministerio, hunc optimum librum manibus assidue revolvant.

G. Hoornaert, S. J. *Le combat de la pureté.*, Bruxelles, Action Catholique, 1922, in-12, 368 p.

Dans ce livre au titre belliqueux le R. P. Hoornaert, de la Compagnie de Jésus, lève l'étendard pour le Combat de la pureté ; et comme un général rompu aux exercices, il conduit la troupe des jeunes, tambour battant, à la conquête.

L'entête des chapitres résonne comme un coup de clairon: L'état militant — Garde à vous! — L'ennemi — L'attaque — La défaite — La victoire.

Le style est à l'avenant : net, vif, alerte, sonnant la charge, fonçant droit sur l'ennemi.

Le plan de campagne ou plutôt de défense est fort bien combiné : instruire d'abord les recrues et les armer pour le combat, tout en leur inspirant la fierté et le noble désir de vaincre; les lancer ensuite dans la mêlée en dirigeant la manœuvre, parant les coups de l'adversaire et déjouant ses ruses; enfin faire face aux revers, en réparant les pertes, pansant les blessures, ranimant les courages, stimulant les revanches. Et l'action se poursuit ainsi jusqu'au triomphe final, sans armistice.

Bref, un beau et bon livre, qui a droit de résidence dans toute bibliothèque de jeunesse catholique.

E. Hosten.

70 *Nieuwe geestelijke Liederen met orgelbegeleiding* door eenige Minderbroeders der Belgische Provincie, 87 bl. Fr.8. — *Noten en Tekst*, 97 bl. Fr. 2,50. Mechelen, S^t^Franciskus' drukkerij, 1922.

R. Ghesquiere. *Honderd geestelijke Liederen met begeleiding*, 103 bl. Fr. 12,50. Noten en tekst, 172 bl. Fr. 2,50.

Twee puike verzamelingen van geestelijke liederen inhoudende een rijken voorraad schoone en vrome gedichten, getoonzet door flinke muzikanten ten nutte van ons vlaamsche volk om het te leeren bidden meteen en zingen.

Alle bei verdienen warm aanbevolen te zijn, alle bei stemmen den zanger tot godsvrucht, alle bei bevatten kunstvolle en echt geestelijke melodiëen, vatbaar voor de geloovigen, veredelend voor het gemoed, waaronder er ware juweeltjes te vinden zijn wier schoonheid nog meer uitstraalt door de zoetklinkende harmonie waarop zij steunen en door de voor-, na- en tusschenspelen die ze omlijsten. Zing en smaak, onder meer, uit de eerste verzameling: nº 3, *Hoe eenzaam;* nº 5, *Ik weet u rustend;* nº 17, *Wat zijt gij schoon;* nº 46, *Christus is geboren*; nº 59, *Het licht van Christus;* en uit de tweede: nº 1, *Oneindig wezen God;* nº 10, *Kinderkerstlied;* nº 40, *Mijn herte niet en traagt;* nº 47, *o Maria die daar staat;* nº 49, *Wees gegroet;* nº 97, *Ten laatste Avondmale*, enz.

Moest ik nu wijzen op de hoofdhoedanigheden van deze twee bundels, dan loofde ik bij de verzameling der EE. Paters Minderbroeders de franciscaansche eenvoudigheid, innigheid en godvruchtigheid, en bij die van den Heer Ghesquiere, de hooge innerlijke en dichterlijke weerde van den tekst, de ongemeene en rijke verscheidenheid van trant, van begeleiding, van oude en moderne liederen, de sobere sierlijkheid van het muzikaal geschrift, dit alles gepaard met een ware geestelijke bezieling.

Zoo dat van de twee verzamelingen misschien wel de tweede mij de liefste is.

A. Piérard. *Traité de psalmodie. Sémiographie S 4 6* 4 X 2*. Tamines, Duculot, 1921, 72 p. F. 2.80.

Du même. *Formulaire complet des tons de la psalmodie, précédé d'une notice explicative sur la Sémiographie* S 4 6* 4 X 2. Tamines, Duculot, 1922, 15 p. F. 0.60.

Du même. *Psautier des fidèles. Sémiographie S 4 6* 4 X 2 complète et unique pour toutes les formules.* Tamines, Duculot, 1922, 24 p. F. 1.

Du même. *Psautier-paroissial* S 4 6* 4 X 2, comprenant le Psautier Vespéral complet, les complies domini-

cales, l'office des défunts, les Petites Heures dominicales et festivales, 6e edition. Tamines, Duculot, 1922, 130 p. F. 3 cart.

Nous recommandons chaudement les publications grégoriennes de Monsieur l'abbé Piérard à quiconque est chargé d'enseigner et de pratiquer la psalmodie. L'auteur parfaitement au courant de la théorie et de la pratique du chant des psaumes est un maître en la matière. Son système sémiographique simple et complet, est apte à rendre facile l'exécution de toutes les formules psalmodiques. Il suffit de l'expliquer clairement et brièvement. A ce point de vue il nous semble que la pédagogie de l'auteur gagnerait à être moins compliquée dans sa terminologie et dans ses procédés.

La recherche de la paternité des divers systèmes sémiographiques a donné occasion à des escarmouches de presse. Nous n'intervenons pas dans ce conflit, nous contentant d'affirmer un principe : Cette sémiographie doit avoir nos préférences qui, pour le commun des chantres, rend le plus simplement et le plus complètement les formules vaticanes de la psalmodie. Toute simplication est ici un progrès.

Nouveau Manuel paroissial de chant grégorien. Grenoble. Bureau grégorien, Paris, de Gigord. 1re fascicule. *Kyriale et Messe des défunts avec absoute*. F. 1.30; 3e fascicule. *Psautier vespéral*. F. 1.50.

Ce qui fait la nouveauté de ce Manuel paroissien c'est qu'il combine la notation grégorienne traditionnelle avec le système moderne de la clef de sol. C'est une facilité appréciable pour les chanteurs novices; c'est une vraie difficulté pour ceux qui étaient accoutumés aux clefs de l'ancienne portée. Les accidents sont réduits au strict minimum: un bémol et un dièze ; toutefois pour guider l'accompagnateur et le maître de chœur on indique à la fin du morceau, s'il y a lieu, l'armature de transposition. Quelques signes rhythmiques facilitent l'ensemble. Des indications métronomiques précisent le mouvement. Une traduction française aussi littérale que possible, se trouve au dessous du texte latin.

Le *Kyriale* comprend, après des notions de chant grégorien, le plus grand nombre des pièces de l'édition Vaticane.

Le *Psautier*, précédé de notions de psalmodie, contient l'ordinaire des vêpres et les complies pour tous les Dimanches, les vêpres de la Ste Vierge et du Saint Sacrement, les psaumes usuels: les antiennes de la Vierge etc. Un système typographique très simple et très facile à saisir permet aux fidèles de chanter sans difficulté les psaumes dans les différents tons.

Ces éditions se recommandent par des qualités sérieuses: nous sommes persuadés qu'elles obtiendront le succès qu'elles méritent.

A. De Meester.

Hugon, E. (O. P.) *Principes de Philosophie. Les vingt-quatre thèses thomistes.* Paris, Téqui, 1922. — In-12, IX-308 p. — Pr. 7 fr.

Dans le présent volume le R. P. Hugon a voulu donner à chacune des thèses proposées par la s. Congrégation des Études (1), comme contenant les principes et les grands points de doctrine de s. Thomas (principia et pronuntiata majora), un commentaire bref et substantiel, qui évitant toute polémique, tendrait uniquement à exposer et à expliquer leur contenu avec sérénité, avec clarté et avec précision.

« L'ensemble de ces propositions », remarque l'A. dans sa préface, p. VIII, « constitue un véritable abrégé de toute la philosophie : on part des sommets de l'ontologie pour descendre ensuite aux problèmes de la philosophie naturelle, et, après avoir condensé la doctrine psychologique, on remonte à Dieu, premier Être et premier Moteur ». D'où la division en quatre parties : 1/ L'ontologie de s. Thomas (th. I à VII); 2/ cosmologie (th. VIII à XII); 3/ biologie et psychologie (th. XIII à XXI) ; 4/ théodicée (th. XXII à XXIV).

L'A. a nécessairement dû se borner dans ses explications; néanmoins, afin de montrer l'harmonie des doctrines thomistes, il signale à l'occasion les diverses applications à l'ordre surnaturel et ajoute même quelques compléments théologiques à la théodicée, pour que le traité de Dieu ait l'ampleur qui lui convient. L'A. indique soigneusement à propos de chaque proposition les endroits précis des œuvres de s. Thomas, où l'on peut retrouver la thèse; il note également les principaux ouvrages à consulter si l'on désire faire une étude plus complète.

L'ouvrage du R. P. Hugon, utile à quiconque veut s'initier à la philosophia perennis, que l'Église ne cesse de recommander, peut rendre de grands services spécialement aux étudiants ecclésiastiques et aux prêtres qui voudraient approfondir les notions et les principes, qui sont à la base de la partie spéculative ou scolastique de la théologie. H. LAMIROY.

E. Poppe. *Bij den kindervriend.* Geestelijk handboekje voor de kinderen van E. K. Biecht- en Kommunieoefeningen. Bezoekjes, overwegingen en gebeden. Sekretariaat van E. K. Abdij van Averbode.

Dat boekje heet ik een zegen voor ons jong geslacht. Het bevat een waar *manna*, d.i. een volledig voedsel voor de zielen der kinderen. Hier zullen ze leeren volmaakt bidden en bijgevolg volmaakt leven. Ouders, meesters, priesters steekt het aanstonds in de handen uwer kinderen en leert het hun gebruiken : 't zal een ommekeer teweeg brengen in de kinderwereld. En waarom zouden wij zelf er niet gaan leeren bidden lijk de kleinen ? A. LEGRAND.

(1) *Acta Apost. Sedis*, VI, 1914, p. 383 s.; textum vide apud *Collat. Brugen.*, XIX, p. 596 s., cum adnot., ibidem, p. 599 s.

Collationes Brugenses

Litteræ encyclicæ

AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE SANCTO FRANCISCO SALESIO TERTIO PLENO SÆCULO AB EIUS OBITU (1).

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Præambulum De necessitate ut tum individui tum gentes ad Deum, duce Ecclesia, redeant.

Rerum omnium perturbationem, quæ nunc adest, cum proxime in Encyclicis Litteris consideraremus medendi gratiâ, vidimus in ipsis hominum animis inhærere malum, eiusque sanationem tum demum sperari posse si Iesu Christi medica per Ecclesiam sanctam manus invocetur. Etenim hæc tanta cohibenda est intemperantia cupiditatum, quæ, bellorum litiumque causa princeps, sicut communem vitæ consuetudinem, ita nationum commercia pervertit; deducendæ simul a fluxis caducisque bonis mentes singulorum, atque ad sempiterna et immortalia, quorum incredibilis incuria plerisque incessit, convertendæ. Cum autem singuli fere officium sancte servare instituerint, eo ipso melius erit humanæ societati. Atqui huc omne spectat cum magisterium tum ministerium Ecclesiæ catholicæ, ut homines et traditæ divinitus veritatis prædicatione erudiat et uberrimis divinæ gratiæ effusionibus sanctificet; atque ita hanc ipsam civilem societatem, quam olim ad christianos spiritus conformavit et finxit, ubi de via deflectentem animadverterit, revocare in pristinum contendat.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 49 s.

Hoc opus reducendi homines ad Deum felicissime exsequitur Ecclesia proponendo sanctos in exemplum perfectionis, ad quam omnes tenentur.

Ecclesia vero huiusmodi sanctificationis opus apud universos omnes felicissime persequitur, quoties, Dei beneficio ac munere, ei contingit alios ex aliis egregios filios ad imitandum vulgo proponere, qui in omnium exercitatione virtutum admirabiles exstiterunt. Quod quidem admodum ea facit suæ ipsius naturæ congruenter, cum a Christo auctore suo sancta constituta sit et sanctitatis effectrix, cumque omnes, qui ea duce magistraque utuntur, ex Dei voluntate ad vitæ sanctimoniam niti debeant. *Hæc est voluntas Dei*, ait Paulus (1), *sanctificatio vestra;* quam quidem cuius generis esse oporteat, Dominus ipse sic declarat: *Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est* (2). Nec vero quisquam putet ad paucos quosdam lectissimos id pertinere, ceterisque in inferiore quodam virtutis gradu licere consistere. Tenentur enim hac lege, ut patet, omnino omnes, nullo excepto; nec, ceteroquin, quotquot ad christianæ perfectionis fastigium pervenerunt, quos quidem pæne innumerabiles ex omni ætate atque ordine fuisse testatur historia, iis aut non eadem, quæ reliquis, naturæ infirmitas obtigit, aut non similia fuerunt pericula obeunda. Scilicet, ut præclare Augustinus: *Non Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis* (3).

Salesius fuit a Deo oppositus novatorum hæresi, unde exorta est defectio humanæ societatis ab Ecclesia.

Iamvero, Venerabiles Fratres, quæ peracta est superiore anno commemoratio sollemnis de nostris illis heroibus Ignatio Loyoleo, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, Theresia a Iesu et Isidoro Agricola, qui tertio ante sæculo in album Sanctorum adscripti essent, ea non parum visa est ad christianæ vitæ studium in populo excitandum valuisse. Nunc autem auspicato accidit cœlestis natalis trecentesimus sanctissimi viri, qui non solum ipse virtutum omnium excellentia eluxit, sed etiam magisterio ac disciplina sanctitatis. Franciscum Salesium dicimus, Episcopum Genevensem et Ecclesiæ Doctorem; qui quidem, non secus atque illa christianæ perfectionis sapientiæque lumina quæ memoravimus, videtur oppositus esse a Deo Novatorum hæresi, unde illa exorta est humanæ societatis ab Ecclesia defectio, de cuius tristibus acerbisque eventibus hodie optimus quisque merito con-

(1) 1 *Thess.*, IV, 3.
(2) MATTH., V, 48.
(3) S. AUG., *De natura et gratia*, c. 43, n. 50.

queritur. Atque etiam videtur Salesius singulari Dei consilio Ecclesiæ datus, ut et actione vitæ suæ et doctrinæ facultate opinionem illam profligaret eius temporibus iam inveteratam, quæ ne hodie quidem refrixit, veri nominis sanctitatem, qualem catholica proponit Ecclesia, aut adæquari non posse, aut certe tam arduam esse ad assequendum, ut in plerosque fidelium minime cadat, sed paucis tantummodo, iisque magno atque excelso animo præditis, conveniat : eandem, præterea, tantis implicari fastidiis ac tædiis, ut ad viros mulieresque extra claustra degentes neutiquam accommodetur. Itaque desideratissimus decessor Noster Benedictus XV, cum de illis quinque cælitibus solemnem sermonem haberet, beatum Francisci Salesii obitum attingens proxime celebrandum, proprias hac de re Litteras se ad Ecclesiam universam daturum pollicebatur. Hoc Nos decessoris propositum, tamquam hereditate acceptum, libentissime exsequimur, eo magis quod sperare licet, futurum, ut commemorationis haud ita multo ante habitæ fructus huius propediem ordiendæ fructibus cumulentur.

Imprimis singulari Dei consilio Ecclesiæ datus est ut doceret sanctitatem omnibus possibilem et obligatoriam.

Iam si Salesii vitam studiose consideremus, fuit hic usque ab ineunte ætate specimen sanctimoniæ, et illud non severum ac triste, sed blandum et commune omnibus, ut vere de eo prædicari posset : *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium* (1). Etenim cum virtutibus omnibus exsplendesceret, tum eximiam præ se tulit animi mansuetudinem, quam propriam eius et singularem notam recte dixeris, omnino tamen dissimilem eius fucatæ benignitatis, quæ in quodam munditiarum urbanarum studio et immoderatæ comitatis ostentatione posita est, alienamque prorsus vel a lentitudine seu apathia quæ nulla re commovetur vel a timiditate quæ ne tum quidem audet, cum oportet, stomachari. Hæc sane præcipua Salesii virtus, ex intimo pectore tamquam dulcissimus fructus caritatis erumpens, cum scilicet miserationis atque indulgentiæ spiritu maxime contineretur, ea suavitate et oris gravitatem temperabat et corporis gestum et vocem aspergebat, ut studiosam omnium reverentiam ipsi conciliaret. Legimus, consuevisse nostrum facillime admittere amanterque excipere

1a pars. A. — Vita et virtutes Franc. Salesii.

Mansuetudo ipsius eximia.

(1) *Sap.*, VIII, 16.

Hæc specialis ejus virtus præprimis in flagitiosos homines et apostatas eluxit.

omnes, flagitiosos homines in primis et apostatas, qui domum ad se, culpæ eluendæ emendandæque causâ, confluerent; eundem in deliciis habuisse reos carceribus inclusos, quos crebro invisens multiplicibus recreabat suæ caritatis officiis; neque minus indulgenter solitum esse cum famulis suis agere, quorum segnitiam temeritatesque toleranter in exemplum patiebatur. Quæ eius mansuetudo, quemadmodum ad universos pertinebat, sic nullo unquam tempore, nec in prosperis nec in adversis rebus, factum est ut deficeret: eum igitur, quantumcumque divexarent, nunquam hæretici eo minus comem sibi facilemque experti sunt. Cum enim, anno post initum sacerdotium, Episcopo Genevensi Granerio ipse, invito ac repugnante patre, ultro se ad Chaballicenses Ecclesiæ reconciliandos obtulisset, traditamque sibi perlibenter eam provinciam, magnam quidem ac difficilem, tanto studio exsequeretur, nullos ut labores recusaret, nulla vel capitis pericula refugeret, ad salutem tot hominum millibus parandam non tam eius summa doctrinæ copia ac dicendi vis et facultas, quam invicta in peragendis sacri ministerii partibus benignitas profuit. Sæpe solitus memorabilem illam vocem edere: *Apostoli non aliter nisi patiendo pugnant, nec nisi moriendo triumphant*, vix credibile est quam impigre quamque constanter Iesu Christi causam apud Chaballicenses suos egerit: qui, ut fidei lumen christianæque spei solacia iis afferat, per supinas valles angustosque saltus repere; defugientes inclamando persequi; inhumane repulsus, insistere; minis appetitus, ad institutum redire; e deversoriis identidem deturbatus, noctes inter frigora et nives sub divo agere; nullo adstante, operari sacris; subducentibus se fere omnibus, contionari; integram tamen retinere semper suam animi tranquillitatem, suam in ingratos homines caritatem suavissimam, qua pervicaciam adversariorum, quantumvis obfirmatam, ad extremum expugnat.

Ita nimirum quando Chaballicenses cum Ecclesia reconciliavit.

Mansuetudo Salesii fuit fructus arduæ et perpetuæ contra suam indolem luctæ.

Verum si quis putet, Salesium hanc animi indolem sortitum esse eumque unum ex iis perbeatis fuisse hominibus quos *in benedictionibus dulcedinis* gratia Dei prævenerit, vehementer errat. Quin Francisco, ex ipsa corporis constitutione, acrior quædam natura obtigit atque iram præceps, at is, Iesu Christo sibi ad imitandum proposito, qui edixerat: *Discite a me, quia mitis sum et*

humilis corde (1), animi sui motus perpetuo exploravit et, vi in se adhibita, coercuit edomuitque adeo, ut Deum pacis et mansuetudinis tam in se ad vivum expresserit quam qui maxime. Quam rem illud præclare confirmat quod proditum memoriæ est, medicos, qui sacrum eius corpus post obitum curaverunt, in eo rite condiendo fel prope lapidescens atque in minutissimos calculos concisum invenisse : quo ex portento iudicasse, quanta vi quantoque nisu ei constare debuisset ut quinquaginta annorum spatio nativam iracundiam contineret. Nimirum ex animi fortitudine, quam quidem perpetuo fidei vigor atque ignis divinæ caritatis alebat, omnis illa exstitit Salesii lenitas, ut aptissime in eum quadret quod est in sacris Litteris : *De forti egressa est dulcedo* (2). Nec vero fieri poterat, quin *pastoralis mansuetudo*, qua florebat, quaque, ut ait Chrysostomus, *nihil violentius* (3), eam in alliciendis hominum voluntatibus haberet efficacitatem, quæ mitibus divino promittitur oraculo : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (4). Ceterum quam forti esset pectore hic, de quo exemplum mansuetudinis capere licebat, tum vero clarissime apparuit quotiescumque ei fuit cum potentibus pro gloria Dei, pro Ecclesiæ auctoritate, pro animarum salute certandum. Ut, cum ecclesiasticæ iurisdictionis immunitatem adversus Senatum Chamberiensem defendit; a quo cum litteras minaces accepisset, eum sibi redituum partem abiudicaturum, non modo congruenter dignitati suæ legato respondit, verum etiam ab vindicanda iniuria non ante conquievit quam Senatus plene ipsi satisfecit. Eademque animi constantiâ Principis iram subiit, apud quem cum fratribus iniuriâ insimulatus erat, neque minus acriter optimatum voluntati restitit in sacris beneficiis conferendis ; itemque, omnia nequiquam expertus, animadvertit in contumaces qui Ordini canonicorum Genevensium decumam fructuum denegassent. Itaque evangelica libertate cum in publica vitia invehi, tum simulatam virtutem pietatemque consueverat detegere ; veritusque, si unquam alius, Principum maiestatem,

Forti erat nihilominus pectore quoties ei pro gloria Dei et animarum salute erat certandum.

(1) Matth., XI, 29.
(2) *Iudic.*, XIV, 14.
(3) *Hom. 58 in Gen.*
(4) Matth., V, 4.

semper tamen ita se gessit ut eorum nec assentaretur cupiditatibus nec intemperanti arbitrio obsequeretur.

B. — Opera scripta Salesii.

Iam videamus, Venerabiles Fratres, quemadmodum Salesius, cum se ipse præberet amabile exemplum sanctitatis, idem tutam expeditamque omnibus christianæ perfectionis viam scribendo commonstraverit, atque ut, in hac quoque re, Iesum Dominum, qui *cœpit facere et docere* (1), imitatus esse videatur. Plurima quidem sunt quæ hoc ipso consilio edidit eaque nobilissima scripta; in iis vero duo illi eminent vulgatissimi libri, quorum alter *Philothea*, alter *Tractatus de amore Dei* inscribitur.

a/ Philothea, id est, Introductio ad vitam devotam, in qua germana pietas omnibus possibilis exponitur.

Ad priorem autem quod attinet, postquam Salesius germanam pietatem ab ea distinxit asperitate quæ animos in virtutis exercitatione terrendo debilitat, licet non illo exuat æquo rigore qui christianæ disciplinæ congruit, in eo totus est ut ostendat, sanctitatem cum omnibus civilis vitæ officiis condicionibusque conciliari optime, atque in media sæculi consuetudine quemvis accommodate ad salutem posse degere, modo ne mundi hauriat imbibatque spiritum. Ipso interea magistro discimus id quidem facere — culpa nimirum excepta — quod omnes solent, at simul, quod plerique non solent, id ipsum sancte facere et ea quidem mente ut Deo placeamus: præterea docemur decorum servare, quod ipse venustum virtutum ornatum appellat; naturam non abolere, sed vincere, et paullatim parvoque nisu in cœlum evolare, columbarum more, si aquilarum non licet, id est vitæ sanctimoniam communi assequi via quando ad singularem perfectionem non destinamur. Idem gravi eoque expedito scribendi genere, subtilique et festiva verborum sententiarumque usus varietate, qua præcepta commendantur fiuntque gratiora legentibus, postquam exposuit, esse nobis ab omni culpa, malis a propensionibus, a rebusque inutilibus ac noxiis abstinendum, dicere aggreditur quibus exercitationibus animum excolere et/qua ratione cum Deo coniungi debeamus. Deinde, hoc posito, peculiarem aliquam deligendam nobis esse virtutem, ad quam sine intermissione contendamus donec eius compotes simus, tum de singulis virtutibus agit, de decentia, de honestis probrosisque colloquiis, de licitis periculosisque oblectamentis, de fidelitate erga Deum retinenda, deque con-

(1) Act. I, 1.

iugum, viduarum virginumque officiis Idem denique præcipit, quibus artibus pericula, tentationes voluptatumque illecebras cum dignoscamus, tum superemus, et quo pacto animi statum per sancta proposita redintegremus quotannis ac renovemus. Atque hic liber, quo quidem nullum in hoc genere absolutiorem prodiisse æquales eorum temporum censuerunt, utinam hodie ab omnibus pervolutetur, uti olim in manibus omnium tamdiu versatus est; tum vero christiana ubique gentium pietas revirescerent et communi filiorum suorum sanctitate Ecclesia Dei lætaretur. Eo etiam maioris momenti ac ponderis est *Tractatus de amore Dei*, in quo sanctus Doctor, quasi quandam Dei caritatis historiam scribere aggressus, narrat quæ eius fuerit origo et quæ progressiones, atque etiam quare in animis hominum defervescere ac languere cœperit; tradit deinceps, quomodo in ea exerceamur ac proficiamus. Oblata vero opportunitate, difficillimas quæstiones dilucide explanat, ut de gratia efficaci, de prædestinatione, de vocatione ad fidem; et, ne ieiuna currat oratio, eam — quæ erat illius ingenii ubertas et celeritas — tam festiva iucunditate tantoque pietatis odore conspergit, ea similitudinum varietate iisque et exemplis et locis aptissimis ornat, e Scriptura sacra plerumque depromptis, ut liber non tam ex eius mente quam ex visceribus medullisque manasse videatur. Principia autem spiritualis vitæ, quæ in duobus hisce voluminibus explicaverat, in usum animarum ipse convertit cum in cotidiano ministerio, tum in admirandis illis, quas exaravit, *Epistolis;* eademque ad gubernationem accommodavit Sororum a Visitatione, quarum Institutum, ab ipso conditum, eius adhuc spiritum religiosissime retinet. Etenim moderationem ac suavitatem in hac sodalitate, ut ita dicamus, spirant ac sapiunt omnia: cuius sodalitatis est proprium, ut virginibus feminisque viduis ac matronis vel debilibus atque ægris vel ætate provectis pateat, quarum vires incitatum animi studium haud exæquare videantur. Non enim ibi vigiliarum et psalmodiæ diuturnitas, non pœnitentiæ vel expiationum asperitas, sed legibus tam mitibus tamque remissis obtemperatio, ut moniales etiam, quæ minus valent, omnia sibi imperata explere facile possint. Verum eiusmodi facilitas atque in agendo iucunditas eo informari debet caritatis igne, qui efficiat, ut religiosæ mulie-

b/ Tractatus de amore Dei in quo quasi historia divinæ caritatis adumbratur.

c/ Admirandæ epistolæ in quibus principia vitæ spiritualis in usum animarum convertuntur.

De regula Sororum a Visitatione.

res, quæ Salesio auctore gloriantur, cum se penitus abnegent, tum modestissime pareant, et, non speciosas sed solidas persequendo virtutes, sibimet moriantur ut Deo vivant. In quo quis non agnoscat singularem illam suavitatis cum fortitudine coniunctionem, qualem in legifero Patre admiramur?

d Liber Controversiarum, in quo plena catholicæ fidei demonstratio habetur.

Multa quidem Salesii scripta præterimus, unde etiam *cælestis eius doctrina, veluti aqua vivæ flumen, irrigando Ecclesiæ agro... utiliter populo Dei fluxit ad salutem* (1); at facere non possumus quin *Controversiarum* librum memoremus, in quo, sine ulla dubitatione, *plena catholicæ fidei demonstratio* (2) habetur. In comperto est, Venerabiles Fratres, quibus temporibus sacram ad Chaballicenses expeditionem Franciscus susceperit. Cum, uti rerum gestarum scriptores enarrant, a Sabaudiæ Duce cum Bernensibus et Genevensibus exeunte anno MDLXXXXIII induciæ essent initæ, tum maxime visum est, ad Chaballicenses Ecclesiæ reconciliandos nihil magis profuturum, quam si, missis illuc studiosis doctisque divini verbi præconibus, persuasione adhibita, sensim ad fidem allicerentur. Cum autem is, qui primus regionem adiit, vel quod hæreticorum desperaret emendationem vel quod sibi metueret, e sacro certamine discessisset, Salesius, qui sese, ut diximus, Episcopo Genevensi missionalem obtulerat, mense Septembri anno MDLXXXXIV, pedes, sine cibariis domesticisque copiis, nullo nisi fratris patruelis comitatu, ieiuniis precibusque ante iteratis cum sibi unice a Deo prosperum incepti exitum sponderet, in regionem hæreticorum ingreditur. Sed cum illi contiones declinarent, eorum errores deliberavit per schedas convincere in sermonum intervallis a se exaratas, quarum exscripta exemplaria, de manu in manum tradita, inter hæreticos quoque insinuarentur. Quæ paginarum confectio gradatim conquievit tum denique cum incolæ sacris contionibus frequentissimi interesse cœperunt; schedæ autem manuipsius Sancti Doctoris scriptæ et post eius obitum dissipatæ, multo post in volumen collectæ sunt et decessori Nostro Alexandro VII oblatæ; cui postea contigit, ut eundem cum in beatorum tum in sanctorum cœlitum numerum, iudicio rite absoluto,

Salesius missionalis apud protestantes; quomodo ad hunc librum conficiendum perductus fuerit.

(1) Litt. Ap. Pii IX d. 16 Nov. 1877.

(2) Ibidem.

referret. Iamvero in hisce *Controversiis* sanctus Doctor, quamquam concertatoriam quasi supellectilem superiorum ætatum commodissime adhibet, est tamen semper in disputando suus ; ac, primum omnium, illud confirmat, auctoritatem in Ecclesia Christi ne cogitari quidem posse nisi legitimo mandato tributam, quo hæretici sacrorum administri prorsus careant ; tum convictis eorum de Ecclesia natura erroribus, proprias veræ Ecclesiæ notas definit, easque demonstrat in catholica quidem Ecclesia reperiri, contra in reformata desiderari Deinde *Regulas fidei* diligenter explanat, et eas violari ab hæreticis, apud nos autem sancte custodiri ostendit ; peculiares denique tractatus adiicit, e quibus tamen solæ exstant de Sacramentis et de Purgatorio disputationes. Mirabile est autem quam copioso doctrinæ apparatu et quam sapienter instructa tamquam acie argumentorum noster adversarios adoriatur, eorumque mendacia et fallacias, ironia etiam dissimulantiaque felicissime usus, patefaciat. Cuius si aliquando verba videntur vehementiora, ex iis tamen eminet, ut ipsimet fatebantur adversarii, omnis disputationis eius moderatrix, vis caritatis ; nam vel quando errantibus filiis eorum a catholica fide defectionem exprobrat, non alio eum spectare apparet, nisi ut viam sibi muniat ad eorum reditum enixe implorandum. Sed enim vel in controversiarum libro eandem animi effusionem reperire licet eundemque illum spiritum, quo redundant opera ad fovendam pietatem ab eo confecta ; oratio autem tam elegans, tam urbana, tam bene ad persuadendum composita, ut ipsi hæresis administri asseclas suos soliti essent admonere, ne Genevensis missionalis blandimentis allici se et capi paterentur.

Quomodo in hisce Controversiis procedat.

Itaque, Venerabiles Fratres, cum de Francisci Salesii rebus gestis et scriptis aliquid delibaverimus, reliquum est ut vos cohortemur ad sæcularem eius memoriam in singulis vestris diœcesibus salubriter celebrandam. Neque enim velimus eiusmodi sollemnia sterili quadam præteritarum rerum commemoratione absolvi, aut paucos ad dies contrahi, quin cupimus, ut hoc vertente anno ad diem usque octavum et vicesimum mensis Decembris, quo die is ad cœlestia evolavit, quam accuratissime poterit, de virtutibus et præceptis Sancti Doctoris fideles edocendos curetis. Vestrum igitur in primis erit, hæc verba Nostra ad clerum populumque vobis concreditum

2a pars. Cohortatio ad sæcularem memoriam in omnibus diœcesibus celebrandam.

perferre, atque illustrare diligenter. Illud enim præcipue Nobis in optatis est, ut fideles ad sanctitatis uniuscuiusque propriæ colendæ officium revocetis, cum nimis multi sint qui vel nunquam de vita æterna recogitent vel salutem animæ suæ prorsus neglegant. Alii enim, operosis negotiis implicati, nihil curant nisi de pecunia congerenda, dum animus misere esurit : alii vero, voluptatibus dediti, sic se abiiciunt in terram, ut gustatus earum rerum, quæ supra sensus sunt, obtundatur in iis atque hebescat ; alii denique ad tractandam accedunt rem publicam, de civitate quidem solliciti, at sui ipsorum immemores. Quare vos, instituto Salesii, efficite, Venerabiles Fratres, ut populus intellegat, vitæ sanctimoniam haud esse singulare beneficium, quod aliquibus concedatur, ceteris posthabitis, sed communem omnium sortem et commune officium : virtutum vero adeptionem, etsi in labore posita est — qui labor voluptate animi solaciisque omne genus compensatur — esse tamen unicuique parabilem divinæ gratiæ præsidio quod nulli denegatur. Potissimum autem fidelium imitationi Francisci mansuetudinem proponite ; hæc enim virtus, quæ tam pulcre reddit atque exprimit Iesu Christi benignitatem ac tantum potest ad alliciendos homines, si semel animos vulgo pervaserit, nonne publicæ privatæque rationes facile componantur ? Nonne hac cum virtute, quam recte dixeris exteriorem divinæ caritatis ornatum, in domestico convictu atque etiam in civitate summa tranquillitas et concordia consistat ? Atque apostolatui, quem vocant, cum sacerdotum tum laicorum, si quidem christianam lenitatem præferat, numquid non ingens accedat vis ad societatem hominum emendandam ? Videtis igitur quanto opere intersit, ut populus christianus Francisci et sanctissima exempla mente animoque complectatur et præcepta veluti vivendi disciplinam teneat. Quod ut detur effectum, mirum quantum proderit libros et opuscula, quæ diximus, in vulgus quam latissime propagari ; eiusmodi enim scripta, ut sunt facilia intellectu atque ad legendum iucunda, in fidelium animis germanæ solidæque pietatis studium excitatura sunt, quod sacerdotes fovebunt aptissime, si quidem ipsi Salesii doctrinam in sucum et sanguinem converterint dulcissimamque eius eloquentiam erunt imitati. Qua in re, Venerabiles Fratres, memoriæ traditum est, decessorem Nostrum Clementem VIII iam tum prænuntiasse quam mirificam essent Francisci et

Hæc erit occasio ut fideles negotiis, voluptatibus, curis implicati ad officium colendæ sanctitatis uniuscujusque propriæ revocentur.

Potissimum fidelium imitationi mansuetudo Salesii proponatur ; fructus hujus virtutis.

Commendatur lectio operum s. Fr. Salesii.

verba et scripta in populo habitura virtutem. Cum enim Pontifex, Purpuratis Patribus doctissimisque viris assidentibus, Salesii, ad episcopatum electi, sacrarum disciplinarum scientiam expertus esset, tanta affectus est admiratione, ut hominem peramanter amplexus, iis verbis sit allocutus : Vade, fili, et *bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide* (1). Ita sane Franciscus contionabatur, ut eius prædicatio tota esset *in ostensione spiritus et virtutis*, cum, ex Bibliis et Patribus hausta, non modo sanis doctrinæ theologicæ nutrimentis aleretur, sed etiam ex caritatis delinimento mollior ac suavior exsisteret. Non est igitur cur miremur, ab eo tam plurimos numero hæreticos ad Ecclesiam revocatos esse, eodemque magistro ac duce tot fideles, hoc trium sæculorum intervallo, perfectum vitæ institutum tenuisse.

Exemplum Salesii proponitur omnibus viris catholicis qui catholicam doctrinam scriptis illustrant.

Sed præcipuum quemdam utilitatis fructum ex hisce sollemnibus percipiant optamus omnes ii catholici viri, quotquot vel diariis vel aliis scriptis in vulgus edendis christianam sapientiam illustrant, provehunt, tuentur. Qui quidem Francisci in disputando vim cum temperantia et caritate coniunctam imitentur oportet ac retineant. Quid enim ipsis agendum sit, sanctus Doctor exemplo suo aperte monet : ut scilicet doctrinam catholicam perdiligenter explorent et pro viribus calleant ; vera ne depravent, neve, per speciem devitandæ adversariorum offensionis, extenuent aut dissimulent ; ipsam sermonis formam ac venustatem accurent, et cogitata sic luminibus verborum distinguant atque ornent, ut veritate lectores delectentur ; si quos autem oppugnare debeant, sciant errata refellere malorumque hominum improbitati obsistere, ita tamen, ut se recte animatos in primisque caritate instinctos exhibeant. Quoniam vero iis, quos memoravimus, catholicis scriptoribus non constat ex publico ac sollemni Apostolicæ Sedis documento Salesium datum esse Patronum, hanc Nos faustam occasionem nacti, de certa scientia ac matura deliberatione, auctoritate Nostra apostolica, per hanc Encyclicam Epistolam, Sanctum Franciscum Salesium, Episcopum Genevensem et Ecclesiæ Doctorem, iis omnibus Cœlestem Patronum damus seu confirmamus, ac declaramus, non obstantibus contrariis quibuslibet.

Ipsis cœlestis patronus apostolica auctoritate datur.

(1) *Proverb.*, V, 15, 16.

Conclusio. Solemnitates præscriptæ in honorem s Fr. Salesii.

Iam vero, Venerabiles Fratres, quo sæcularia hæc sollemnia et augustiora et fructuosiora evadant, fidelibus vestris nulla desint oportet invitamenta pietatis, ita, ut hoc præclarum Ecclesiæ lumen qua decet veneratione colant, atque, eo usi deprecatore, animum, a peccati vestigiis expiatum ac divino refectum epulo, ad sanctitatem brevi adipiscendam fortiter suaviterque dirigant. Curate igitur ut in civitate honoris vestri sede et in singulis diœcesis paroeciis, per hunc annum, ad diem octavum ac vicesimum mensis Decembris, triduanæ vel novendiales supplicationes fiant, in quibus divini verbi prædicatio habeatur. cum intersit quam maxime, populum de iis diligenter erudiri, quæ, Salesio duce, eum ad altiora permoveant. Erit præterea vobis curæ, ut iis aliis qui opportuniores videantur. modis sanctissimi Episcopi res gestæ commemorentur. Atque ut sacrorum munerum thesaurum, Nobis divinitus creditum, in animarum bonum reseremus. tribuimus, ut qui iis, quas diximus, supplicationibus pie interfuerint, unoquoque die septem annorum totidemque quadragenarum, et postremo eorum, vel quo alio cuivis libuerit, die plenariam usitatis condicionibus indulgentiam lucrentur. Ne vero Anneciense Visitationis Cœnobium, ubi Salesius requiescit — cuius quidem ante venerabile corpus Nos olim incredibili cum voluptate animi Sacrum fecimus — itemque Tarvisinum, in quo cor eius adservatur, ceteræque Monialium a Visitatione familiæ peculiari aliqua careant benignitatis Nostræ significatione, damus, ut quicumque, per sacra menstrua, quæ ipsæmet in gratiarum actionem hoc anno habebunt, prætereaque die octavo ac vicesimo mensis Decembris, pariter hoc tantum anno, earum ecclesias de more inviserint atque, pœnitentia expiati et Eucharisticis dapibus refecti, ad mentem Nostram oraverint, plenariam item veniam acquirant.

Munera spiritualia concessa.

Vos autem, Venerabiles Fratres, fideles curis vestris commissos vehementer hortamini, ut Sanctum Doctorem Nostrâ causâ obsecrent: quandoquidem enim Deo placuit, ut Ecclesiam suam difficillimis temporibus regundam susciperemus, utinam, Salesio auspice, qui Apostolicam Sedem insigni studio ac reverentia est prosecutus eiusque iura atque auctoritatem in *Controversiis* mirifice defendit, id feliciter eveniat. ut. quotquot a Christi lege et caritate alieni sunt, eos omnes, ad pascua vitæ æternæ redeuntes, in communione atque osculo pacis amplecta-

Orandum est ut, auspice Salesio, omnes quotquot a Christi lege et caritate alieni sunt, ad unitatem redeant.

mur. Cœlestium interea donorum conciliatrix et paternæ benevolentiæ Nostræ testis sit apostolica benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, universoque clero ac populo vestro amantissime impertimus.

Benedictio apostolica.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXVI mensis Ianuarii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XI.

Introductio in theologiam mysticam.

Prologus.

Variæ disciplinæ theologicæ, utut ab invicem distinctæ, arctissimo inter se nexu devinctæ existunt, vel eo quod theologicæ sunt, id est scientiæ de Deo, Deum ut subjectum habentes, plus minusve directe de Deo agentes (1). Et theologia quidem dogmatica fundamenti instar est reliquarum, ut reflectenti patet; unde S. Thomas, in *Summa theologica*, et cum ipso antiquiores theologi passim nequaquam theologiam moralem a dogmatica avellunt, ut immerito fecerunt plures moderni quos inter nonnulli fere reduxerunt theologiam moralem ad meram quamdam casuisticam (2). Pariter utraque disciplina dogmatica et moralis præsupponitur theologiæ asceticæ et mysticæ, atque hæc ultima universæ theologiæ coronidis instar est, utpote cujus finis est hominem perducere ad summam hac in vita nobilissimarum suarum facultatum, supernaturaliter elevatarum, activitatem, nempe ad contemplationem divinæ Veritatis, quæ contemplatio, ut ait S. Thomas (3), est finis totius humanæ vitæ; posita simul perfectione divinæ charitatis in voluntate; verbo theologiæ mysticæ finis est perducere hominem ad unionem quam intimam cum Deo contemplando et amando.

Hunc finem theologiæ mysticæ constanter præ oculis habuerunt sancti Patres et Doctores, ut eorum scripta

---

(1) Lege S. Bonaventuræ *Breviloquium*, p. 1, c. 1, quæ citavimus addita nota apud *Collat. Brugen.*, t. I, p. 158-160.

(2) V. Præfat. ad nostrum *Tr. de Virt. Card.*

(3) 2. 2, q. 180, a. 4 corp.

passim manifestant (1); hosque secuti sunt omnes veri nominis theologi, qui scilicet theologiam non ut scientiam qualemcumque profanam sed, uti vere est, scientiam de Deo sanctam et sanctificantem pertractant (2).

Enimvero nemo dubitare potest quin hominem summopere deceat suas vires divinitus exaltatas ac roboratas applicare ad vitam activitatemque perfectam, ad amorosam Dei rerumque divinarum contemplationem. Ad hanc autem, seposito Dei extra ordinem consuetum interventu, diligenti præparatione opus est. Utrumque, et divinam contemplationem esse sedulo prosequendam, et nostram ad hanc præparationem esse necessariam, dilucide jam docet S. Gregorius Nazianzenus, dictus *Theologus* ob eminentem suam de Deitate doctrinam : « Hoc muneris, ait (3), his duntaxat incumbit, qui exactissime explorati sunt, ac contemplando longe processerunt, priusque etiam et corpus et animam a vitiorum sordibus purgarunt, aut, ut parcissime loquar, jam hoc agunt, ut se a vitiorum labe purgent. Impuro enim rem puram attingere, ne periculo quidem fortasse caret, quemadmodum nec ægris oculis solis radios intueri ». Addit autem : « Neque tamen hæc quisquam ita accipiat, quasi Deum perpetua memoria colendum esse negem.... Nec enim tam sæpe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus: imo, si hoc etiam dici potest, nihil aliud quam hoc facien-

---

(1) Lege exempli gratia S. Bonaventuram, qualiter studiis theologicis incumbendum censuerit, in suo *Prologo* ad *l. I Sent*, q. 3 de causa finali (libri theologici), ubi ostendit cognitionem seu scientiam in hujusmodi libro traditam, non tantum speculativam seu « contemplandi gratia » esse, ut ait, sed « ut boni fiamus » et principaliter quidem. Ubi contemplationis gratia seu propter contemplationem, intelligendum est de theoretica contemplatione seu intuitu veritatis generatim, non vero de contemplatione amorosa Dei seu divinæ Veritatis, siquidem hæc contemplatio est qua boni, imo perfecte boni fimus.

(2) V. ex. gr. Leonardi Lessii opuscula et singulariter Præfat. ad opusc. *De perfectionibus moribusque divinis*, necnon Epist. dedicatoriam ejusdem.

(3) *Orat. theol.* II, n. 3 et 4.

dum. Nam et ego inter eos nomen meum profiteor, qui verbum illud probant, quod nos die ac nocte jubet meditari (ps. 1, 2), vespere et mane et meridie narrare (ps. 54, 18), ac denique benedicere Dominum in omni tempore (ps. 33, 2); sive, ut verbis Moysis utar, dormiamus, sive consurgamus, sive iter faciamus (Deut., VI, 7), sive quid aliud agamus; atque hac ipsa recordatione ad puritatem informari ».

Jam autem præparatio ad contemplativam cum Deo unionem, duplex est: altera quasi negativa seu removens prohibens, e medio tollendo quæcumque obstant perfectæ vitæ, et de hac uti supra agit S. Gregorius, hancque docet potissimum theologia ascetica (1). Consistit autem in purificatione tum cordis tum intellectus, ut præclare exponit Doctor Seraphicus : « Mens, ait (2), ad hoc quod Deum contempletur, perfecte indiget purgari quoad intellectum et affectum. Ideo dicit (Magister) : per justitiam fidei, i. e. per fidem quæ facit justum in opere, et per se purgat intellectum, sed justitia affectum. Utriusque autem purgationis triplex est gradus. Nam intellectus purgatus est cum abstrahitur a sensibilibus speciebus, purgatior cum mundatur a phantasticis imaginibus, purgatissimus cum a physicis rationibus. Gradus purgationis affectus sunt isti : purgatus est affectus cum mundatur a culpa ; purgatior a sequela, purgatissimus ab occasione ; et in hoc statu idoneus est contemplari ». Paulo infra addit rationem cur mens purgari debeat ad contemplandum : « Differt dicere : considerari et figi et comprehendi. Considerari potest lux divina a mente non munda, sed figi non potest in illa nisi mens a vitiis pura, comprehendi non potest nisi in patria. Ratio autem quod non potest figi, est duplex: una, quod est supra intellectum, et ideo intellectus in ea non figitur nisi habeat gluten affectus, sed statim recedit. Altera ratio est quia oculus sanus est illi luci proportionabilis secundum qualitatem

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XVI, p. 384-386, sc. n. 15 en 16.
(2) In l. I *Sent.* dist. II.

etsi non secundum quantitatem, sed si oculus sit infirmus sive lippus, utroque modo est improportionabilis et ideo non figitur ».

Altera præparatio est positiva, quæ complectitur varios actus intellectus actui contemplandi prævios. « Contemplativa vita, ait S. Thomas (1) unum quidem actum habet in quo finaliter perficitur, scilicet contemplationem veritatis, a quo habet unitatem. Habet autem multos actus, quibus pervenit ad hunc actum finalem : quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum ex quibus procedit ad contemplationem veritatis. Alii autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem ejus, cujus cognitio inquiritur. Ultimus autem completivus actus est ipsa contemplatio veritatis ». Hujusmodi actus prævios enumerat plures S. Thomas *ibid.* ad 1m, 2m et 4m (2), qui omnes reducuntur ad *studium pium* disciplinarum theologicarum. Ad *studium* dicimus, nam profecto in ordine ad contemplationem incipiendum est a cognitione seu scientia doctrinæ sacræ, quæ studio acquirenda est, non omissa oratione seu precatione luminis Spiritus sancti, quod quidem absolute et directe peti potest, utpote in ordine ad finem salutarem. Dicimus quoque studium *pium*, non tantum ratione petitionis luminis superni, sed eo quod continuo respiciatur finis « ut boni fiamus », scilicet ut tandem deducamur ad hoc ut Deum cum affectu contemplemur Eique consequenter per charitatem perfectam adhæreamus (3), quod docet theologia mystica, totius studii theologici coronis. Hoc tamen studium pium, quod complectitur omnes actus prævios: auditionem magistri, lectionem, orationem, quantum ad acceptionem principiorum; necnon cogitationem, considerationem, meditationem et speculationem, quantum

(1) Cit. q. 180, a. 3, corp.

(2) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XVI, p. 386-389, sc. n. 17-21.

(3) « Contemplatio, ait S. Thomas (cit. q. 180, a. 3, ad 3m, coll. a. 1) in affectu terminatur ».

ad deductionem ex principiis (1), manet tamen studium, nec confundi debet cum meditatione strictiore sensu seu vera oratione mentali. Hæc enim immediate practica est in ordine ad elicienda proposita eaque firmanda emendationis vitæ, prosequendæ virtutis exercendæ, etc.; studium vero, utut pium, præprimis tendit ad scientiam sacram acquirendam, non excluso tamen affectu pio neque tandem fine contemplationis amorosæ.

Igitur de positiva præparatione intellectuali ad contemplationem præprimis heic agere intendimus. Quæ quidem omnino necessaria apparet. Etsi enim cognitio non est mensura amoris, et contemplatio amorosa etiam altissima non reservatur solis theologis, æque tamen verum est quod « ignoti nulla cupido » et quod profundior scientia ducit ad majorem amorem, sicut e converso, ardentior amor excitat ad intimiorem amati cognitionem. Sine dubio aliqua divina cognitio requiritur ad divinam contemplationem: quomodo enim ad hanc aliquis perveniet, nisi prius vivida fide Deum attingat, et quomodo credet, nisi cognoscat veritates credendas, ad minus illas quæ ex necessitate medii et præcepti cognosci et credi debent? Imo, rationis studium et inquisitio veritatum fidei, nequaquam fidei nocet nec ei adversatur, dummodo non ex mera et vana curiositate fiat, sed ex sancto studio cognoscendi divinas veritates; contra, maximam utilitatem habet, testante S. Bonaventura (2): « Modus enim ratiocinativus, ait, sive inquisitivus valet ad fidei promotionem, et hoc tripliciter, secundum tria genera hominum. Quidam enim sunt fidei adversarii. Quidam sunt in fide infirmi. Quidam vero perfecti. Modus inquisitionis valet primo ad confundendum adversarios. Unde Augustinus, 1 *de Trinitate*: « Adversus garrulos ratiocinatores, elatiores magis quam captiores, rationibus catholicis et similitu-

(1) V. S. Thomam, cit. a. 3, ad 1m, 2m, 4m, et cf. *Collat. Brugen.* cit. t. XVI, *l. c.*

(2) *Prologus* in 1 l. *Sent.*, q. 2.

dinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei est utendum ». Secundo valet ad fovendum infirmos. Sicut enim Deus charitatem infirmorum fovet per beneficia temporalia, sic fidem infirmorum fovet per argumenta probabilia. Si enim infirmi viderent rationes ad fidei probabilitatem deficere, et ad oppositum abundare, nullus subsisteret. Tertio valet ad delectandum perfectos. Miro enim modo anima delectatur in intelligendo quod perfecta fide credit. Unde Bernardus: « Nihil libentius intelligimus, quam quod jam fide credimus ». Jam finem imponendo huic Prologo, juvat indolem propriam hujus scripti ordinemque dicendi breviter indigitare. Cum scopus hujus « Introductionis in theologiam mysticam » sit mentem ad illi incumbendum præparare, quæ quidem præparatio ex dictis alia non est quam studium pium theologiæ præprimis dogmaticæ, non omissis quæ ex theologia morali et ascetica sponte occurrant, evidenter consequitur nobis breviter percurrendam esse universam fidei doctrinam, ita ut Dei rerumque divinarum scientia promoveatur ac perficiatur, simul cum affectu admirationis et amoris divini conjuncta.

Et primo quidem, naturali ordine, Dei prout ex operibus ad extra nobis primum innotescit, postea prout sola revelatione noscitur Unus essentia Trinus in personis, scientiam prosequemur. Porro, expositio operum divinorum ad extra congrue fieri potest per sex capita seu sex tabulas depingendas, quarum :

1° erit *mundi creatio* seu *regnum Dei naturale.*

2° *Exaltatio creaturarum* intellectualium ad ordinem supernaturalem ac divinum, seu *regnum Dei supernaturale.*

3° Perturbati totius ordinis per peccatum *restauratio seu perfectio ejusdem per Christum, Verbum incarnatum*, Redemptorem.

4° *Transmissio meritorum Christi ad omnes homines*, seu *Ecclesia, regnum Christi in terris.*

5° *Applicatio eorumdem meritorum singulis* hominibus, seu sanctificatio animarum, *regnum Dei in nobis.*

6ª Judicium finale cum æterna impiorum damnatione et æterna mercede justorum, seu *Regnum Christi æternum in coelis*. Sic attingemus jam unum objectum princeps contemplationis et theologiæ mysticæ, nempe Verbum incarnatum, fastigium, ratio et finis omnium operum divinorum ad extra.

Alterum objectum princeps et primarium exhibebit 7ª et ultima tabula, scilicet Deus in seipso contemplandus, *summa Trinitas et Unitas*.

Etiam hoc merito notamus, hac ratione totum fidei symbolum explicari, idque methodo historica, qua et ipsum symbolum utitur, et quæ omnium consensu docendo aptissima agnoscitur.

† G.-J., Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis decembris propositas.

—

I.

In narrationem de Jesu tentationibus.

Q. *Generali modo explica tentationes quas Jesus, inchoaturus vitam suam publicam a diabolo sustinuit.*

R. Quamvis tota Jesu vita fuerit luctatio quædam contra diabolum, non immerito tamen notatur (1) hujus luctationis fuisse quasi duo momenta præcipua, unum nimirum pertinens ad initium vitæ publicæ, in quo tentatus fuit Jesus per delectationem hujus mundi, alterum quod vitam publicam conclusit et in quo tentatus fuit per ejusdem mundi terrorem. De priori illo momento hîc agitur, prout longiori narratione refertur apud *Mt.* et apud *Lc.*, et brevi notitia contrahitur apud *Mc.* — Porro de his tentationibus quæritur hîc : 1°/ quonam ordine sint legendæ; 2°/ quisnam fuerit earum intentio tum apud dæmonem, tum apud ipsum Jesum; 3°/ quid de earum historicitate et realitate sit judicandum.

I. *De ordine trium tentationum.*

Notum est tres tentationes non eodem ordine, hinc apud *Mt.*, hinc apud *Lc.* referri. Apud utrumque evangelistam eadem est prima tentatio : de lapide mutando in panem quo fami suæ Jesus provideat ; ulterius vero apud *Mt.* secunda tentatio est ut a pinnaculo templi se dimittat, tertia vero ut adorando diabolum acquirat sibi omnia

---

(1) VANSTEENKISTE, *Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Matthæum*, 4ª ed., 1903, p. 159.

regna mundi ; apud *Lc.* vero hæ duæ tentationes ordine inverso leguntur.

Indubium videtur *Mt.* primitivum ordinem in narrando servasse. Etenim *a/ Mt.* videtur velle ordine chronologico procedere : de prima enim tentatione dicit : *Et accedens tentator dixit ei...* ; huic primæ secundam connectit : *Tunc assumpsit eum diabolus...* : tertiam tandem introducit : *Iterum assumpsit eum diabolus...*; *Lc.* vero indeterminata et vaga introductione utitur : *Dixit autem illi diabolus...* ; — *Et duxit illum diabolus...;* — *Et duxit illum in Jerusalem...* ; — *b/* Facile intelligimus, in hypothesi *Mt.* servasse ordinem primitivum, quare *Lc.* varias mutationes, in sua narratione cernendas, induxerit: ita in fine tertiæ tentationis dicit Jesus apud *Mt.* : *Vade Satana;* *Lc.* vero hæc verba omittit, et omittere debebat si ordinem tentationum mutare volebat : non enim congrue poterat Jesum exhibere qua fugantem Satanam, si aliam adhuc tentationem referre volebat ; — item illud quo *Mt.* narratio concluditur : *et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei*, a *Lc.* omittitur et debebat omitti si ordinem narrationis mutare volebat : non enim congrue poterat exhibere angelos accedentes et ministrantes Jesu quem ultimo exhibuerat super pinnam templi ; — *c/* si Jesus revera dæmonem ad adorandum se invitantem repulit ut refert *Mt.* hisce verbis : *Vade Satana*, non intelligitur Satanam nova adhuc tentatione Jesum impetiisse ; quod apprime firmatur ex *Mt.* statim subdente : *Tunc reliquit eum diabolus* (1).

(1) Omittimus argumentum desumi solitum exinde quod tentationes ordine *Mt.* procedant a minori ad majorem, non vero apud *Lc.* Non enim patet diabolum voluisse aut debuisse gradationem hujusmodi in tentando servare ; neque patet diabolum gravitatem suarum tentationem eadem mensura æstimasse qua nos æstimamus; neque patet tentationem quam tertio loco refert *Lc.* esse minus gravem ea quam secundo loco refert : tertia enim illa eaque sola a diabolo fulcitur textu e sacra Scriptura desumpto: *Scriptum est enim*, etc. : hujusmodi tentatio poterat ex hoc capite vel esse vel saltem a diabolo haberi qua cæteris gravior; imo nonne hæc fuit forte ratio quare *Lc.* ordinem tentationum inverterit ?

II. *Triplicis Jesu tentationis scopus.*

Quod finem *a diabolo* intentum spectat, congrua apparet Patrum communis sententia eum explorare voluisse utrum Jesus esset Messias et Filius Dei, annon. Revera, quamvis utique a sinceritate patris mendacii omnino diffidendum sit, tum primam tum secundam tentationem introducit : *Si filius Dei es* (1). — Magis autem refert quemnam in finem *Jesus* ipse tentari voluerit, seu, quod idem est, quemnam in finem *Spiritus sanctus* voluerit permittere ut a diabolo tentaretur (*Mt.*, IV, 1). Ad hanc autem quæstionem, missis utique aliis finibus qui huic facto assignari solent (2), non immerito dici posse videtur finem momentosum fuisse ut in ipso ingressu vitæ publicæ ostenderetur quasi programma hujus ministerii et operis messianici, seu ut pateret quonam modo Jesus munus suum messianicum aggrediendum et complendum reputaret. Revera :

a/ Cum tentatur Jesus ut potestate sua messianica utatur ad lapides mutandos in panem quo famem sedet, illud abnuit : *non* ergo utetur potestate sua messianica *in proprium suum commodum*, sed unice ad voluntatem

---

(1) Neque objiciatur diabolo hac de re non potuisse esse ullum dubium, siquidem audierit vocem Patris in baptismo Jesu testantem : *Hic est Filius meus dilectus.* Nil enim probat diabolum hæc verba audiisse ; in hujusmodi enim actionibus Dei miraculosis diabolus sane non percipit nisi ea quæ Deus vult permittere ei ut percipiat ; cæteroquin si verba audierit, non ideo debebat, ob eamdem rationem ac statim diximus ea verba percipere qua a Deo Patre oriunda.

(2) « Christus a dæmone se tentari permisit, 1° ut hac pugna, quasi quodam tyrocinio, viam sibi sterneret ad invadendum et expugnandum modo Satanæ regnum ; 2° ut suo exemplo doceret nos, cum accedimus ad servitutem Dei, præparare animas nostras ad tentationem, et neminem, quantumcumque sanctum, securum et immunem esse a tentatione ; 3° ut tentatus ipse per omnia tentatis nobis majori commiseratione opem ferret, majoremque suæ misericordiæ fiduciam faceret ; 4° ut suo exemplo doceret nos qualiter cum dæmone pugnandum sit ejusque tentationibus resistendum ; 5° ut, devicto statim hoste, nos redderet securiores, utpote qui in illo vincente viceramus ». LIAGRE, *Comment. in libros historicos N. T.* (1883), I, pp. 78 s.

Dei adæquate perficiendam (1); — *b*/ dum tentatur ut a pinnaculo templi se projiciat, extraordinario hujusmodi actu vanæ suæ gloriæ blandiens, vel et hominum admirationem in se provocans, renuit Jesus, nolens tentare Dominum : *non* ergo utetur potestate sua messianica *in vanam suam gloriam*, sed unice iterum ea utetur secundum modum a Patre ordinatum (2); *c*/ dum tentatur ut adorando dæmonem omnia regna mundi et gloriam eorum sibi acquirat, renuit Jesus : *non* venit Jesus sibi acquirere *regna temporalia hujus mundi*, et ad quemlibet scopum attingendum illis solis mediis utetur quæ sunt secundum Dei voluntatem : solum Deum adorabit, soli Deo serviet (3).

His ergo tentationibus ostendi voluit Jesus se opus messianicum sibi commissum aggredi, negative quidem, neque in proprium commodum, neque ad vanam suam gloriam, neque ad regna temporalia sibi acquirenda, positive autem, ad solam Dei voluntatem adæquate adimplendam.

III. *Realitas historica tentationum Jesu.*

Admissa, ob motiva tum historica (4) tum dogma-

---

(1) Responsum Jesu: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, sic videtur intelligendum: Res mihi est, non pane sedare famem, sed omnia verba, omnia mandata Patris, perfecte adimplere. — Cfr illud Jesu apud *Jo.*, IV, 34: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.*

(2) Esset *tentare Deum* si Jesus vellet Patrem provocare ad operandum miraculum quod ipse non præordinavit, et quod soli vanæ gloriæ juvandæ inserviret.

(3) Non incongrue reducitur triplex tentatio ad triplicem concupiscentiam, prima ad gulam, secunda ad vanam gloriam, tertia ad concupiscentiam divitiarum temporalium.

(4) Habent enim tria Synoptica, etiam abstractione facta ab inspiratione, suum valorem historicum, eorumque testimonium, juxta nonnullos, quamvis immerito ut videtur, roboraretur allusionibus quæ occurrerent in ep. *ad Hebr.*, II, 18; IV, 15; nec potest aliquid ad hoc eorum testimonium infringendum adduci, contrà : nisi enim factum vere locum habuisset, non apparet quare primi christiani hujusmodi tentationes, primo aspectu satis incongruas pro Jesu, excogitassent.

tica (1), historicitate tentationum Jesu, quæstio ulterior moveri potest quonam modo reali locum habuerint, utrum vere, ut plerique catholici tenent, modo illo materiali quo ab evangelistis describuntur, an vero potius, ut nonnullis catholicis placuit (2), psychologice tantum seu secundum imaginariam visionem : non ageretur hic de externa apparitione diaboli, sed de cogitationibus a diabolo excitatis in mente Jesu, sed quas Jesus statim rejecit tamquam oppositas muneri suo. — Non ita obvium est quæstionem certo dirimere : pro priori sententia invocari potest sensus obvius narrationis evangelicæ, et longe communior tum antiquorum tum recentiorum auctoritas; pro altera vero plura, quamvis utique non apodictica, allegari possunt : *a*/ tum *Mt.* tum *Lc.* notant Jesum fuisse ductum *in desertum ut tentaretur* a diabolo; quod obvie innuit tentationem illam, eamque integram, fuisse in deserto peractam; — et idem dici potest de *Mc.*, qui unice refert : *Et erat in deserto quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana eratque cum bestiis ;* — *b*/ in hac altera sententia vitatur illud quod, quidquid dictum fuerit, manet tamen satis incongruum: Jesum fuisse per aërem translatum a diabolo, imo ab ipso fuisse repositum super pinnaculum templi (3); — *c*/ in

(1) Supposita enim inspiratione Evangeliorum, jam nullum dubium manere potest circa historicitatem tentationum: nimis enim patet tres evangelistas, adeoque ipsum Deum inspirantem, realitatem illarum historicam vere affirmare.

(2) Ita ORIGENES, *De princip.*, IV, 16; — THEODORUS MOPSUEST., (apud MÜNSTER, *Frag. Patr.*, *fasc.* I, p. 107 ; ARNOLD. BONAVALENSIS (s. XII), *Sermo de jejunio et tentationibus Christi* (MPL, CLXXXIX, 1637); — citati apud VIGOUROUX-BRASSAC, *Manuel Biblique*, ed. 14, 1913, p. 374. — Horum sententiam refert s. THOMAS, nec improbat, p. III, q. 41, a. 2, ad 3. — Simili modo LE CAMUS, *Vie de N. S. J. C.*, ed. 6, t. I, p. 274: « Le choc des deux adversaires eut lieu seulement d'esprit à esprit; Satan plaça Jésus en imagination sur le temple, sur une montagne, et n'évoqua que devant son esprit les royaumes du monde ».

(3) Et habetur quædam inconcinnitas apud auctores qui dicunt has translationes Jesu fuisse factas modo hominibus invisibili, et simul Jesum fuisse tentatum ut, se projiciendo a pinnaculo templi, admirationem hominum sibi attraheret.

ultima tentatione habetur Jesum fuisse translatum in montem excelsum valde, unde diabolus ipsi ostenderit omnia regna mundi; quod, sensu materiali intellectum, satis incongruum apparet: talis enim mons in tota Palæstina non datur, imo, cum terra sit rotunda, in tota terra dari nequit; neque incongruitatem vitant variæ explicationes quæ fuerunt datæ (1); — *d/* in fine trium tentationum videtur Jesus, juxta *Mt.* et *Mc.*, adhuc semper esse *in deserto*, et non super montem aliquem.

A. Vander Heeren.

II.

De membris Ecclesiæ.

Q. *Quinam sunt membra Ecclesiæ? Paucis explica responsum.*

Prænotanda. — 1/ Quæstio posita latius vel strictius intelligi potest, et ita notatim in catechismo sensu latiori auditur de membris Ecclesiæ triumphantis, purgantis et militantis; in tractatu porro de Ecclesia de sola parte militante agimus, quam partem demonstramus efformare societatem proprie dictam et visibilem, quatenus Christus omnes discipulos suos triplici vinculo, professionis nimirum ejusdem fidei, communionis in iisdem ritibus et submissionis eidem auctoritati, hierarchicæ simul ac monarchicæ, consociatos esse voluit, ut per exercitium religionis christianæ complete spectatæ ad salutem æternam pervenirent.

2/ In quæstione respicimus Ecclesiam secundum suam formam externam et socialem, ut est corpus quoddam

(1) Juxta *alios* diabolus ostenderit *universam Palæstinam*; — *ast* textus dicit explicite: *omnia regna mundi*; — juxta *alios* diabolus *ostenderit* regna mundi, i. e. ea descripsit, ea enumeravit; — vel: digito directionem indicaverit; — vel: in imagine ostendit; — *ast* ad hujusmodi ostensionem, non debebat Jesus in montem excelsum ascendere.

morale, et abstrahimus ab elemento interno et spirituali, a gratia habituali, quæ ut principium vitæ supernaturalis et sanctificationis hominum, quandoque anima Ecclesiæ nominatur.

Resp. — Membra Ecclesiæ sunt omnes et soli valide baptizati, baptismo aquæ, qui ejusdem fidei christianæ professione, communione sacramentorum et bonorum spiritualium, regimine tandem legitimorum pastorum colligantur.

Explicatur. — 1/ Baptismus, et quidem *baptismus aquæ*, seu sacramentum baptismi, *actu* et *valide* susceptus, qui caracterem baptismalem imprimit, est *causa aggregans* ad Ecclesiam (1). Non refert autem, uti exponitur ubi de validitate sacramenti baptismi, a quonam hoc sacramentum administretur, dummodo debito modo, cum debita intentione, conferatur (2); quare infantes valide baptizati, licet inter hæreticos et schismaticos, vel ab ipsis hæreticis et schismaticis tincti fuerint, constituuntur et manent membra Ecclesiæ, donec rationem adepti, uti statim dicetur, per publicam hæresim vel publice schisma sectando, seipsos ab Ecclesia separaverint (3).

Igitur *a* *baptismus sanguinis* seu martyrium et *baptismus flaminis* seu desiderii, positis ponendis, gratiam conferre possunt, sed aliquem ad animam, non autem ad corpus Ecclesiæ, pertinere faciunt.

b Inde etiam *catechumeni*, quos aliqui theologi cum Suarezio (4), membra vocant Ecclesiæ, quamvis desiderio

---

(1) Cfr *Conc. florent.*, *Decretum pro Armenis* : « Per ipsum (baptisma) enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ » (*Enchir.*, n. 696 et *Conc. trid.*, sess. XIV, cap. 2 (*Enchir.*, n. 895).

(2) Cfr *Conc. trid.*, sess. VII, can. 4 de baptismo (*Enchir.*, n. 860).

(3) Quum agatur de propositione explicanda, non probanda, argumenta plerumque, nisi ad explicationem faciant, omittimus; refutatas etiam supponimus sententias adversariorum contendentium omnes et solos *prædestinatos*, solos *justos* esse membra Ecclesiæ.

(4) Suarezius, *Tract. de fide*, disp. IX de Ecclesia, sect. 1, n. 18 (edit. Vivès, t. XII, p. 250, Parisiis, 1858).

et potentia veluti proxima ad Ecclesiam pertineant, stricte tamen inter membra Ecclesiæ computari nequeunt (1).

c/ Baptismus tandem actu sed *invalide* susceptus non sufficit; quinimmo contra quosdam antiquiores auctores, quibuscum facit adhuc Chr. Pesch (2), dicendum videtur non sufficere baptismum *existimative* tantum seu *putative* validum, qui ob defectum occultum, ut puta absentiam intentionis debitæ, reapse est invalidus, quamquam etiam is, qui absque sua culpa non est baptizatus, in communione Ecclesiæ vivit (3).

2/ Quisquis est valide baptizatus est membrum Ecclesiæ; pro *adultis* porro requiritur insuper ut vinculum unitatis fidei, communionis et regiminis non disrumpatur, uti signanter docet catechismus concilii tridentini (4) et communiter tenent theologi, licet utique in ulteriore determinatione hujus propositionis statim dissentiant.

Itaque *a/* membra Ecclesiæ *non* sunt *hæretici*, et a fortiori apostatæ a fide, qui semetipsos ab unitate fidei et confessionis catholicæ segregaverunt.

Intelliguntur autem hæretici *proprie dicti*, qui scilicet veritatem revelatam, et ab Ecclesia propositam ut credendam, pertinaciter respuunt (5). Attamen non importat utrum hoc mala an bona fide faciant, utrum, uti quidam auctores loquuntur, hæretici formales an materiales existant. Hæretici formales dicuntur illi, quibus auctoritas Ecclesiæ sufficienter est nota ; materiales vero

---

(1) Contrarium non probant pœnitentiæ catechumenis impositæ, quoniam istæ potius habendæ sunt ut conditiones adimplendæ ad aggregationem obtinendam.

(2) Chr. Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, t. I. *Instit. propædenticæ ad s. theol.*, n. 329, p. 233, Frib. Br., 1915[5].

(3) Argumenta vide apud Billot, *Tract. de Ecclesia Christi*, p. 293. Romæ, 1903[2].

(4) *Catechismus conc. trid.*, P. I, a. 9, n. 12, p. 109, Parisiis, 1906.

(5) Cfr illust. ac rev. Waffelaert, *Annot. in tract. de virt. theol.*, n. 215 s., p. 75 s. Brugis, 1900[2].

qui invincibili errore circa ipsam Ecclesiam laborantes, aliam regulam veritatum credendarum bona fide eligunt (1).

Jamvero inter hæreticos, alii interne, alii externe, et si quidem externe, vel occulte, vel publice, id est notorio modo suum errorem profitentur, adeo scil. ut hæc professio hæreseos jam ita nota sit ut nullo modo celari aut negari amplius possit (2).

Occultos hæreticos non pertinere ad Ecclesiam docent plures auctores, inter quod card. Franzelin (3); verum, communior sententia, quæ est vera, siquidem in hac materia Ecclesia ut corpus sociale et visibile respicitur, tenet *solos hæreticos publicos seu notorios* reipsa separari ab Ecclesia (4).

b/ Membra Ecclesiæ pariter *non* sunt *excommunicati*, qui ab unitate communionis catholicæ, non suo actu, sed per sententiam auctoritatis ecclesiasticæ secluduntur; et quidem excommunicati *vitandi*, qui omnibus bonis spiritualibus, sacramentis, suffragiis, etc. privantur et penitus a gremio Ecclesiæ removentur (5).

De toleratis inter theologos disputatur: juxta quosdam, omnes tolerati cessant esse membra Ecclesiæ (6); juxta alios, tolerati manent membra Ecclesiæ, exceptis toleratis contra quos intercedit sententia condemnatoria aut declaratoria (7); secundum alios tandem, quibus jus

---

(1) Vide Billot, *o. c.*, p. 298 s.

(2) Cfr De Brabandere-Van Coillie, *Juris can. et juris can. civilis compendium*, ed. 8 curante A. De Meester, t. III, n. 1259 s., p. 43 s., Brugis, 1916.

(3) Franzelin, *De Ecclesia*, th. 22; cfr Billot, *o. c.*, p. 301.

(4) Advertatur discrimen inter hæresim publicam et notoriam, quæ separat ab Ecclesia, et hæresim, quæ sufficit ad incurrendam excommunicationem. Cfr *Codex juris can.*, c. 2195 s. et 2314 s.; de excommunicatione statim infra.

(5) Suarezius, *o.* et *l. c.*, n. 14, p. 249 et Toletus, *In secundam secundæ s. Thomæ enarratio*, q. 1 de fide, art. 10, concl. 3 (ed. rom., t. II, p. 42) tenent omnes excommunicatos manere membra Ecclesiæ.

(6) Ita Wernz, *Jus decretalium*, I, p. 122, Romæ, 1905[2].

(7) Ita Van Noort, *Tract. de Ecclesia Christi*, n. 155, p. 159. Bussum, 1920[4].

novum omnino favere videtur (1), omnes tolerati manent membra Ecclesiæ, quoniam quoad ipsos plena ac perfecta ratio excommunicationis non obtinet (2).

c/ Tandem membra Ecclesiæ *non* sunt *schismatici*, qui semetipsos, sive bona sive mala fide, ab unitate regiminis ecclesiastici segregaverunt (3).

Schismatici autem proprie dicuntur, qui subesse renuunt summo pontifici, et qui membris Ecclesiæ subjectis communicare recusant (4). Duabus viis igitur aliquis ad schisma pervenire potest : vel directe se subtrahendo ab obedientia pontificis supremi, recusando præceptum ipsius, non quidem ex parte solius rei præceptæ, quo casu habetur sola inobedientia, sed ex parte auctoritatis qua præcipit, recusando scil. ipsam auctoritatem ejus : vel directe abjiciendo communionem fidelium, ut puta agendo cœtum separatum vel intrusum sequendo episcopum, et ita indirecte rumpendo cohæsionem cum ipso capite visibili Ecclesiæ, cui fideles subjiciuntur.

Notandum venit in fine hæreticos, excommunicatos vitandos et schismaticos, qui jam non sunt membra Ecclesiæ, sed fuerunt, manere tamen *subditos* Ecclesiæ et Ecclesiæ jurisdictioni subesse; sed istæ quæstiones ad aliam materiam spectant (5).

H. Lamiroy.

---

(1) Cfr can. 2262, juxta quem omnes excommunicati non fiunt participes indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiæ precum, sed sacerdotes pro ipsis missam applicare possunt privatim ac remoto scandalo, exceptis vitandis, pro quorum conversione solummodo, iisdem in adjunctis, missam offerre licet. Ante jus novum probabilior sententia negabat missam directe offerri posse pro toleratis; cfr De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, III, n. 1417, p. 256.

(2) Ita Billot, *o. c.*, p. 306.

(3) Affirmat Suarezius, *o.* et *l. c.*, n. 14, p. 259, schismaticos manere membra Ecclesiæ; hæc opinio auctoris cohæret cum sententia quam supra defendit, n. 1 s., p. 244 s. et n. 5, p. 246, juxta quam omnes qui fidem habent sunt membra Ecclesiæ.

(4) Cfr *Sum. theol.*, II-II, q. 39, a. 1, c.

(5) Cfr Bouquillon, *Theol. mor. fund.*, n. 154, p. 370, Brugis, 1903[3]; Van den Berghe, *Tract. de legibus*, p. 96. Brugis, 1904[2].

III.

De Accessione III.

Q. *Breviter explica dispositiones juris civilis (art. 554 et 555) circa accessionem rei mobilis ad immobilem per ædificationes et plantationes.*

R. Omissa jam quæstione de accessione minus proprie dicta quæ fit per fructuum productionem, accessio sensu juridico erit : modus acquirendi dominium rei cujusdam accessoriæ, eo quod rei nostræ principali uniatur seu adjiciatur.

Jamvero triplici modo illud contingere potest: vel quia rei nostræ immobili uniatur alia res hucusque immobilis natura sua vel per destinationem (art. 556-564 de alluvione etc. et de certis animalibus) ; vel quia rei nostræ immobili adjiciatur res hucusque mobilis (art. 554 et 555 de constructionibus et plantationibus); vel tandem quia rei nostræ mobili alia mobilis et accessoria adjungatur (art. 565-577 de adjunctione, specificatione et commixtione sive confusione). Porro, relictis illis modis qui minus practici esse videantur (1), de secunda specie accessionis proprie dictæ agere juvabit.

Jam autem Codex civilis, ex principio generali statuto in art. 552 : dominium fundi secum trahere quidquid supra vel infra positum est, deducit in art. sequente hanc præsumptionem : constructiones, plantationes et alia opera in fundo alicujus facta, ab ipso proprietario peracta fuisse propriis expensis, et proinde esse ipsius ; nisi tamen oppositum demonstretur. Quod si hoc revera demonstretur, tunc apparebit vel ipsum proprietarium has constructiones etc. effecisse cum alienis materiis in

(1) Cfr de his ILLmum WAFFELAERT, *De Justitia*, I, n. 178, 203-207, 210; notando usum practicum juris accessionis rei *mobilis ad mobilem* non esse frequentis applicationis secundum legem, propter axioma tunc sæpe usuveniens: en fait de meubles, la possession vaut titre.

proprio suo fundo, vel tertium quemdam propriis vel alienis materiis in fundo domini hæc præstitisse.

Jamvero, in utroque casu lex civilis proprietatem totius rei, jure accessionis, domino fundi adjudicat, aliis tamen et aliis conditionibus.

a. In primo casu, proprietarium fundi adigit ad compensandum domino materiarum, valorem quem habebant materiæ tempore quo adhibitæ sunt: simulque, post sententiam judicis, ad præstanda damna ipsi forsan illata (art. 554); verum, non sinit ut plantata sive ædificata a domino materiarum auferantur: quia accessorium sequitur principale, et lapides isti sive arbores etc. jam facta sunt bona immobilia natura sua (1).

Sane supponitur, in tota hac materia, absque prævia conventione inter partes peractas fuisse ædificationes etc. de quibus agitur; secus enim contractui standum foret, nec leges accessionis applicarentur.

b/ In altero casu, circa possessorem fundi alterius qui ibidem construxerit sive plantaverit, subdistinguit art. 555 inter ejus bonam et malam fidem, eodem sensu ac supra diximus loquendo de fructibus.

Si bona fide fuerit, proprietarius fundi non potest exigere ut plantata etc. auferantur; sed possessori jam evicto refundere debet pro lubitu suo: sive pretium materiarum et operæ, sive augmentum valoris sui fundi nunc existens; quod alterum sæpe minus erit quam primum.

Si vero possessor mala fide fuerit, potest proprietarius vel exigere ablationem constructionum etc. expensis

---

(1) Si vero agatur de materiis quæ etiam post adhibitionem mobiles manserunt, vel immobiles tantum ex destinatione factæ sunt, ut tabulæ pictæ v. g., tunc per se potest earum dominus illas repetere. « Il n'y aurait pas accession ni acquisition de propriété, si le propriétaire d'un terrain, ayant à sa disposition le meuble d'autrui, en faisait un simple immeuble par destination; en ce cas le meuble qu'il a voulu immobiliser garde sa nature propre et son existence distincte; il reste donc la propriété de celui à qui il appartenait d'abord ». PLANIOL, *Droit civil*, I, n. 2722.

alterius, simul cum compensatione damnorum suo fundo illatorum ; vel sibi retinere opera, solvendo tunc valorem materiarum et operæ, non autem eligendo ut prius (1).

Nota. 1°/ Prædictus art. 555 intelligendus est tantummodo de *novis* constructionibus factis sive additis et de novis plantationibus etc., non vero de reparationibus et meliorationibus effectis, erga quas jus accessionis nullatenus usuvenit. Hujusmodi proinde impensæ a proprietario fundi refundendæ sunt necne, prout necessariæ, utiles, aut contra voluptuariæ dicendæ fuerint (2). Quod etiam extendendum videtur illis aliis operibus quæ nec plantationes (aut seminationes), nec constructiones vocari queunt, quoties semel facta avelli non possunt : ut aquæductus etc. (3).

2°/ Disputant autem jurisperiti utrum idem art. applicabilis sit usufructuario et locatario, qui durante detentione sua ædificant aut plantant in fundo quem occupant, absque prævio contractu cum proprietario. Jamvero praxis tribunalium apud nos affirmative respondet : applicari nempe ipsis primam partem dicti articuli, ob generalitatem verborum ibidem adhibitorum ; adeoque

(1) Hæc quidem communiter supponunt possessorem fundi alterius cum propriis suis materiis ibidem construxisse. Quid vero si cum alienis ? Respondetur relationes veri proprietarii cum hujusmodi possessore non inde modificari, adeoque practicum manere art. 555 ; in relationibus autem proprietarii cum domino materiarum, art. 554 tunc usuvenire.

(2) Cf. Illmum Waffelaert. *ibid.*, n. 209.

(3) « En parlant, dans l'art. 555, *d'ouvrages* qui ne sont ni des plantations ni des constructions, le législateur paraît avoir eu en vue uniquement la pose de certains *objets susceptibles d'enlèvement*, comme une pompe, un réservoir métallique, etc., de telle sorte que le possesseur puisse, en rétablissant les lieux dans leur état primitif, reprendre les matériaux qu'il avait employés. Le texte suppose, en effet, que le possesseur peut être obligé par le propriétaire à les *enlever* (al. 1er). Par suite, *les travaux agricoles* de desséchement, de défrichement, de drainage, et autres analogues, ne rentrent pas dans la catégorie des « ouvrages » régis par le texte. Ce sont en effet de simples *améliorations* du fonds, et leur auteur n'a point créé par là une chose nouvelle qui puisse être l'objet d'une *accession* au profit du propriétaire du sol ». Planiol, *ibid.*, n. 2734.

finito usufructu sive locatione, liberum esse proprietario ut auferat ista opera expensis alterius et sine compensatione pro isto, vel ut ea sibi retineat, soluto tunc valore materiarum et laboris (1). Et hæc quidem de novis constructionibus. Compensationem vero reparationum et meliorationum habebit necne locator secundum superius dicta ; nunquam tamen usufructuarius, propter art. 599, quippe qui supponit valorem harum jam per augmentationem fructuum fuisse compensatum.

3°/ Tandem, non applicatur noster articulus illi qui construxit etc. quando erat verus dominus, dum postea proprietarius non remansit : hic nempe semper tunc recipit augmentum valoris fundi. Sic cogita donatarium qui ob legem reductionis acceptum fundum postea reddere debet, in quo jam domum exstruxit (2) ; aut exemplum fundi hypotheca gravati, quem creditores legitime vendere faciunt simul cum domo a proprietario ibidem constructa, etc.

IV.

De Accessione IV.

Q. *Theologice dijudica illas dispositiones codicis civilis.*

R. Principium generale est eas dispositiones juris civilis quas lex in propria sua materia condiderit, quæque sint determinativæ proprietatis, jam ante sententiam judicis et ex justitia stricta obligare : modo tamen non demonstrentur injustæ, nec dubiæ sint interpretationis.

---

(1) Nimirum art. 535 incipit modo omnino generali : absque ulla distinctione inter bonam et malam fidem, aut inter possessores titulo translativo et titulo precario, declarat optionem dari vero proprietario ut omnia auferre faciat vel contra sibi retineat sub dicta compensatione. In fine vero articuli : « néanmoins si les plantations etc. », severitas prioris dispositionis minuitur, parum connexe, in favorem possessoris bonæ fidei qui a domino evincitur : qui casus locatario et usufructuario non est applicabilis, quippe qui titulo precario possident. Restat ergo ut prior pars articuli ipsis applicetur. Cf. *Cass. Belg.* 17 Nov. 1883 ; 27 Jan. 1887.

(2) Cf. art. 843 et 859.

Jamvero tales sunt et ita obligant leges accessionis, generatim saltem. In quibusdam tamen punctis obscuritas remanet, quæ utique sinet ut tunc exspectetur, ab illo cujus interest, sententia judicis; in nonnullis etiam apparet quædam discordia cum æquitate naturali, quæ postulat ut pro posse nemo ex re aliena ditescat; quamobrem inutile non erit de hisce punctis pauca notare.

Equidem, in genere loquendo, accessio per unionem seu adjunctionem ex ipso jam jure naturæ constituit modum acquirendi dominium, ubi res quæ nostræ adjicitur, adhuc nullius erat. Ubi vero jam habebat dominum, tunc de solo jure naturæ singulus proprietarius jus haberet exigendi separationem : sed cum hæc separatio sæpe nociva foret rebus et sæpe etiam impossibilis, pluribusque litibus præberet ansam, ideo propter bonum commune lex positiva totum ordinarie adjecit uni ex duobus dominis, salva generatim compensatione alterius. Quod utique juste decrevit; eo vel magis quod ipsa æquitas naturalis etiam postulet ut res accessoria sequatur principalem, saltem quando separari jam nequeunt (1). Ut nunc ad particularia descendamus :

a) Art. 554 non erit frequentis secundum legem applicationis, propter tritum axioma quod tunc sæpe usuveniet proprietario qui ex materiis alienis plantavit aut ædificavit : en fait de meubles la possession vaut titre. Quod certe axioma bonam fidem requirit ; sed hæc a lege supponitur, dum juxta conscientiam reapse existere debet.

Ubi autem applicandus venit art. 554, damna resarcienda præter valorem materiarum, illa scilicet ad quæ condemnatus fuerit proprietarius fundi, debebit ipse ex justitia solvere, si mala fide adhibuerit materias alienas ; secus, ex obedientia saltem justæ legi debita.

b) Ulterius, circa art. 555 quæstio difficilior primo ponitur de proprietario et possessore *bonæ fidei*, certis in

(1) Cfr Ill^mum^ Waffelaert, *De l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 225.

casibus. Cum enim proprietarius debeat ipsi refundere augmentum valoris sui fundi vel pretium materiarum et operæ, quid fiet si illud augmentum sive pretium notabiliter superet valorem ipsius fundi, ita etiam ut proprietarius tantam summam solvere nequeat? Utique ad apicem juris ille tunc possessor nullatenus tenetur ipsum fundum emere, sed exigere potest ut dominus cuilibet vendat fundum cum superædificata constructione, ad hoc ut solvere valeat; verum, hoc medium sat frequenter erit damnosum proprietario. Ideo, quamvis illud summum jus non sit in casu stricta injuria, sæpe tamen postulabit æquitas ut prior eligatur solutio casus, scilicet ut ipse possessor solvat pretium fundi, qui ceteroquin hic dici potest res minus principalis (1).

Secundo, circa possessorem qui *malæ fidei* appareret in foro externo, dum tamen bonæ fidei existeret in conscientia, eadem imperabit æquitas ut proprietarius, hac re conscius, non exigat destructionem ædificiorum. Quod quidem facile locatariis et usufructuariis applicabitur, qui durante occupatione sua, absque prævia conventione plantaverint aut ædificaverint cum ignorantia juris (2).

Sed ex alia parte difficultas oritur, eo quod in casu malæ fidei juridicæ possessoris non possit proprietarius, si constructiones sibi retineat, solvere pro lubitu sive valorem materiarum et laboris sive augmentum valoris sui fundi, sed debeat primum eligere: ita enim magis sæpe solvet quam inde lucratur. Igitur poterit tunc in conscientia sibi providere: minando possessori destructionem ædificiorum, nisi ille pretio conveniente contentus sit; vel etiam illum ut possessorem bonæ fidei tractando.

(1) Hæc æquitas naturalis, per se solam, non videtur ad peccatum mortale obligare posse. Sed addi potest peccatum grave contra caritatem, ubi gravis jactura aut etiam gravis dolor alteri imponitur, absque causa sufficiente et absque proportionato incommodo proprio.

(2) Idem etiam quandoque dicendum erit de meliorationibus ab usufructuario bona fide factis, saltem si hæ impensæ per augmentum fructuum jam perceptorum non fuerint compensatæ.

c/ Tandem, casus obscurus datur et a lege insufficienter provisus, ubi vicinus proprietarius limites fundi sui paulisper excedit, domum v. g pro exigua parte ædificando super fundum alienum. Singulus enim dominus fit tunc proprietarius cujusdam partis domus; nec tamen proprietas est in indiviso, adeoque neuter partitionem exigere potest. Mala autem fides ædificantis, quæ permitteret ut auferatur pars ædificii, nec ita frequenter tunc adest, nec præsertim facile demonstrari potest. Stante ergo lege, communiter solvi debebit pro hac parte domus pretium materiarum et operæ sive augmentum valoris fundi : quod certe mirum apparet et inconveniens, adeo etiam ut praxis tribunalium in casu non sit firma, sed variet pro circumstantiis. In conscientia igitur oporteret tunc convenire ; et utique æquum foret ut proprietarius domus alteri parti refundat pretium occupatæ terræ ; quodsi res amice non procedat, sententiæ judicis per se standum erit (1).

E. Hosten.

V.

De remediis scrupulorum.

Q. *Indica remedia adhibenda ad sanandam conscientiam scrupulosam* (2).

Sanatio scrupulositatis non in eo consistit quod jam non oriantur in animâ vani timores peccandi, sed in eo quod hi timores si nascantur, contemnantur, seu practice pro nihilo habeantur relate ad activitatem dirigendam, quatenus nulla eorum ratio habeatur in eligenda actione aut omissione, seu quatenus agatur acsi non adessent.

Tunc autem perfecta erit sanatio quando acquisitus fuerit habitus ita negligendi timores inanes, (qui cete-

(1) Cfr Planiol, *ibid.*, n. 2735.

(2) Vide bibliographiam *Collat. Brug.*, t. XXII, p. 473. Cfr etiam A. Poulain, S. J., *Des grâces d'oraison*, 8e éd., p. 445 ss.

rum ex hoc contemptu paulatim et frequentia et intensitate decrescunt), seu quando voluntas scrupulosi sufficientem audaciam adepta fuerit ut, posthabitis angoribus suis, juxta communem agendi modum prudentum et ipse facile agere audeat.

Obligatoria est sanatio scrupulositatis ratione nocumenti temporalis et spiritualis quod ægroto affert. Et hæc obligatio potest esse *objective* gravis, ubi nimirum scrupuli cum officiis status, v. g. parochi, componi non possunt, aut ubi proximum periculum ruinæ sive mentalis sive spiritualis inducunt (1). *Subjective* tamen fere semper deerit hoc peccatum grave apud scrupulosum ex defectu advertentiæ ad illam obligationem, vel quia non voluntarie et libere negligitur. Imo non raro expedit non insistere apud scrupulosum in hac obligatione, ne inde nova oriatur perturbatio aut et perplexitas ac periculum desperationis (2).

Sed jam ad remedia properemus contra tam infensum animi morbum obviantia : prius autem ea indicabimus quibus malum præveniri, dein vero ea quibus sanari potest.

Remedia præventiva. 1/ Primum est generale, debita nimirum *conscientiæ educatio* inde a prima pueritia. Hæc autem est opus collectivum ipsiusmet subjecti, parentum, magistrorum, confessariorum, et eo tendere debet

---

(1) Hæc obligatio non urget graviter in singulis actibus, in singulis scrupulis impugnandis, sed in genere ut certamen contra scrupulos assumatur et sustineatur.

(2) Cfr. A. Vermeersch, S. J. *Theologia fundamentalis*, t. I, p. 341; A. Lehmkuhl, *Theologia moralis*, ed. 11a, t. I, p. 84. « Il ne serait pas toujours prudent de parler à l'intéressé de cette responsabilité qu'il encourt [en ne se corrigeant pas]. En présence d'un de ces scrupuleux que nous avons dénommés intellectuels, ce serait souvent un moyen efficace. Mais pour les sensibles... un tel avertissement pourrait avoir des conséquences désastreuses: la crainte de pécher en désobéissant, [seu non impugnando scrupulos], s'ajoutant à la crainte de pécher en abdiquant son jugement propre, [seu contemnendo scrupulos], achèverait facilement de les désarçonner et les pousserait au désespoir ». E. Leroux, *Revue ecclésiastique de Liége*, t. VIII, p. 6.

ut ab initio conscientia efformetur plene recta, tum antecedenter tum consequenter ad actionem : talis nimirum conscientia quæ de moralitate actionum habitualiter vere pronuntiat, quæ præterea juxta illam æstimationem actionem suadet aut dissuadet, quæ demum postea actiones positas pro merito laudat vel arguit. Imo perfectio conscientiæ rectæ intendatur, conscientia scilicet tenera seu timorata « quæ leves etiam honestatis vel inhonestatis rationes percipit, suadet vel dissuadet antecedenter, et consequenter probat vel reprehendit » (1).

2/ Alterum magis speciale consistit in *cavendo a phobiis*, utpote cum scrupuli pertineant ad hoc genus affectionum morbidarum animi. « Ideo parentes curabunt ut nullis fabulis pueri ad vanas formidines inducantur vel disponantur ; ipsis libros aut spectacula [ut puta cinematographica] prohibebunt quibus phantasia nimis excitetur ; immo ipsos ad quamdam moderatam audaciam provocabunt. Atque in propria nostra causa, prima initia nimii timoris fortiter ipsi impugnabimus, nihilque neglegemus ut mala præsentia potius parvipendamus, omnem « egoïsmum » seu nimiam proprii corporis, propriæ utilitatis sollicitudinem deponamus, et robur animi nobis comparemus. In re quoque religiosa, si terrores quidam, veris tamen argumentis et non aliis incutiendi, utiles actu esse possunt, habitualis terror nocivus est. Timere quidem Deum jubemur, sed timore filiali » (2).

Remedia autem *sanativa* alia sunt negativa, alia positiva.

1° *Negativa* seu evitatio causarum scrupulorum quas supra assignavimus sive internarum sive externarum,

---

(1) A. Vermeersch, *o. c.*, p. 336.

(2) *Ibid.*, p. 86 sq. Multa practica documenta et quam opportuna, ex verbis citatis educatores depromere possent! Item concionatores et confessarii. Adverte etiam in conscientia scrupulosa prædominari timorem peccati et pœnæ, talem autem timorem restringere animam eamque a perfectione vitæ cohibere. « Qua talis, scrupulosus numquam generosus et magnanimis demonstratur, cum de reatu suo, de sua sorte futura, non autem de Deo amando, de juvando proximo, de perfectiore bono inquietus sit ». A. Vermeersch, *o. c.*, p. 339.

ut sunt excessus laboris intellectualis aut austeritatis, intemperantia, commercium cum scrupulosis, examen conscientiæ frequens, protractum et meticulosum, otium, nimia solitudo etc. (1)

2° *Positiva* seu reeducatio conscientiæ sub ductu efficaci confessarii (2).

1. Imprimis « caput » est reformandum : diu et multum insistendum est ut notiones et principia recta in mente scrupulosi alte imprimantur donec hæc fiant ideæ directivæ vitæ ejus.

Itaque *a*/ corrigendi sunt errores particulares unde scrupuli comperti sunt ortum ducere, v. g. in materia justitiæ aut castitatis.

b/ Idea recta de Deo incessanter ingeratur, quam nimirum S. Scriptura inculcat ubi dicit « Deus charitas est » (3), et quam mater Ecclesia exprimit ubi orat : « Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas » (4) ; « qui abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota » (5). Deo indignum est quod concipiatur tamquam judex humanus, aut tamquam tyrannus. Nulla est oppositio inter misericordiam et justitiam ejus : non cessat esse misericors in judicio, imo ideo misericors est quia justus est, rationem habens omnium circumstantiarum quæ tollunt aut minuunt voluntarietatem et imputabilitatem.

c/ Vera principia fundamentalia scientiæ moralis inculcentur deciesque, centiesque, ut sunt sequentia : omne

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XXII, p. 500.

(2) Tamquam remedia contra organicam ægritudinem sæpe conjunctam cum scrupulis consulantur vita sana, simplex, moderate occupata, debitis recreationibus interrupta, nutritio hygienica. Cetera autem spectant medicum. « Les médecins indiqueront les calmants du système nerveux, fortifieront les muscles et corrigeront les digestions qui donnent des idées noires ». A. Poulain, *o. c.*, p. 446.

(3) « Qui non diligit, non novit Deum : quoniam Deus charitas est ». *I. Joa.* IV, 8.

(4) Collecta in dominica 10a post Pentecosten.

(5) Collecta in dominica 11a post Pentecosten.

peccatum voluntate perfici, non sensu (1); moralitatem formalem, subjectivam actionum nostrarum determinari per judicium conscientiæ antecedentis non vero consequentis; ad peccatum formale grave requiri ex parte intellectus plenam et perfectam advertentiam ad malitiam gravem, ex parte voluntatis plenum consensum; ad licite operandum requiri judicium conscientiæ practice certum de honestate actionis hic et nunc ponendæ, sufficere autem talem certitudinem quæ in moralibus sola obtineri potest, non metaphysicam aut mathematicam scilicet, nec physicam, sed moralem et quidem frequenter late dictam; certitudinem practicam posse componi cum dubio speculativo probabili, a fortiori cum dubiis inanibus scrupulosorum; praxim communem timoratorum esse normam agendi practice tutam. Sæpe etiam explicanda erit distinctio inter voluntarium in se et voluntarium in causa, et inculcandum erit quandoque licere voluntarie ponere causam effectus mali, modo hic compensetur per effectum bonum proportionatum, æque immediatum, qui intendatur, dum agens sese permissive habet ad malum.

2. Præcipua tamen pars hujus curationis est in reformanda voluntate.

a/ Apud scrupulosos intellectuales ante omnia retundenda erit pertinacia et obstinatio in proprio sensu, exigendo humilem submissionem judicii judicio confessarii, et in genere virtutem humilitatis inculcando.

b/ Apud omnes provocanda est filialis fiducia in Patrem nostrum qui in cœlis est, per actus repetitos seu per iteratas protestationes fiduciæ, etsi hæ initio videantur non sincere ex corde sed a labiis tantum procedere (2). Sed

---

(1) Unde, ut dicitur, non nocet sensus ubi deest consensus. Quoties autem animæ piæ anguntur et dejiciuntur quia tentationes experiuntur, ex hac infausta confusione sensus et consensus.

(2) Huc facient preces jaculatoriæ: In Te, Domine, speravi, non confundar in æternum. Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Spero Domine, sed sperem securius. Sacrum Cor Jesu, in Te confido.

ultra fiduciam tendendum est ut timori scrupulosorum substituatur charitas: ille enim est principium vitæ servilis et mercenariæ, hæc sola fons est vitæ vere filialis. Cui exercitationi in charitate erga Deum quam utiliter addetur praxis charitatis fraternæ per opera zeli et misericordiæ.

c/ Apud omnes, sed maxime apud sensibiles, voluntas incessanter exercenda est ad audaciam, ad virtutes nimirum constantiæ et perseverantiæ, generatim per praxim assiduam mortificationis, sed in specie per obedientiam cæcam unico confessario prudenti et pio præstitam (1), adeoque per contemptum scrupulorum tum internum, eos non discutiendo, sed negligendo, tum externum, eis non obtemperando, sed stricte regulam a confessario traditam observando. Hæc autem regula formula generali exprimi potest: « marchez, sauf évidence », i. e. inhæsitanter agas nisi habeas evidentiam peccati (2). Simul autem omni modo conabitur confessarius suadere scrupulosis ut jam cessent dissipare vires animi in impugnandis vanis phantasmatibus, sed eas deinceps convertant in veros defectus corrigendos, in vitium suum dominans extirpandum et hunc solum scrupulum retineant, nimirum quod confessario suo non obediant et scrupulis suis consentiant.

3. Quum autem conscientia christiana, utpote norma directiva filii Dei adoptivi in finem suum supernaturalem, sit regula penitus supernaturalis, dictamen nimirum

---

(1) Dico *unico* confessario, nam nisi quis in dirigendo scrupuloso « monopolium » habeat, excepto utique casu prorsus insolito, omnem in eo operam perdet.

(2) Cfr S. Alphonsus, *Praxis confessarii*, n. 98. Lege A. Eymieu, *Obsession et scrupule*, p. 248 ss., ubi hæc regula explicatur et defenditur. Audi eam paucis declaratam: « Pour moi, en fait d'obligation de conscience, ... il n'y a que les évidences qui comptent... Pour moi — qu'il s'agisse de péché mortel, de péché véniel ou d'imperfection — je ne puis contracter que le mal dont j'ai l'évidence parfaite ». « Au besoin d'être sûr le principe substitue celui de n'être pas sur » [dès qu'il y a un peut-être, il n'y a plus d'obligation].

rationis practicæ fide divina illustratæ et instructæ dono consilii ac virtute prudentiæ supernaturalis, statim intelligitur pacem conscientiæ non esse fructum conatuum solius hominis, sed esse donum Dei, seu effectum gratiæ divinæ, adeoque ad eam obtinendam et conservandam adhibenda esse media supernaturalia. Eam igitur postulabit scrupulosus oratione fiduciali a Deo, et « Deus pacis et dilectionis » erit cum illo (1). In hunc scopum invocabit Spiritum Sanctum, nam « Fructus... spiritus est .. gaudium, pax » et « Regnum Dei... justitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto » (2); eam pacem hauriet ex frequenti communione, quum ss. Eucharistia sit sacramentum pacis; filialiter sese commendabit Beatæ Mariæ Virgini, utpote reginæ pacis.

Unum tamen advertamus quoad devotionem scrupulosorum, eorum præcipue quos sensibiles vocavimus, sedulo conandum esse ut seria sit et substantialis, cavendum vero ne fiat « sentimentalis » (3).

Duo pro coronide adnotemus. 1° Sanatio conscientiæ scrupulosæ « non est opus unius dei, nec ludus parvulorum », sed multa patientia necessaria est tum medico tum ægroto, qua deficiente jam nulla restat spes successus.

2° Ut ex dictis satis liquet, hæc sanatio est essentialiter auctoritativa. Unde utile ducimus recitare classica verba s. Alphonsi de obedientia confessario præstanda (4) : scrupulosus « instanter Deo se commendet, ad opem obtinendam parendi præceptis sui directoris ; hoc enim super omnia præcipuum, imo unicum potest dici remedium hujusmodi infirmorum esse, omnino acquiescere judicio sui superioris sive confessarii, ut omnes docent Patres, theologi et spirituales magistri. Hinc valde pro-

(1) *II Cor.* XIII, 11.

(2) *Gal.* V, 22; *Rom.* XIV, 17.

(3) Cfr *Theologische praktische Quartalschrift*, 1914, p. 690 ss.

(4) *Theologia moralis*, ed. Gaudé, t. I, n. 12-13, p. 6-7. A. Poulain, *o. c.*, p. 447 : « Puisqu'on [c. a. d le scrupuleux] est, comme un enfant, incapable de se conduire soi-même et de décider entre le bien et le mal en certaines matieres, il faut se résigner à être conduit par un autre ».

derit ad sedandas conscientias scrupulis agitatas, ut confessarius eis ante oculos exponat has egregias sapientum auctoritates, quas hic subdo — ..... S. Antoninus ..... affert illud B Bernardi, qui dixit discipulo cuidam scrupuloso : *Vade, et in fide mea celebres.* At, dicet aliquis, utinam esset mihi s. Bernardus !... Respondet s. Antoninus .... *Quisquis ita dicis et sapis, erras et desipis : non enim commisisti te et salutem tuam in manus hominis, quia prudens est et plurimum litteratus, aut devotus, sed quia tibi est... præpositus... Quamobrem obedias sibi, non ut homini sed ut Deo... Caveas ad extremum, ne dum quæris securitatem, ... in gravem ruas dijudicationis et præsumptionis foveam.* — Hinc s. Philippus Nerius suis pœnitentibus sic ajebat: *Qui proficere in via Dei cupiunt, submittant se confessario docto, cui obediant ut Deo. Qui ita operatur, fit securus a reddenda ratione cunctarum actionum suarum...* Pariter s Franciscus Salesius, loquens de directione patris spiritualis, scribit ex B. Joanne Avila: *Nullo meliori modo de Dei voluntate aperte nos certos fieri, quam per humilem obedientiam ipsius* [directoris] *præceptis.....* Quapropter confessarius enixe curet pœnitentibus scrupulis vexatis suadere, quod omnino tutus incedit qui sui directoris consiliis acquiescit, et obtemperat in omnibus in quibus evidens peccatum non apparet; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo dicenti (Luc. X, 16): *Qui vos audit me audit : et qui vos spernit me spernit.* Contra vero inculcet, magno suæ salutis discrimini se committere qui præceptis sui confessarii renuit obedientiam præstare.

A. Legrand.

VI.

De nominatione et institutione parochorum.

Q. *Cuinam competit jus nominandi et instituendi parochos?*

Prænotandum est discrimen quod intercedit inter actum nominationis et institutionis. *Nominatio* est actus quo designatur persona officio alicui præficienda et fit, intervenientibus patrono aut electoribus, per præsentationem aut electionem, vel, nemine interveniente, per liberum collatorem. *Institutio* autem est actus legitimi superioris ecclesiastici quo confertur ipse titulus officii ecclesiastici.

Dum personæ idoneæ designatio per electionem aut præsentationem ad summum tribuit *jus ad rem*, institutio collativa tituli confert *jus in re* (1).

R. 1° *Sede episcopali plena*, eo quod parochi vocati sint in subsidium sollicitudinis episcopalis, « jus *nominandi* et *instituendi* parochos competit *Ordinario loci*, reprobata contraria consuetudine » (can. 455, § 1) Episcopus in proprio territorio habet intentionem in jure fundatam quoad collationem omnium beneficiorum non reservatorum (2). Cui juri Ordinarii loci duplex a jure communi apponitur restrictio : *a*/ « exceptis parœciis Sanctæ Sedi reservatis », vigore can. 1435 (3) ; *b*/ et « excepto privilegio electionis aut præsentationis, si cui legitime competat », v. gr., si agatur de parœciis sub jure patronatus jam constitutis aut si parœcia pleno jure unita fuerit ecclesiæ capitulari. Quibus in casibus, patronus vel capitulum præficiendum in parochum aut in vicarium curatum *præsentat* Ordinario, qui eidem, idoneo reperto, *institutionem canonicam* concedit.

Notandum est apud nos *reservationes pontificias* non vigere ; sublatæ enim sunt articulo 10 Concordati anni 1801 (4). Nullum aliunde superest in nostris regio-

---

(1) Cf. De Meester, *Jur. can. compend.*, t. I, n. 396.

(2) Cf. can. 1432.

(3) Sunt, v. gr., parœciæ quæ vacaverint per beneficiarii obitum in Urbe, aut quæ invalide ob simoniam collatæ fuerint, etc. — Romanus Pontifex, vi supremæ suæ potestatis, omnia officia et beneficia conferre potest, sive interveniat in casu particulari, sive statuat normas generales, quibus in determinatis adjunctis sibi vindicet collationes parœciarum, v. gr., *jure devolutionis*, si Ordinarius intra semestre ab habita certa notitia vacationis beneficium non contulerit (can. 1432, § 3), vel *jure reservationis*. Cf. Wernz, *Jus Decretalium*, t. II, p II, p. 110 ss.

(4) Quod communiter docent auctores. In art. 10 Concordati, aiunt, vox *nominabunt* intelligenda est, non tantum de *nominatione* rectorum, sed etiam de *collatione* beneficiorum parœcialium. Hoc suadent tum ipsa significatio vocis gallicæ *nommer* ; tum Concordatum inter Pium VII et Napoleonem initum, 16 septembris 1806, quoad rempublicam Italicam, in quo expressis terminis, articulo 12, S. Sedes tribuit Episcopis jus omnes parœcias conferendi ; tum denique constans praxis a dicti Concordati 1801 tempore usque ad præsentem diem. Cf. Bouix, *De parocho*, p. 322 ss.

nibus jus patronatus, nec existunt parœciæ pleno jure unitæ personæ morali. Proinde, utroque sub respectu, Episcopus hic omnino *libere* confert beneficia parœcialia, servatis servandis in provisione parochorum.

2° *Sede vacante aut impedita*, nisi Sancta Sedes aliter providerit, « ad Vicarium Capitularem aliumve qui diœcesim regat (1), pertinet : *a*/ vicarios parœciales constituere ad normam can. 472-476 », nempe vicarios œconomos, substitutos, adjutores et cooperatores, quorum certi plena potestate parœciali præditi sunt (2) ; *b*/ « confirmare electionem aut acceptare præsentationem ad parœciam vacantem, et institutionem electo aut præsentato concedere »; possunt v. gr , vicarios curatos seu actuales personarum moralium instituere ; *c*/ « parœcias liberæ collationis conferre, si sedes ab anno saltem vacaverit » (can. 455, § 2 ; 1432, § 2). Animadvertatur *Vicario Generali* nullum jus competere circa nominationem aut institutionem parochorum nec circa constitutionem vicariorum, nisi ex mandato speciali agat, aut nisi regat diœcesim *sede impedita*, quo casu pollet omnibus facultatibus supra Vicario Capitulari adscriptis (can. 455, § 3 ; 1432, § 2).

3° Si parœcia est *concredita religiosis*, ita ut sit pleno jure religiosa, superior sacerdotem suæ religionis *præsentat* Ordinario loci, qui postquam de idoneitate præsentati definitive judicaverit eidem *institutionem canonicam concedit* (can. 456 ; 1425, § 2).

4° In locis missionum *quasi-parochos* e clero *sæculari* proprius loci Ordinarius, scilicet Vicarius aut Præfectus Apostolicus, nominat, audito consilio constituto ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis (can. 457 ; 302).

Si missio *religioni* sit concredita, applicentur eædem normæ superius traditæ quoad parœcias religiosas.

A. De Meester.

---

(1) Cf. can. 429 ss.
(2) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XXII, p. 478 s.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis januarii propositas.

—

I.

« Non veni solvere, sed adimplere ».

Q. *Interpretare* Matth., *V, 17-19.*

R. In sermone montano, qui merito habetur qua promulgatio legis Novi Testamenti, illi respondens promulgationi legis Veteris Testamenti quæ in monte Sinai locum habuerat, non poterat Jesus non in lucem ponere respectum quem ipse relate ad veterem illam legem mosaicam ejusdemque interpretationem judaicam assumere intendebat. — Cæteroquin ipsi vv. explicandi manifeste innuunt apud non paucos Jesu coævos vigere opinionem novum illum doctorem, in scholis judaicis non formatum, abrogare veterem Legem. Quare dicit Jesus : « *Nolite putare quoniam veni solvere legem ; non veni solvere, sed adimplere* » (1).

---

(1) Nihil demonstrat sermonem montanum, et signanter hanc partem sermonis, revera primo initio vitæ publicæ fuisse prolatum; contra ipsa opinio quam verba Jesu apud auditores suos vulgatam supponunt, indicat jam præcessisse nonnulla dicta aut facta Jesu huic opinioni ansam præbentia, quamvis utique ea apud *Mt.* hucusque non fuerint narrata, ut puta sic dictæ violationes sabbati, disputationesque inde exortæ; declarationes Jesu quales occurrunt apud *Mt.*, IX, 16 s. — Unde dicendum videtur *Mt.*, ordine chronologico relicto, magis ordini logico inhærendum putasse, primumque Jesum qua doctorem describere intendisse.

Vv. 17-19 arcte cohærent cum præcedentibus: Vos, discipuli mei, sic dixerat vv. 14 ss., debetis bonis operibus vestris prælucere aliis hominibus. Etenim, sic pergit vv. 17 ss.: *nolite putare*, ut quidam blasphemant, me venisse ad legem abrogandam: non veni ad vos levandos onere legis, contra veni legi adhuc addere. — Item arcte connectuntur, quod bene notandum, cum sequentibus. Etenim in vv. 20 iterum inculcat discipulos suos, lege illa sic ad perfectionem suam adducta servata, sanctiores esse debere ipsis Pharisæis et Scribis, et in vv. 21 dictum illud generale variis exemplis concretis enucleat. Porro omnia hæc perplura exempla concreta unice et exclusive ad legem moralem, ad legem naturalem pertinent; ne minima quidem allusio habetur ad sic dictam legem ritualem, puta de sabbato servando, de ablutionibus hominum vel rerum, de sacrificiis offerendis, et aliis hujusmodi: nulla quoque allusio ad prophetias Veteris Testamenti a Jesu adimplendas aut ad doctrinam dogmaticam perfectiorem proponendam.

Unde jam licet determinare, ex optimo illo criterio quod est contextus, sensum quo Jesus dicit se venisse *non ad solvendum* seu abrogandum, *sed ad adimplendum* seu ad suam perfectionem adducendum *legem aut prophetas*. -- Verum quidem est Jesum eventu complevisse omnia oracula veteris Testamenti; verum est Jesum, tum opera personali, tum opera Spiritus sancti, eximio modo doctrinam dogmaticam Veteris Testamenti novis revelationibus adauxisse; verum est Jesum omnibus ritibus Veteris Testamenti, quasi umbræ et typo futurorum, substituisse perfectam realitatem: sacrificiis antiquis sacrificium crucis, cœnæ paschali cœnam eucharisticam, balneis et ablutionibus baptismum christianum et pœnitentiæ sacramentum, et alia hujusmodi innumera; verum est, his omnibus attentis, neque iota neque apicem a lege præteriisse, sed omnia, sive in seipsis, sive in forma sua longe perfectiori, fuisse servata et usque ad finem mundi esse permansura. Sed hæc omnia, ut ex contextu apparet

hic non sunt ad rem, quum unice agatur *de perficienda lege morali* (1).

Eodem modo intelligendus est v. 18: *Donec transeat cœlum et terra*, i. e. usque ad finem mundi, seu quod idem esse videtur, *donec omnia fiant* (2), *non præteribit a lege*, i. e. iterum a lege morali et naturali — de lege rituali in toto contextu non fit mentio (3) — *iota unum aut unus apex*, i. e. vel minima pars (4). — Et hæc idea resumitur et applicatur in v. 19, ubi iterum de « *mandatis istis minimis* » audimus quæ negligi non poterunt. Mira utique expressio, quam optime intelligimus tamquam allusionem a Jesu factam ad doctrinam Scribarum et praxim Pharisæorum quam hic et in reliquo contextu vituperat. Nimirum :

Notum est *Scribas*, interpretes officiales legis mosaicæ et *Pharisæos*, qui tamquam perfectos ejusdem legis servatores se ponebant, literæ legis nimis inhærentes spiritumque ejusdem negligentes, nonnisi modo valde incompleto legem moralem naturalem concepisse. Lex enim mosaica, quantum ad partem illam moralem, utique fuerat codex legum quæ præcipue ad vitam externam et

---

(1) Neque arguas agi de universo vetere Testamento, de omnibusque ejus institutis, ex eo quod « *lex et prophetæ* » sint duæ partes librorum veteris Testamenti quæ simul cum tertia parte — Hagiographis seu, ut interdum dicitur, cum Psalmis — integrum canonem librorum sacrorum a Judæis admissum constituunt. Verum est hoc utique; in casu tamen non urgendum, quum ex contextu pateat « legem aut prophetas » poni pro omnibus *mandatis* ad legem *moralem* pertinentibus, quæ utique sparsa invenire erat in libris veteris Testamenti. Unde in v. 19 de solis *mandatis* fit mentio.

(2) « *Donec omnia fiant* » potest intelligi vel: donec cœlum et terra finem accipiant, — vel, melius forte: donec omnia in vetere Lege prædicta impleantur, inter quæ etiam est omnium rerum consummatio; sensus in idem redit.

(3) Quod si aliquis velit Jesum de universa lege, etiam de parte rituali, dixisse, hanc utique usque ad finem mundi permansuram dicere poterit in ea nempe forma perfectiori ad quam Jesus eam adimpleverit.

(4) *Iota* seu *jod* est minima littera alphabeti hebraici; *apex* intelligitur pars literæ, puta ea quibus literæ forma sibi satis similes ab invicem dignoscebantur.

socialem spectabant; imo quoad ipsa externa et socialia plura prætermiserat, ut puta de injuriosis verbis vitandis; neque in omnibus, ut puta in lege divortii, puritatem primitivæ legis naturalis sectata fuerat. — Unde Scribæ et Pharisæi, hæc a lege mosaica neglecta, ipsi quoque in doctrina et praxi, tamquam minoris momenti, tamquam *mandata minima* satis negligebant; quod bene apparet ex omnibus exemplis concretis a Jesu in sequentibus adducendis. Hinc intelligitur dictum Jesu in v. 19: *Qui ergo solverit*, i. e. practice violaverit — ut faciunt Pharisæi — *unum de mandatis istis* quæ ipsi *minima* dicere solent, *et qui* — sicut Scribæ faciunt — *docuerit sic homines*, ille *minimus vocabitur in regno cœlorum*, seu: non erit membrum regni mei messianici (1); *qui autem* legem illam integram *fecerit* seu observaverit et sic *docuerit* eam alios, *hic magnus vocabitur* seu membrum erit *in regno cœlorum* (2).

Unde concludere liceat sensum vv. 17-19 hunc esse: Jesus loquitur de lege morali naturali; de hac dicit se non venisse ad eam auferendam sicque minuendum onus suorum sequacium, sed contrà, venit ad eam perficiendam, iis nimirum quæ, Scribæ et Pharisæi, juxta legem scriptam mosaicam, docebant et servabant, addendo plura quæ ad interna spectabant, ea quoque addendo externa quæ explicite in lege illa non fuerant memorata, et tandem ea in quibus lex mosaica a primitiva puritate legis naturæ abierat ad primævam perfectionem reducendo.

A. Vander Heeren.

---

(1) *Vocabitur*, hebraica dictio pro: *erit*. — *Minimus vocabitur* seu erit, nullatenus significat distinctionem inter membra regni messianici, alia majora alia minora, sed significat: *nullus erit, non erit*. Et expressio, utique satis mira, intelligitur per aliquam paronomasiam seu attractionem: *Qui hæc præcepta dicunt minima, ipsi dicentur minimi.*

(2) Eodem modo quo statim diximus in *nota* præcedenti intelligitur expressio: *magnus vocabitur.*

II.

De necessitate conjunctionis cum Ecclesia.

Q. *Quænam est necessitas actualis conjunctionis cum Ecclesia? Explica responsum et inde dijudica sequens axioma: « Extra Ecclesiam nulla salus ».*

R. Actualis conjunctio cum Ecclesia, cum societate visibili a Christo fundata, est necessaria ad salutem a/ *necessitate præcepti*, pro omnibus adultis; b/ *necessitate medii*, ex *ordinario* Dei providentiæ consilio, pro omnibus hominibus (1); hæc tamen necessitas *supplebilis* est dicenda. Inde sequitur *extra Ecclesiam visibilem* nullam dari salutem eo sensu quod qui *sua culpa* extra hanc societatem vivunt et moriuntur, certo damnantur.

Explicatur. — Secundum doctrinam Aquinatis, *necessarium* dicitur « id quod non potest non esse » (2) et hoc primo et primario verificatur in iis, quæ naturam ipsam rei constituunt (causæ intrinsecæ), vel ad eamdem naturam consequuntur et in eadem causam habent. Ita loquimur de ente necessario; dicimus ens compositum materiale necessario corrumpi; idem ens necessario esse quantum; necesse esse triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; voluntatem necessario appetere bonum (3).

Ad hunc primarium modum reducuntur omnes alii modi necessitatis, qui sunt ex causis extrinsecis, efficiente vel finali (4); et revera ex parte causæ finalis, quam spe-

---

(1) Cfr Leo XIII, encycl. *Satis cognitum*, 29 junii 1896, de unitate Ecclesiæ: « Religionem... mortalium generi omni ex parte absolutam sola præstat (Ecclesia catholica): itemque ea, quæ, *ex ordinario providentiæ consilio* sunt instrumenta salutis, sola suppeditat ». Apud *Acta S. Sedis*, XXVIII, p. 723 vel *Collat. Brugen.*, I, p. 453.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 41, a. 2, ad 5; q. 82, a. 1, c.

(3) S. Thomas, *In metaphysicam Aristotelis commentaria*, lib. v, lect. 6, n. 827 s.; *Sum. theol.*, I, q. 82, a. 1, c.; III, q. 14, a. 2, c.; q. 46, a. 1, c.; hæc est necessitas quæ *naturalis* et *absoluta* vocatur.

(4) Necessitas ex parte agentis vel cogentis vocatur necessitas *coactionis*; inducit autem motum violentum; cfr s. Thomas, *In metaph. Arist. comment.*, *l. c.* n. 829 s. et 835; *Sum. theol.*, II-II, q. 58, a. 3, ad 2; q. 88, a. 6, ad 1; q. 186, a. 5, ad 5; III, q. 14, a. 2. c.

ciatim nunc considerandam habemus, necessaria dicimus *ea quæ sunt ad finem*, quatenus finis sine iis jam esse vel obtineri nequit. Hæc porro quæ sunt ad finem, vocantur *media*, unde *necessitas medii* habetur quoties hoc quod est ad finem *a/* est *vere medium*, id est positive conducens ad finem et non tantum removens prohibens, ac *b/* simul *necessarium*, id est tanquam positive conducens requisitum, ita ut hoc medio, etiam inculpabiliter omisso, finis jam esse non possit (1).

Necessitas autem medii potest esse vel *insupplebilis* vel *supplebilis*, prout nimirum hoc solum medium et non aliud est adhibendum, vel aliud medium *subsidiarium*, primarium formaliter supplens et ab eodem dependens, adhiberi potest (2).

Sensu nunc derivato ex ordine physico ad ordinem moralem, quoniam id, quod non potest non esse, debet esse, loquimur etiam de *necessitate præcepti*, quatenus non possumus tale quid non facere, sed debemus idem facere, *quia præcipitur*. Hæc necessitas est itaque potius obligatio quæ oritur ex præcepto, quare *a/* solos adultos afficit, qui soli sunt obligationis moralis capaces; *b/* statim ac semper desinit, quam primum et quoties habetur causa, puta per ignorantiam inculpabilem aut per impotentiam, quæ a violatione obligationis moralis, a peccato scil. excusat.

---

(1) Cfr s. THOMAS, *In metaph. Arist. comment.*, *l. c.*, n. 827 s. et 834; *Sum. theol.*, II-II, q. 88, a. 2, c. — Hæc necessitas, quam s. Thomas vocat necessitatem *finis*, iterum distingui potest, uti Aquinas notat in commentario suo in metaphysicam et pluribus aliis in locis (*Sum. theol.*, II-II, q. 141, a. 6, ad 2; III, q. 1, a. 2, c.; q. 65, a. 4. c.), prout *id quod est ad finem*, ita est ad finem ut sine ipso jam finis esse nequeat et hoc est proprie necessarium finis seu medium necessarium; aut ita est ad finem ut sine ipso finis bene vel convenienter esse nequeat, et hoc est necessarium finis minus proprie dictum seu potius utile, ut explicite additur in *Sum. theol.*, I. q. 82, a. 1, c.; potest hoc etiam quandoque dici necessarium ex suppositione et obtinet v. g. quoad incarnationem; cfr *Sum. theol.*, III, q. 1, a. 2, c.

(2) Cfr ILLUST. AC REV. WAFFELAERT, *Annot. in tract. de virtut. theol.*, n. 158, p. 54 s.; A. DESMET, *Tract. de sacr. in genere, de baptismo et confirm.*, n. 251 ss., p. 203 s., Brugis, 1915 et *Collat. Brugen.*, IV, p. 398 s.

Uti patet, quod est necessarium necessitate medii potest simul esse necessarium necessitate præcepti, quando medium adhibendum simul sub præcepto cadit.

2/ Hisce prælibatis et recte intellectis, jam ipsum responsum facile intelligitur.

a/ Actualis conjunctio cum Ecclesia est necessaria *necessitate præcepti*, *quoniam* et ipsa *præcipitur*, sed hoc præceptum *solos adultos* afficit (1).

b/ Actualis conjunctio cum Ecclesia est necessaria *necessitate medii ;* hoc est medium a Deo institutum et necessario adhibendum ab omnibus, ita ut sine hoc medio ad salutem perveniri nequeat (2).

Sed possunt utique homines adulti pertingere ad salutem per baptismum flaminis, seu per actum caritatis perfectæ cum sacramenti baptismi voto saltem implicito, quod jam includitur in bona voluntate præstandi omnia, quæ Deus jusserit (3). Ita porro non pertinent ad corpus Ecclesiæ sed ad animam, uti dicitur; non habent actualem conjunctionem sed conjunctionem in voto; verum, hoc *votum* in tali casu requisitum *non* tantum postulatur tanquam *conditio sine qua non*, seu tanquam *removens prohibens*, *sed* postulatur tanquam elementum ex divina ordinatione ad salutem *positive conducens*, et hoc modo salvatur in baptismo flaminis ratio medii stricte suppletivi, a medio primario intrinsece dependentis.

---

(1) Quoniam agitur de explicanda propositione, argumenta nunc supponimus; quæ animadversio quoad *b*/ pariter valet.

(2) Infantes igitur, qui baptismi flaminis incapaces existunt, salvari nequeunt sed privantur visione beata et a regno cœlorum exsulant, quando cum peccato originali decedunt; hæc quæstio de salute infantium exponitur in tract. de baptismo.

(3) Hîc ponitur quæstio quinam sint adulti et quid ab ipsis requiratur et requiri posse debeat ; hæc quæstio plerumque solvitur in tractatu de baptismo aut de fide; cfr dissertationem quam conscribit de hac materia Card. Billot, *La providence de Dieu et le nombre infini d'hommes hors de la voie normale du salut*, apud period. *Études*, t. CLXVI, p. 129 s., 20 oct. 1919 et multis fasc. sequentibus. Ad hanc quæstionem, dissentiendo ab eminent. auctore, alludit E. Hugon, *Principes de philosophie. Les vingt-quatre theses thomistes*, p. 182 s., Paris, 1922.

Igitur non dantur duo media liberæ hominis electioni proposita; datur medium unum necessario adhibendum; aliud medium suppletivum vero non tantum infringitur, sed jam rationem medii non habet, imo nec subsistere potest, si quis cogitans de necessitate ingrediendi Ecclesiam, votum conjunctionis actualis non habeat (1).

Axioma dijudicatur. — Ex dictis facile etiam explicatur et ab adversariorum querelis vindicatur axioma, quod apud ss. Patres (2) et in ipsis documentis Ecclesiæ sæpius enuntiatur (3): extra Ecclesiam nulla salus Intelligitur scil. de actuali aggregatione ad Ecclesiam visibilem et sensus est: qui *sua culpa* extra Ecclesiam romano-catholicam vivunt et moriuntur, certo damnantur (4).

Hanc restrictionem in axiomate esse subaudiendam patescit ex aperta doctrina ipsius Ecclesiæ, quæ tenet neminem æternis puniri suppliciis, qui voluntarie reatum culpæ non habet (5).

---

(1) Lege ILLUST. AC REV. WAFFELAERT, *o.* et *l. c.*, p. 56; DESMET, *o. c.*, n. 258 s., p. 208 s.

(2) Ita jam æquipollentibus verbis s. IGNATIUS, *Ad Philadel.*, III, 3 (MPG, V, 700); s. IRENÆUS, *Adv. hæres.*, III, XXIV, 1 (MPG, VII, 996); explicite jam ORIGENES, *In Jesu Nave hom.* III, 5 (MPG, XII, 841); lege etiam s. CYPRIANUM, *De cath. Eccl. unitate*, 6 (MPL, IV, 502); ita rursus LACTANTIUS, *Divinæ instit.*, IV, XXX, 11 (MPL, VI, 542); s. HIERONYMUS, *Epist.* 15 (MPL, XXII, 355); s. AUGUSTINUS, *Sermo ad cæsariensis ecclesiæ plebem*, 6 (MPL, XLIII, 695); s. FULGENTIUS, *De fide, ad Petrum*, III, 41 et XXXVI, 77 s. (MPL, LXV, 692; 703).

(3) Ita *conc. lateranense* IV (a. 1215), cap. 1, de fide catholica: « Una est universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur » (*Enchir.*, n. 430); idem in *Professione fidei Waldensibus præscripta*, paulo ante, a. 1208, ab Innocentio III (*Enchir.*, n. 423); adhuc in *bulla Unam sanctam*, diei 18 nov. 1302, de unitate et potestate Ecclesiæ sub Bonifacio VIII (*Enchir.*, n. 468). *Conc. flor.*, *Decret. pro Jacobitis* (*Enchir.*, n. 714); PIUS IX in allocutione *Singulari quadam*, diei 9 dec. 1854 (*Enchir.*, n. 1646 s.); *Syllabus*, prop. 16 et 17 (*Enchir.*, n. 1716 s.).

(4) Cfr VAN NOORT, *Tract. de Ecclesia Christi*, n. 163, p. 167.

(5) Cfr PIUS IX, alloc. *Singulari quadam*, modo laudata (*Enchir.*, n 1647); vide quæstiones de gratia, ubi de distributione gratiæ, VAN DER MEERSCH, *De divina gratia*, n. 403 s., p. 386 s. — Nota nullam esse difficultatem ex prop. 17 Syllabi, quam modo indicavimus; hæc enim damnata fuit ad indifferentismum excludendum, quatenus ita universa-

Nihil aliunde prohibet, si sola doctrina catholica et non sensus historicus quæratur, hoc effatum tali modo explicare : nemo salvatur qui *nullatenus* ad Ecclesiam pertinet, id est, qui ne implicito quidem voto cum Ecclesia visibili jungitur, aut qui saltem de anima Ecclesiæ non participat (1).

Nulla est *difficultas* contra thesim propositam et contra hanc explicationem axiomatis ex eo quod per martyrium tum infantes, tum etiam adulti, ad salutem pervenire possunt.

Etenim *martyrium* est *medium* prorsus *extraordinarium*, nec dici potest medium a Christo ordinatum, ne subsidiaria quidem intentione ; inde etiam a concilio tridentino inter media ad justificationem ordinata non memoratur (2).

Si dicatur *medium suppletivum*, hoc *stricto sensu nequit audiri*, quoniam martyrium justificat et ad salutem conducit, independenter a sacramento baptismatis, quod est causa aggregans ad Ecclesiam, et independenter etiam a conjunctione in voto cum Ecclesia, uti liquido apparet in infantibus, qui talis voti emittendi capaces non existunt. In adultis alioquin martyrium subeuntibus, in quibus tale votum saltem implicitum postulatur, requiritur hoc votum solummodo *tanquam removens prohibens*, quod, uti vidimus supra, ad medium stricto sensu suppletivum non sufficit (3).

H. Lamiroy.

---

liter enuntiata : « Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur », insinuat quamlibet religionem æqualiter ducere ad salutem ; et *hoc modo* fuit proscripta, uti satis constat ex ipso contextu, ubi dicitur neminem scire limites ignorantiæ inculpabilis, nullum hominem posse peremptorie affirmare talem extra corpus Ecclesiæ defunctum esse damnatum (*Enchir.*, n. 1647). Inde etiam manet quæstio aperta quot sint qui de facto extra Ecclesiam per baptismum flaminis ad æternam salutem perveniant.

(1) Cfr Van Noort., *o. c.*, n. 163, p. 167.

(2) Cfr Desmet, *o. c.*, n. 261, p. 211.

(3) *Conc. trid.*, sess. VI, *Decretum de justificatione*, cap. 4 (*Enchir.*, n. 796).

III-IV.

De Successione I.

Q. *Cum ad successionem ab intestato requiratur in herede capacitas et dignitas, expone et applica pro conscientia dispositiones Juris civilis (art. 727-730) circa indignitatem :* a *relate ad ipsum indignum et filios ejus ;* b *relate ad alios quibuscum contractus inierit.*

R. Successio ab intestato, quæ primus est ex modis derivatis acquirendi dominium, fundamentum quidem habet in ipsa lege naturæ; sed a lege civili pressius determinatur et stabilitur, ita ut hæ dispositiones positivi juris generatim ex stricta justitia et ante sententiam judicis obligatoriæ sint (1).

Porro, vi Codicis civilis, heredi ab intestato duæ conditiones generales apponuntur observandæ : capacitas nimirum et dignitas. Capacitas quidem in eo requirit ut ipse, eo momento quo aperitur successio, realiter existat: scilicet nondum sit mortuus et jam sit vivus, jamjam natus nempe aut saltem conceptus, et hoc ultimo casu nascatur postea vivus, imo et vitæ habilis (viable) (2).

Dignitas vero supponit ipsum non incurrisse exclusionem a successione ab intestato (3) ob unam e tribus sequentibus causis (4) :

---

(1) Cf. *Coll. Brugen.*, VIII, p. 665 ss.

(2) Cf. Ill^mum^ Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 271.

(3) « L'indignité ne s'applique qu'aux *successeurs ab intestat.* C'est pour eux seuls qu'elle est faite. Quant aux *successeurs testamentaires*, ils ne peuvent être privés de leurs legs que par application des règles sur *l'ingratitude :* art. 955 et 1046 combinés ». Planiol, *Droit civil*, III, n. 1731.

(4) Pauciores quidem sunt causæ indignitatis a Jure civili moderno recognitæ, et utique plures aliæ insuper admitti debuissent : ut casus filii qui patrem graviter percussit aut inhonoravit, aut familiam gravi dedecore contristavit; vel tunc saltem permittendum fuisset ut per testamentum filius hujusmodi penitus excluderetur. Quæ cum a lege non admittantur, quæstio conscientiæ exsurgit: num coram Deo liceat talem filium exheredare. De qua confer Ill^mum^ Waffelaert, *ibid.*, n. 321; *Coll. Brugen.*, VIII, p. 676.

1/ Si condemnatus fuerit eo quod defunctum occidit vel occidere tentavit. Quæ causa non verificatur si heres tunc versabatur in casu legitimæ defensionis; nec si per imprudentiam tantum mortem intulit defuncto, aut tantum complex fuit sed non auctor homicidii ; nec si ictus solummodo ipsi intulit absque voluntate occidendi, quamvis mors secuta sit. Pariter non applicabilis est ipsi causa indignitatis, si reus ipse mortuus sit antequam condemnaretur, aut si actio contra ipsum per præscriptionem jam fuerit abolita. Sed non obstat indignitati venia qua forsan defunctus reum absolverit.

2/ Si condemnatus fuerit heres eo quod defunctum de crimine capitali (cui nempe pœna mortis a lege applicatur) falso accusaverit. Requiritur hic ut interfuerit sententia judicis contra reum ut calumniatorem ; et sane vivente adhuc ipso et ante tempus legalis præscriptionis.

3/ Tandem si ille heres, jam majorennis vel postea majorennis factus, cognoverit defunctum homicidio periisse, et neglexerit judicem hac de re certiorem facere : modo tamen homicida non fuerit ex propinquis suis.

Quæ cum ita sint, sicubi verificatur quædam ex prædictis causis, non illico fit talis heres indignus : sed, cum hæc indignitas sit applicatio pœnæ, merito requirunt plerique jurisperiti ut per sententiam judicis pronuntietur. Ideo in jure et in conscientia, ante illam sententiam, verus heres est ille, non secus ac alii qui forte ad successionem veniunt : nisi tamen illam mediis injustis obtinuerit, v. g. impediendo confectionem testamenti sibi adversantis vel illud destruendo. Actio autem contra ipsum, ad obtinendam sententiam indignitatis, moveri potest post mortem auctoris ab omnibus quorum interest : nempe ab aliis heredibus aut successoribus sive donatariis, necnon ab illorum creditoribus. Porro, quinam erunt effectus pronuntiatæ indignitatis ?

a/ *Relate ad ipsum indignum*. Ab hoc momento censetur ille, relate ad alios heredes, nunquam heres fuisse, et insuper habetur ut possessor malæ fidei : inde omnia

reddere debet (1), fructibus non omissis; renascuntur etiam credita quæ defunctus contra ipsum habebat aut vice versa, et quæ provisorie per confusionem exstincta erant (2), sed ab alia parte non extenditur hæc indignitas ad alias quaslibet successiones, circa quas proinde capax manet hereditandi. Quæ omnia pro conscientia ex stricta justitia obligant.

b) *Relate ad filios ejus sive descendentes.* Ad normam art. 730, excluso patre indigno, excluduntur et filii ejus sive descendentes ab illa successione, quoties per « repræsentationem » tantum patris versentur in gradu utili ad succedendum; secus vero, si hac ope non indigeant. Sic pone indignum declarari filium quemdam unicum occisorem patris, dum alii heredes ex una parte sunt liberi homicidæ, et ex alia parte avunculus quidam, frater defuncti. Habebunt hic filii homicidæ totam hereditatem (3), quia jam absque ope repræsentationis proximiores sunt heredes, utpote in linea recta defuncti. Contra, si indignus iste haberet insuper fratrem, ille solus obtineret omnia. Rursus, gaudent hæ dispositiones legis vi obligatoria in conscientia, ex justitia stricta.

Disputatur vero inter juristas (4), num indignitas possit

---

(1) « C'est seulement la succession ab intestat que la loi enlève à l'indigne, qui perd tous ses droits héréditaires, mais eux seuls. S'il avait reçu quelque libéralité, elle ne pourrait être attaquée que conformément aux art. 955 et suiv. et 1046, et sous les conditions déterminées par ces textes ». PLANIOL, *ibid.*, n. 1749.

(2) Pariter « par un retour équitable et nécessaire, l'héritier a le droit de retenir ou de se faire rembourser tout ce qu'il a pu payer en qualité d'héritier, avec des deniers ne provenant pas de la succession ». PLANIOL, *ibid.*, n. 1757.

(3) Verum « prévoyant le cas où les enfants de l'indigne succéderaient de leur chef et où ils seraient encore mineurs de 18 ans, l'art. 730 enlève à leur père le droit d'usufruit légal sur les biens par eux recueillis: il fallait éviter que la succession ouverte peut-être par un assassinat ne profitât indirectement au coupable ». PLANIOL, *ibid.*, n. 1754.

(4) Art. enim 730 non est clarus quoad hoc punctum: dum initio loquitur de repræsentatione patris indigni, et in fine supponit indignum illum adhuc vivere posse. Jamvero, stricte dicta repræsentatio suppo-

contra ipsos filios indigni pronuntiari, casu quo contra ipsum reum, utpote citius mortuum, non fuerit declarata. Stante controversia, sententiæ tribunalis acquiescendum foret in casu.

c/ *Relate ad alios*, quibuscum indignus ante suam exclusionem inierit contractus sive onerosos sive gratuitos, viget rursus discussio jurisperitorum. Communior sententia tenet omnes actus hujusmodi manere firmos, nisi mala fide fuerit alter contrahens : quo casu ex art. 1167 per actionem revocatoriam possent rescindi, demonstrata utique mala fide illius. Quæ sententia utique, in defectu omnis claræ legis in oppositum, juri naturæ conformior apparet : cum indignus ante exclusionem suam fuerit verus heres et non putativus tantum, adeoque capax disponendi de bonis suis ; cumque tertius bona fide contrahens non debeat puniri propter culpam alterius.

Altera vero sententia docet æquiparari indignum jam exclusum heredibus putativis etiam relate ad tertium contrahentem, adeoque penitus cadere valorem omnium actuum præcedentium, præter actus simplicis administrationis (1).

Stante controversia, profecto liceret illis quorum interest, ante sententiam judicis, priorem opinionem eligere. Ideo, donec tribunal forsitan secus pronuntiaverit, nil reddere deberent etiam de donationibus acceptis, modo bonæ fidei fuerint. In casu vero malæ fidei, damna aliis heredibus statim præstare deberent post exclusionem indigni ; damnum vero non erit nisi ex contractibus gratuitis. Sed non possent hoc casu exspectare usquedum eorum mala fides ab aliis heredibus coram judice demonstretur, nam tunc se commiserunt rei periculo : cum enim scirent et culpam indigni, et periculum exclusionis

---

nit mortuam esse personam repræsentatam (art. 744), antequam aperiatur successio de qua agitur: hoc autem casu sententia indignitatis non est applicabilis ipsi reo. Num ergo filiis ejus possit tunc applicari ?

(1) Cf Van Biervliet, *Cours de droit civil.* Louvain, 1921, n. 84.

ejus, et aliorum heredum jura (hæc enim simul importat mala fides hujusmodi), non potuerunt absque injustitia donationes istas acceptare, nisi subaudita conditione et intentione præstandi damna et servandi jura coheredum(1).

E. Hosten.

V.

Casus de conscientia scrupulosa (2).

I. *Sanctimonialis quædam, ceterum perfectionis cupida, frequenter lacessitur tum cogitationibus et motibus internis contra fidem, charitatem, religionem, reverentiam erga superiores, tum phantasiis, desideriis et excitationibus contra castitatem, et semper anxiatur ac timet ne forte consenserit. — Age partes confessarii ipsius.*

R. Ut supponitur, ex præcedentibus confessionibus vel et ex judicio directoris hujus monialis ab ipsa tibi relato, tibi constat hanc animam esse habitualiter scrupulosam in materia, ceterum seminario fœcundissimo scrupulorum, actuum nimirum internorum. Opportuna directio quam a te quærit tria complectitur : 1° detegendus et expellendus est error qui forsan est radix difficultatum ; 2° explicandus, pro capacitate subjecti, processus psychologicus horum actuum internorum ; 3° statuenda est regula practica.

1° Forsan oriuntur hæ cogitationes contra fidem ex erronea quadam conceptione circa unum aliudve dogma,

---

(1) Cf. Ill mum Waffelaert, *ibid.*, n. 317; Carrière, *De Justitia et Jure*, n. 509.

(2) Quoad hanc et sequentem quæstionem cfr præter opera supra citata: Ill mus ac Rev mus Waffelaert, *De dubio solvendo*, n. 191, 192; *Revue ecclésiastique de Liège*, t. II, 1906-1907, p. 96 ss ; *Theologia moralis generalis... mechliniensis*, ed. 3a, p. 276 ss.; A. Lehmkuhl, S. J., *Casus conscientiæ*, t. I, p. 29 ss.; Reginaldus Beaudouin, O. P., *Tractatus de conscientia*, ed. Gardeil, 1911, p. 54 ss.; Dom. Prümmer, O. P., *Manuale theologiæ moralis*, t. I, p. 186 ss.; Génicot-Salsmans, S. J., *Institutiones theologiæ moralis*, ed. 8a, 1919, n. 55 ss., p. 46 ss.; J. Reuter, S. J., *Neo confessarius practice instructus*, ed. 3a, p. 423-456.

aut ex quadam objectione quæ turbat fidem: item anxietates contra charitatem forsan proveniunt ex falsa opinione, nimirum quasi esset culpa animadvertere defectus aut actus malos proximi etc. Uti apparet ante omnia tales errores corrigendi, tales difficultates solvendæ sunt.

2° Explicando phychologice hos motus quos in se experitur pœnitens, confessarius provocat jam ejus fiduciam et viam sternit ad directionem imponendam. Hæc omnia, dices, cogitationes in mente, motus in voluntate, phantasiæ in imaginatione, desideria in corde, excitationes in organismo possunt quidem voluntarie excitari, foveri, positivo consensu approbari, voluntate nimirum deliberata: tunc sunt « nostra », voluntaria, nobis moraliter imputabilia. Possunt autem, contrà, exsurgere in nobis sine nobis, independenter a nostra voluntate; possunt et permanere et evolvi et frequenter renasci contra nostram voluntatem; possunt provocare in passionibus nostris delectationem correspondentem (1), quamquam repudiantur a voluntate: si ita, nullam habent moralitatem ex se. Jam autem hoc altero modo res in te procedit: insurgit voluntas tua contra hos motus interiores, eos excludere nititur, et quidem magno conatu, atque dolet quia id non succedit: unde nulla in hisce animi motibus voluntarietas deliberata. Sunt quædam « obsessiones » (2), quæ nec tentationes proprie vocari debent, quippe quæ nullam attractionem, contra repulsionem, in voluntate exercent. — Idea vero con-

(1) Ne igitur confundatur ille sensus delectationis, cum consensu libero in delectationem; neque audiantur qui dicunt se quidem deliberate et conscie denegare consensum sed sibi videri inconscie aut semiconscie dictam delectationem intendere. Confundunt etenim « appetitum » sensibilem delectationis cum intentione voluntatis.

(2) Hæ autem obsessiones, (kwelgedachten, kwellende of plagende gedachten) præcipue ex ipso timore peccandi excitantur, occasione cujusvis objecti quod aliquam relationem cum hoc peccato habet seu cujus imago cum imagine peccati consociatur in mente (association d'images, d'idées). Hæ vero « consociationes » in indefinitum possunt multiplicari, unde fere sine intermissione obsessio renascitur.

sensus præstiti et timor inde enascens est vana quædam impressio, apprehensio, unice proveniens ex præsentia illarum affectionum animi et sæpe ex quodam sensu delectationis sponte in parte animali provocato. Imo ille præcise timor est indicium voluntatis contrariæ. Sed diabolus abutitur hac vana impressione ut te perturbet quasi ille timor esset indicium consensus præstiti, ut ita pacem animi tollat, tristem te reddat et impatientem jugi Domini, atque ita ad tædium, teporem, desperationem, aversionem a sacramentis et a vocatione te perducat (1). Brevi, hi timores inanes sunt, de genere scrupulorum, ac qua tales sunt tractandi.

3° Unde sequens regula statuetur ac perseveranter pœnitenti imponetur. Hæ perturbationes animæ et timores contemnenda sunt *ante*, *per* et *post* (2).

Ante : nihil fiat ut præcaveantur, vitando scilicet objecta aut actus honesta unde oriuntur : sed deliberate et audacter ii actus ponantur, ea objecta adspiciantur, cæ circumstantiæ adeantur non obstantibus excitationibus prævisis.

Per, i. e. durante crisi, noli curare, dices, noli timere, neque directe impugna, sed simpliciter et constanter neglige. Adeoque cave ab omni signo externo capitis, oculorum, manuum, etc., ab omni imprecatione contra diabolum, aut protestatione externa contra peccatum : hæc omnia inutilia, nociva, ridicula. Imo neque occasione scrupulorum contra fidem, charitatem, religionem, reverentiam, actus interni harum virtutum sunt multiplicandi per modum protestationis et reactionis contra scrupulos. Semel placide aliquam orationem jaculatoriam mentaliter elicias : « Credo, Domine, sed credam firmius », « Amo Te,

---

(1) Cfr Poulain, *Des grâces d'oraison*, p. 446. « Il n'y a rien où le démon soit plus puissant et où il gagne tant qu'avec une âme qui est dans le trouble et dans l'inquiétude; il en fait son jouet et la rend incapable d'aucun bien ». S. Marguérite-Marie, *Vie* par elle-même, édit. de Paray, t. II, p. 430.

(2) Cfr E. Leroux, apud *Revue ecclésiastique de Liége*, t. VIII, 1912-13, p. 155 ss.

Domine, et proximum propter Te, sed amem perfectius ». « Suscipe Domine, universam meam libertatem ut Tibi soli serviam ». Maxime vero incumbas sollicitæ exercitationi externæ harum virtutum in iis quæ a regula tua præscribuntur, in modo orandi, genuflectendi, sacramenta suscipiendi, officia status ex amore Dei implendi; sedulo attendas signis positivis reverentiæ præpositis tamquam Deo exhibendis, defectibus externis contra reverentiam, crisi, detractioni, inobedientiæ vitandis (1). Item agas quoad difficultates quæ spectant castitatem, vitando in specie animi dejectionem quasi hæc turpia in te sine te enascentia essent incompossibilia cum perfectione: multi et maximi sancti ea experti sunt (2). Neque turberis propter durationem aut iterationem difficultatum: indicium est te non consensisse.

Post crisim tandem anxietates sunt contemnendæ. Non te examinabis circa consensum, non anticipabis confessionem nec sacram omittes communionem propter dubium circa consensum, nec in confessione sequenti distincte de hisce scrupulis te accusabis sed in genere tantum: quousque enim dubitas utrum forsan consenseris, aut quando dubitas utrum de hoc dubitas, certum est te non plene consensisse. In hoc tantum casu omnino improbabili licet citius confiteri et distincte in hac materia te accusare, quando nimirum ante omne examen evidenter tibi constat te explicite et clare tibi dixisse dum

(1) Doceatur ita *agere acsi* tales ideas etc. non haberet: « *faire comme si...* »

(2) Cfr Poulain, *o. c.*, p. 433. Audi s. Franciscum Salesium monentem s. Franciscam de Chantal: « Croyés moy, ne craignés point les tentations, ne les touchés point, elles ne vous offenceront point; passés outre et ne vous y amusés pas. Vous apprehendés trop les tentations; il n'y a que ce mal. Soyés toute résolue que toutes les tentations d'enfer ne sauroyent souiller un esprit qui ne les ayme pas; laissés-les donq courir ». *Œuvres*, édit. Annecy, t. XIII, *Lettres*, vol. III, p. 87 ss. « Les imaginations les plus sales, disait Gerson, ne souillent pas plus la pureté de l'âme, qui n'y consent pas, que la face difforme d'un monstre ne ternit l'éclat du miroir qui en reproduit l'image ». E. Leroux, *o. c.*, p. 157.

advertisti ad has internas perturbationes: scio tales cogitationes, motus internos, desideria, excitationes carnales directe voluntaria esse peccatum mortale: nihilominus ea nunc libere admitto eisque consentire volo. Extra hunc casum generali tantum formula mentionem facies de his, dicendo : me accuso in quantum fuerim negligens in repellendis tentationibus contra fidem, charitatem, religionem, castitatem (1). — Hæc autem regula circa confessionem diu et constanter erit inculcanda. Quodsi nec hæc sufficienter clara sit, simpliciter dicet confessarius: jam absolute nihil determinate accusabis de actibus internis; « solos actus exteriores cura, negligendo quæstiones omnes de interno assensu, desiderio etc. » (2)

Quousque durat hæc probatio, sanctimonialis suaviter ad patientiam et fiduciam animanda erit, v. g., ipsi inculcando praxim frequentem invocationis « Cor Jesu in Te confido ». Docenda quoque ut eam probationem offerat in reparationem peccatorum atque ex ea puritatem ac humilitatem animi depromat (3).

II. *Titius juvenis pius pluries jam magno labore confessionem generalem instituit, imo eam totam scripsit, sed nondum pacem invenit quia semper superest aliquis timor ne forte aliquid integritati aut contritioni aut proposito defuerit. Hic rogat te, confessarium habitualem, ut hac ultima vice omnia repetere liceat quia nunc certo omnia memoria tenet, certo de omnibus dolet, certus est de firmo proposito.*

---

(1) « Fieri quidem potest ut aliquando quædam negligentia venialis se ingerat: sed hæc est miseria humana quæ continuam humilitatem et vigilantiam doceat, non timorem et anxietatem ». LEHMKUHL, *Casus*, p. 32. Adeoque neque de hac veniali negligentia se examinabit scrupulosus.

(2) A. VERMEERSCH, *Theologiæ moralis principia*, t. I, p. 343.

(3) Ut notat Lehmkuhl, *o. c.*, p. 32, forsan laborat hæc anima aliqua occulta superbia qua in suæ conscientiæ pace vitæque integritate sibi potius quam Deo placere velit: hanc superbiam vult Deus destruere his tenebris et mentis turbatione.

R. Hæc est altera materia valde frequens scrupulorum. Quoties T. instituit confessionem generalem toties sincere putavit eam fore ultimam : sed semper fuit et, nisi confessarius audire renuat, semper erit penultima. Unde iterum 1° instruas eum, 2° regulam ipsi statuas.

1° *Instruas* circa *diligentiam* requisitam *in examine* conscientiæ, sufficere nimirum moralem ; circa *integritatem materialem* confessionis peccatorum mortalium, moralem scilicet impossibilitatem et quodcumque grave incommodum extrinsecum et per accidens conjunctum cum confessione ab ea integritate excusare; circa *contritionem*, sufficere videlicet imperfectam, appretiative summam et universalem quoad peccata mortalia ; circa *propositum*, quod oportet sit universale quoad omnia peccata mortalia, affective efficax ac firmum i. e cum voluntate hic et nunc deliberata non relabendi, cui, tamen firmitati non obstat prævisio relapsus futuri (1); circa *peccata gravia* forte involuntarie *omissa*, ea scilicet indirecte cum peccatis declaratis remitti. Jam vero Titius jam majorem diligentiam quam moralem requisitam adhibuit ad examen instituendum et ad integritatem procurandam, imo scrupulositas ejus est incommodum certo excusans ab ulteriore integritate licet ipsi videatur se certo aliqua non dixisse (2) ; tandem nullum serium dubium existit circa sufficientiam contritionis et propositi in voluntate ejus.

2° *Statuas* regulam practicam. *a*/ Neque nunc neque in posterum consentias audire novam confessionem generalem: inutilis est, imo nociva (3). *b*/ Generatim ne per-

(1) Et a fortiori prævisio relapsus possibilis in casibus difficillimis quos scrupulosus imprudenter sibi effingit ut firmitatem sui propositi experiatur.

(2) S. Alphonsus, *Theologia moralis*, n. 16.

(3) Sedaret forsan pro brevi momento inquietudinem ejus, veram autem pacem nequaquam restitueret: imo malum ejus intensitate ingravesceret et scrupulorum materia multiplicaretur. « Plus il balayerait, plus il souleverait de poussière, comme disait s. Philippe de Néri ». E. Leroux, *o. c.*, p. 161.

mittas ut in specie iteret aut compleat confessionem alicujus peccati vitæ anterioris, adeoque jubeas ne de anteactis peccatis sese examinet : in hoc solo casu ipsum audias ubi plane certus est, tali certitudine quam juramento firmare paratus sit, se aliquod peccatum certo commisisse, illudque in mente sua, quando commisit, certo fuisse grave, seque illud certo hucusque oblitum esse (1). c/ Audias tantum peccata inde ab ultima confessione commissa et pœnitenti permittas addere genericam accusationem de peccatis præteritis, maxime contra talem vel talem virtutem, ipsumque ad fiduciam animes atque ad sinceram contritionem provoces.

III. *Martha dum modeste in via publica procedit, dum honeste loquitur et agit, subito angitur timore ne forte contra castitatem peccet, aut aliis scandalo sit.*

R. Evidenter timor ille inanis est : id ipsi ostendatur quantum fieri potest, eam recte docendo quid castitas ab ipsa exigat, quale scandalum sit vitandum. Unde discat suas anxietates simpliciter contemnere et sicut mos est honestis puellis suæ conditionis ita et ipsa agat, certa nullum ibi latere peccatum et nisi primo intuitu certo omnino videat hoc vel illud illicitum esse, audacter id agat. Res igitur honestas quæ ipsam perturbant audacter aspiciat, personas autem modeste et transeunter (2).

---

(1) Si ageretur de pœnitente recenter converso a vita prava aut valde tepida, post confessionem generalem ei una alterave vice permittendum esset ut suppleat ea quæ putat se non satis integre accusasse. Cfr Lehmkuhl, *Casus*, p. 31. Mox autem apparebit utrum scrupulus irrepat, et statim regula in textu descripta applicanda est. — Quod spectat ad juramentum de quo in textu, raro tantum et valde discrete id exigendum videtur, v. g. ubi confessarius adhuc dubitat non obstante asseveranti affirmatione pœnitentis: secus vero talia juramenta novam præbebunt scrupulorum materiam.

(2) Cfr Lehmkuhl, *o. c.*, p. 32. A. Vermeersch, *o. c.*, t. I, p. 344 : « Anxius de phantastica repræsentatione, vel organica commotione quam aspiciendo honesta vel innoxia patitur, ad mores hominum qui honesti sunt se accommodet, et motus vel phantasias contemnat ».

IV. *Caius, sacerdos, quotidie per plures horas insudat officio divino recitando et nihilominus numquam certus est se obligationi satisfecisse.*

R. Evidens est incertitudinem ejus esse inanem et scrupulosam. Unde ipsi in memoriam revocanda sunt principia theologica circa prolationem verborum intentionem et attentionem quæ requiruntur et sufficiunt ad satisfaciendum obligationi: scilicet sufficit *recitatio* facta vocaliter seu articulata voce, *intentio* orandi implicita et virtualiter manens, *attentio* ad verba debite pronuntianda. Utiliter addetur si aliquid desit ejus recitationi id non ex defectu sed ex excessu diligentiæ oriri.

Practice ipsi imponatur ut nullam partem officii, nec horam, nec psalmum, nec versiculum bis recitet ob quamlibet causam, et ut existimet se jam recitasse id quod timet ne omiserit. Tempus ipsi statuatur maximum, tempus nimirum ordinarie necessarium et quod a piis sacerdotibus impendi solet, intra quod recitationem officii absolvat ita ut ea quæ forte supersint omittat. Quodsi nec hoc remedium sufficiat, ipsi recitatio solitaria horarum penitus interdicatur: etenim ob grave incommodum scrupulositatis suæ excusatur ab obligatione officii recitandi. Ubi id fieri potest, recitet Caius officium alternatim cum confratre, sed nihil postea solus repetat.

Pejor scrupulosorum causa. In fine liceat recitare hæc verba ex Cl. Vermeersch (1) ut lector sollicite ea penset: « Dum cum scrupulosis piis et bonis ample agi potest, cautius ille moderandus est qui scrupulos cum vera tepiditate spirituali et veris peccatis conjungit. Hujus causa longe impeditior est. Præter regulas quæ formaliter veræ sunt, quibus v. g. a nimis molesta conscientiæ discussione, a correctione fraterna eximitur, aliæ dispensationes sine abusionis periculo sæpe dari non poterunt (2). Quare

(1) A Vermeersch, *o. c.*, p. 344.

(2) Aut saltem sedulo invigilandum ut non ultra materiam scrupulorum ad objectum suæ laxitatis eæ regulæ de dubiis spernendis extendantur.

utile erit quandoque consilium, ut moneatur multis molestiis ipsum expediri posse si modo ferventius vivere incipiat; et a Deo peculiariter se invitari ut ex scrupulis occasionem fervoris hauriat ». A. LEGRAND.

VI.

De privilegiis scrupulosorum.

Q. *Ex casibus supra solutis deducantur atque vindicentur ea quæ vocantur privilegia scrupulosorum.*

R. Ea quæ apud auctores communiter recensentur « privilegia » scrupulosorum ad tria reduci possunt, quæ successive paucis explicabimus atque argumentis intrinsecis probabimus.

1° Scrupuli vere excusant a pluribus obligationibus positivis v. g. circa integritatem materialem confessionis, circa officium divinum recitandum, circa correptionem fraternam faciendam etc.

Unde confessarius, pro indole et gradu scrupulositatis pœnitentem declarabit solutum ab iis obligationibus eique vel limitabit vel penitus interdicet accusationem adeoque et examen conscientiæ circa materiam scrupulorum; statuet spatium « ultra quod non » pro recitando officio divino aut hanc recitationem simpliciter suspendet pro tempore; ab omni sollicitudine monendi superiores, corripiendi fratres penitus liberabit.

Ratio est quia hæc præcepta non obligant cum incommodo proportionato; incommodum autem pro scrupulosis in eis servandis, gravius est quam ea quæ generatim ut excusantia admittuntur. Etenim scrupulositas impletionem horum præceptorum non raro reddit moraliter impossibilem.

2° Alterum privilegium scrupulosorum est ut in materia suorum scrupulorum *antecedenter* ad actionem, non debeant dubia sua circa actionis obligationem aut prohibitionem attendere, sed statim ac dubitant tuto possint actionem ut licitam habere eamque pro lubitu facere aut

omittere: unde solum eam habent obligationem quam certissime, absque ullo dubio percipiunt (1).

Reliqui homines nimirum, qui sunt sanæ conscientiæ, debent in dubio circa moralitatem actionis quam ponere deliberant, prius examinare naturam dubii, istudque si inane sibi appareat spernere, si vero serium videatur solvere debebunt et quidem directe, morali adhibita diligentia, indirecte vero si dubium invincibiliter maneat: hæc vero indirecta solutio obtinetur juxta principia de dubio sive speculativo sive remote practico solvendo respective per interventum legis superioris aut per principium reflexum probabilismi. Scrupulosi contra, qui sciunt se esse tales, statim ac dubitant subito hoc qualecumque dubium contemnere jubentur atque agere acsi pro illis nulla prorsus de hac re existeret obligatio, sibi statim efformantes conscientiam practice certam ex regula a confessario auctoritative semel imposita atque admissa: solas eas obligationes sibi esse attendendas quæ sibi primo intuitu ac sine ullo quovis dubio evidenter affulgent (2).

---

(1) Hoc « privilegium evidentiæ antecedentis » variis formulis enuntiatum videsis apud Aa. supra citatos. « *Marchez, sauf évidence* ». EYMIEU, *o. c.*, p. 251: « Nihil cura nisi quod tibi liquido constat sicut $2 \times 2 = 4$. Omne quod dubium tibi videtur neglige et judica te dubitare si quæras utrum dubites an non ». VERMEERSCH, *o. c.*, p. 343. Cfr s. ALPHONSUS, *Praxis confessarii*, n. 98: Scrupulosus « non peccat quidquid agendo quod certum peccatum non agnoscit ». Lege DUBOIS, *L'ange conducteur*, (partie du confesseur) p. 156 ss.

(2) Adverte sollicite hanc certitudinem practicam non everti per formidines et hæsitationes conscientiam scrupulosi turbantes dum agit, neque requiri ut scrupulosus in singulis scrupulis contemnendis actu formaliter et reflexe recogitet regulam a confessario statutam. « Nec obest, ait s. Alphonsus, quod agat cum actuali timore (quin scrupulum deponat; quod est quasi impossibile a scrupulosis expectare). Etenim hujusmodi timor non est verum conscientiæ dictamen sive formata conscientia, nec verum dubium practicum; nec aufert judicium ante formatum (quod virtualiter perseverat, licet tunc ob impetum timoris non advertatur), nimirum quod ipse non peccat, quidquid agendo, quod certum peccatum non agnoscit. Tunc enim non contra conscientiam sed contra vanum illum timorem operatur ». *Praxis confessarii*. n. 98. Cfr LEHMKUHL, *Theologia moralis*, I, n. 134; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De dubio solvendo*, n. 191 sq.

Ratio legitimitatis hujus privilegii ita reddi potest :

1° A priori legitimum dici debet medium quod est insupplebiliter necessarium ad sanationem objective obligatoriam scrupulorum. Jamvero tale medium dicendum est hoc privilegium: quum enim in potestate scrupulosi non sit ut sibi auferat aut resolvat dubia sua, necessario debebit vel iis cedere, partem tutiorem eligendo, sed ita infirmitatem suam auget, vel ea simpliciter spernere, negligere et ita practice superare, applicando nimirum regulam supra statutam (1).

2° Sed et in se spectata hæc regula apparet esse per se honesta seu per se non recedere a normis honestatis. Scrupulositas enim est quædam hyperesthesia seu supersensibilitas relate ad peccatum in materia scrupulorum, adeoque periculum nullum aut levissimum tantum est ne scrupulosus dubitet ubi vera existit obligatio, ubi verum adest peccatum; sed subito cum certitudine eam obligationem vel istud peccatum advertit (2). Unde si dubitat, jam hoc ipsum dubium est indicium vel certo nullum dari peccatum aut saltem liceitatem actionis de qua anxius est, esse valde probabilem, et consequenter vel directe constat de liceitate agendi, vel indirecte ope principii probabilismi hæc obligatio positive dubia, practice nulla probatur. Ergo merito ipsi statuitur hæc regula, utpote per se vera: « quousque dubitas, liber es » (3).

Potest quidem ex applicatione universali talis regulæ sequi aliquis error particularis quatenus de facto ita materialiter aliquam legem quam inquirendo cognoscere posset violat. Sed istud periculum peccati materialis est

---

(1) Cfr VERMEERSCH, *o. c.*, p. 340.

(2) Si hæc obligatio aut hoc peccatum ipsi pro gradu suæ instructionis innotescere potest: secus ex ignorantia inculpabili, sicut ceteri, excusatur.

(3) Idem dicendum est de scrupulis circa gravitatem actus ponendi: objective certe aut saltem valde probabiliter levis est deordinatio. Unde scrupuloso merito statuitur: si dubitas sitve aliqua actio leviter aut graviter mala nec sis sat generosus ut ab ea abstineas, certus esto te committere peccatum veniale tantum.

remotum omnino et per accidens sequitur ex usu regulæ: unde attendi non debet, quum lex non curet de accidentibus, et haud dubie licet tum pœnitenti tum confessario sese exponere tali periculo ad sanitatem moralem recuperandam (1): melius est enim materialiter aliquando delinquere quam fovere scrupulos qui de se causa sunt multorum peccatorum formalium.

Nota. Eadem ratione justificatur regula extrema transitorio modo applicanda in casibus extremis scrupulositatis ubi nimirum ægrotus contendit sese jam non distinguere inter dubia et certitudinem, sed ubique evidentiam obligationis et peccati habere. Ipsi scilicet, modo sit ceterum pius ac bene moratus statuetur hæc regula: « *Marchez même contre vos évidences* » (2). « Age quasi omni officio solutus sis [in hac materia] ita ut te invitatum tantum ad bene agendum reputes » (3). Ergo etiam ubi prætensam certitudinem habet de aliquo officio servando, se liberum æstimet ab obligatione, sed id quasi merum consilium consideret.

Prius scilicet conabitur confessarius ostendere pœnitenti dubia latentia sub suis evidentiis, et tunc prima regula recurret; quodsi id non succedat, jam libere alteram applicet: talis enim ægrotus jam non est plene rationis compos nec capax deliberationis requisitæ ad peccandum, ac præterea periculum ne de facto sequendo hanc normam materialiter violet unam alteramve legem parum probabile est ac propter bonum sanationis ejus certo tolerari potest.

3° Tertium tandem privilegium scrupulosorum est ut, in materia suorum scrupulorum, *consequenter ad actiones suas* omnia dubia sua utrum forsan peccaverint, similiter

---

(1) Cfr A. Vermeersch, *o. c.*, p. 342; Lehmkuhl, *Casus conscientiæ*, p. 30 ubi scribit « Hæc summa et cæca quædam erga prudentem directorem obedientia ab omnibus magistris spiritualibus ita inculcatur ut eam pro medio plane necessario habeant, quod coram Deo plane excuset etsi fortasse aliquando objective erretur ». Dein merito notat « sed scrupuloso ne suspicio quidem possibilitatis errandi injici debet ».

(2) Eymieu, *o. c.*, p. 267.

(3) A. Vermeersch, *o. c.*, p. 343. Hæc est quæ aliquando vocatur potestas confessarii quasi-arbitraria, *le pouvoir discrétionnaire du confesseur*, cfr Dubois, *o. c.*, p. 157 s.

contemnere possint ac debeant, ea tantum peccata curantes ac memoria retinentes pro sequenti confessione quæ absque examine primo intuitu sibi occurrunt ut peccata mortalia certa et evidentia, seu ubi ipsis cum evidentia constat se antecedenter ad ipsam actionem eam judicavisse certo graviter peccaminosam et eam nihilominus cum plena libertate elegisse (1).

Ratio est quia si quodvis dubium remanet ipsis de peccato gravi commisso in materia circa quam ultrasensibiles sunt, id jam est signum moraliter certum vel saltem valde probabile se non graviter peccasse (2). Periculum autem ne ita spernant et omittant in confessione peccatum aliquod grave vere commissum, est prorsus negligendum: id enim peccatum indirecte et concomitanter remittetur per primam sequentem absolutionem (3).

A. Legrand.

(1) Cavendum enim ne confundant inter judicium conscientiæ consequentis et antecedentis.

(2) S. Alphonsus, *Praxis confessarii*, n. 96. « Confessarius utatur illa regula ... quod cum persona est timoratæ conscientiæ, si non est plus quam certa de peccato mortali, debeat judicare, illud non admisisse. Siquidem, ut ait Pater Alvarez, tantum monstrum possibile non est in animam aditum habere, quæ ab illo horret, quin patenter illum videat ».

(3) Quid autem si petat scrupulosus qualis futura esset sors sua si cum tali peccato moreretur quin occasionem confitendi habuerit, adeoque neque directam neque indirectam remissionem hujus peccati acceperit. « Captiosissima objectio est, ait A. Lehmkuhl, *Casus conscientiæ*, p. 31. Sed ne huic quidem ... cedendum est. Conjiciat se scrupulosus securus in sinum divinæ misericordiæ. Obedientia præstita et fiducia firmiter retenta eum non confundent. Deus salutis æternæ ipsius curam habebit; imo talis fiducia et obedientia potest non raro vere heroïca esse, atque summum caritatis actum erga Deum in se continere qui ex ipso statu peccati si forte adsit hominem in amicitiam cum Deo restituat ».

Acta SS. Congregationum

E Sacra Pœnitentiaria.

INDULTUM (1).

Tibi, Dilecto in Christo Ordinario *Brugensi* infrascriptas communicamus facultates tum absolvendi a censuris, tum dispensandi, *ad quinquennium* duraturas, quibus pro foro conscientiæ, etiam extra sacramentalem confessionem et etiam extra diœcesim, quatenus vel ipse vel subditus vel uterque extra diœcesim fueritis, pro grege Tibi commisso, ex speciali Sedis Apostolicæ auctoritate Tibi delegata, uti valeas: quasque intra fines diœcesis tantum Canonico Pœnitentiario necnon Vicariis Foraneis, pro foro pariter conscientiæ at in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si Tibi placuerit, aliis vero confessariis cum ad Te in casibus particularibus pœnitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri possis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a Te specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio tuo statuendum, illas communicare judicabis:

1/ Absolvendi quoscumque pœnitentes (exceptis hæreticis hæresim inter fideles e proposito disseminantibus) a quibusvis censuris et pœnis ecclesiasticis ob hæreses tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas incursis; postquam tamen pœnitens magistros ex professo hæreticalis doctrinæ, si quos noverit, ac personas ecclesiasticas et religiosas, si quas hac in re complices habuerit, prout de jure, denunciaverit; et quatenus ob justas causas hujusmodi denunciatio ante absolutionem peragi nequeat, facta ab eo seria promissione denunciationem ipsam peragendi cum primum et quo meliori modo fieri poterit, et postquam in singulis casibus hæreses coram absolvente secrete abjuraverit; injuncta pro modo excessuum gravi pœnitentia salutari cum frequentia sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas coram quibus hæreses manifestavit, atque illata scandala reparandi.

2/ Absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis eos qui

(1) Diei 16 sept. 1922. — In seq. fasc. cum adnot. edentur indulta S. Officii, ejusdem diei necnon S. C. de discipl. sacr., 20 julii 1922.

libros apostatarum hæreticorum aut schismaticorum, apostasiam, hæresim aut schisma propugnantes, aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos defenderint aut scienter sine debita licentia legerint vel retinuerint; injuncta congrua pœnitentia salutari ac firma obligatione supradictos libros, quantum fieri poterit, ante absolutionem, destruendi vel Tibi aut confessario tradendi.

3/ Absolvendi a censuris eos qui impediverint directe exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laïcalem potestatem.

4/ Absolvendi a censuris et a pœnis ecclesiasticis circa duellum statutis, in casibus dumtaxat ad forum externum non deductis; injuncta gravi pœnitentia salutari, et aliis injunctis, quæ fuerint de jure injungenda.

5/ Absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis eos qui nomen dederint sectæ massonicæ; aliisque ejusdem generis associationibus, quæ contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur; ita tamen ut a respectiva secta vel associatione omnino se separent eamque abjurent ac denuncient, juxta can. 2336 § 2, personas ecclesiasticas et religiosas, si quas eidem adscriptas noverint; libros, manuscripta ac signa eamdem respicientia, si qua retineant, in manus absolventis tradant, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda aut saltem, si justæ gravesque causæ id postulent, destruenda; injuncta pro modo culparum gravi pœnitentia salutari cum frequentatione sacramentalis confessionis, et obligatione illata scandala reparandi.

6/ Absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis eos qui clausuram Regularium utriusque sexus sine legitima licentia ingressi fuerint, necnon qui eos introduxerint vel admiserint; dummodo tamen id factum non fuerit ad finem utcumque graviter criminosum, etiam effectu non secuto, nec ad externum forum deductum; congrua pro modo culpæ pœnitentia salutari injuncta.

7/ Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis perfectæ et perpetuæ, privatim post completum XVIII ætatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, hujusmodi pænitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si conjugi supervixerit.

8/ Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto: monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac injuncta gravi et diuturna pœnitentia salutari.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo pariter sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis; injuncta gravi et diuturna pœnitentia salutari.

Mens autem nostra est ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra prædictum terminum his facultatibus Te uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitæ ratæ sint et validæ.

ADNOTATIONES DE RE MATRIMONIALI.

1° *Circa procœmium pagellæ.*

Facultates conceduntur pro solo foro interno, ad quod forum internum, etiam non sacramentale, jurisdictio S. Pœnitentiariæ coarctatur (can. 258, § 1). Qua de causa, dispensatio concedenda est juxta formam hujus fori et attendendum est ad præscriptum can. 1047: « Nisi aliud ferat S. Pœnitentiariæ rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiæ archivo de quo in can. 379 asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerat tantum in foro interno sacramentali ».

Facultates se extendunt ad vagos, non autem, uti videtur, ad peregrinos (1); potestas autem subdelegandi restringitur multiplici ratione: *a/* Non potest Ordinarius alios subdelegare pro foro interno non sacramentali, in quo ipse solus dispensare valet.

b/ Solos canonicum pœnitentiarium et decanos habitualiter subdelegare valet, et ita quidem ut intra fines tantum diœceseos facultate uti queant; ipse autem dispensare valet etiam extra diœcesim, quatenus vel ipse vel subditus vel uterque extra diœcesim versentur.

c/ Aliis confessariis subdelegatio generatim non est concedenda, nisi in aliquo casu pro pœnitente ad Ordinarium recurrant; verumtamen, per modum exceptionis,

(1) Cfr tamen A. KONINGS, C. SS. R., *Comment. in facult. apost.* (ed. 5 cura J. PUTZER), n. 49 b et d, p. 68 ss., Neo-Eboraci, 1898.

ob peculiares causas Ordinarius aliquos specialiter subdelegare poterit, per tempus suo arbitrio statuendum.

2° *Circa facultatem dispensandi ad petendum debitum.*

a/ Communicatur facultas dispensandi ad *petendum* debitum. Licentia *reddendi*, quoties debitum denegari posset, practice includitur in licentia petendi.

b/ Dicitur « cum *transgressore* voti *castitatis perfectæ et perpetuæ* ».

Votum illud regulariter(1) *transgreditur* qui nuptias cum tali voto celebrat, quia suscipit obligationem reddendi debitum et se ponit in morali impossibilitate votum servandi. Hujus enim objectum est perpetua abstinentia ab *omni* delectatione venerea, externa vel interna, legitima vel illegitima.

Ex prædictis facile liquet quomodo votum castitatis perfectæ distinguatur a votis ingrediendi religionem, suscipiendi ordines sacros vel non nubendi, de quibus in canone 1058 § 1. Juvat forsan notare quænam inter votum castitatis perfectæ et virginitatis intercedat differentia. Hujus voti objectum est *immunitas* a *satiativa* delectatione venerea actus consummati quæ irreparabiliter amittitur per primum actum carnalem consummatum, ita ut observatio voti deinceps impossibilis evadat: illius vero objectum, uti jam dictum est, *abstinentia* est ab *omni* delectatione venerea, ejusque observatio possibilis remanet postquam contra votum quovis modo peccatum est. In plerisque casibus quam primum dispensatio ad petendum debitum procuretur, ne pœnitens in continuo periculo violandi votum versetur.

Votum imperfectæ castitatis importat abstinentiam a *quibusdam tantum* delectationibus venereis. Hujusmodi est votum castitatis *conjugalis*.

c/ Votum castitatis in quo, vi indulti, Ordinarius brugensis dispensare valet in ordine ad petendum debitum, est votum castitatis *reservatum ;* in votis enim non reservatis quivis Ordinarius loci etiam extra casum urgentem dispensare valet quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos (can. 1313). Jamvero notum est ex votis *privatim*, i. e. extra religionem, emissis, duo tantum Sedi Apostolicæ reservari, videlicet « votum perfectæ ac perpetuæ castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, *quæ emissa*

(1) Cf. A. Desmet, *De Matrimonio*, I, n. 229, Brugis, 1923.

fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum » (can. 1309).

Itaque, non est reservatum votum perfectæ et perpetuæ castitatis privatim emissum, quoties disjunctive vel sub vera conditione emittitur neque, probabiliter saltem, reservatio contrahitur quando postea conditio verificatur. Præterea, non reservatur votum emissum ante decimum octavum annum completum ; imo, juxta nonnullos, etiamsi post decimum octavum annum privatim *renovetur*, non reservatur dummodo dispensatio non intercesserit ante voti renovationem (1).

Tandem, ex parte actus, ad reservationem postulatur ut votum emittatur sub obligatione gravi et cum perfecta libertate, cui obstat metus etiam levis ab alio incussus (2).

d/ Adverte verba « cum transgressore voti... *qui matrimonium cum dicto voto contraxerit* ». Itaque non communicatur facultas dispensandi in voto quod *supervenit* matrimonio (3).

e/ Non datur potestas dispensandi simpliciter et sine restrictione, sed tantum quoad licitum usum præsentis matrimonii, quare adduntur verba « hujusmodi pœnitentem *monendo* ipsum ad idem votum servandum teneri *tam extra licitum matrimonii usum quam si conjugi supervixerit* ».

3° *Circa facultatem dispensandi in occulto impedimento criminis absque ulla machinatione.*

a/ Impedimentum can. 1075 statuitur hisce verbis : « Valide contrahere nequeunt matrimonium : 1° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt ».

In hoc impedimento dispensare valet vi indulti Ordinarius brugensis, non tantum (ut olim) in ordine ad matrimonium invalide *contractum convalidandum* sed etiam,

---

(1) Juxta period. *Jus Pontificium*, II, p. 108 s., Romæ, 1922.

(2) Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, I, n. 329, Bruxellis, 1919.

(3) Quod spectat votum matrimonio succedens, cf. A. Desmet, *o. c.*, I, n. 230. Præterea, notum est votum castitatis perfectæ privatim emissum esse impedimentum *impediens*, non dirimens matrimonium (cfr can. 1058, 1073).

quod sedulo advertas, in ordine ad matrimonium *contrahendum* (1), dummodo crimen natura et facto *occultum* sit et *absque ulla machinatione* (ex parte causæ et effectus perfecta) ad necem inferendam, de qua machinatione agitur sub n^is 2° et 3° ejusdem can. 1075 (2).

b Quod spectat *dispensationis executionem* peculiare est hujus impedimenti dispensationi eam executioni mandandam esse respectu *utriusque* partis, sive idem ab utraque parte eligatur confessarius (3) sive diversus. Quo altero casu, « prior confessarius post dispensationem uni ad formam litterarum concessam, debet litteras (clausas) pœnitenti tradere, ut per illum alteri parti tradantur, quæ similiter easdem litteras secum exequi faciat per alium confessarium cujus erit in hujusmodi casu, confecto negotio, litteras lacerare (4) Et quamvis impedimentum hujusmodi esse soleat, ut sublatum quoad unum maneat eo ipso sublatum quoad alterum, nihilominus mens S. Pœnitentiariæ est, ut erga utramque personam litteræ executioni mandentur, sin minus ad auferendum impedimentum, quod per priorem cum una dispensationem jam ablatum præsupponitur, saltem ad congruas pœnitentias salutares utrique imponendas, quas non convenit ab uno tantum exigi, ubi communis est culpa » (5).

c In casu matrimonii contracti (invalide ob impedimentum dirimens criminis) communicatur facultas convalidandi *per simplicem dispensationem*, non autem per sanationem in radice. Qua de causa præter relaxationem impedimenti, necessaria est *consensus renovatio* Ast, quia supponimus matrimonium non fuisse invalidum ex defectu formæ, sufficiet *privatim*, seu extra formam can. 1094, renovare consensum inter solos putatos conjuges, quocumque signo externo ; convenientius tamen

---

(1) Vi *Pagellæ* S. Pœnitentiariæ habebat Ordinarius facultatem dispensandi super impedimento criminis in ordine ad matrimonium contrahendum in solo casu urgenti, cui facultati non jam est locus cum hæc contineatur in ambitu potestatis ordinariæ (can. 1045 § 1).

(2) Quoad interpretationem impedimenti vide A. Desmet, *o. c.*, II, nn. 658-661.

(3) Spectatur hic norma ordinaria, quatenus dispensatio concedi solet in foro *sacramentali*.

(4) Lacerentur oportet, saltem infra triduum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

(5) Cfr Desmet, *o. c.*, II, n. 887, ubi dantur adnotationes practicæ.

id fiet coram confessario quem utraque pars bene disposita facti conscium noverit (1).

d/ Injungenda est *pœnitentia gravis et diuturna*, pro qua apud nos imponi solet ut pœnitentes per duos menses quotidie recitent ter pater et ave atque semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis. V. Coucke.

Consultatio.

De onanismo conjugali.

Onanismus conjugalis per retractum institutus reservatur ab Episcopo brugensi. Verum, retractus peragi potest sive a *viro* sive a *muliere*, et quia, ut plurimum, ipse vir sese retrahit, quæstio momenti practici ponitur, scilicet: num peccatum *uxoris* reservetur quando onanismus conjugalis per retractum solius *viri* instituitur?

R. Attentis conditionibus generalibus hucusque requisitis ad incurrendam reservationem casus ab Episcopo brugensi sibi, ratione peccati, reservati, delictum hujusmodi uxoris, quantumvis grave esse queat, non est reservatum.

Etenim 1° uxor, uti videtur, non *cooperatur* stricto sensu peccato onanismi.

Profecto, certum est mulierem ponere *conditionem* prærequisitam ad peccatum viri eamque dare *occasionem* peccandi (quibus de causis incurrere potest reatum scandali); sed, dummodo ipsa retractum non peragat, ipsa non est *causa* partialis et immediata deordinationis neque videtur *medium* præbere stricte dictum quo maritus generationem impediat (2). Quodsi ita est, mulier ratione copulæ, peccato onanismi cooperari non videtur.

(1) *Ibidem*, n. 909.

(2) Quoad distinctionem inter *medium* et *conditionem* vel *occasionem*, vide ill. ac rev. Waffelaert, *Étude de théologie morale sur la coopération*, p. 10, Bruges, 1883. Applicanda videntur ejus verba: « or pour coopérer dans le sens strict,... il faut être cause partielle de cet acte, ou effet mauvais, et dans le cas de coopération médiate, il faut être cause de cette cause partielle ».

Sententiam cooperationem negantem tenet s. Alphonsus (1) eique inter recentiores patrocinantur P. Vermeersch (2) et P. Salsmans (3), ita ut extrinseca probabilitate hæc non careat. Qua de causa deficit, probabiliter saltem, aliqua conditio ad reservationem requisita, videlicet ut delictum sit materialiter illud peccatum quod et quale reservatur. In dubio autem an conditiones ad reservationem necessariæ verificentur, peccatum non reservatur (4).

2° Quodsi uxor ob *complacentiam* in peccato vel etiam ob *scandalum stricte inductivum* gravem reatum onanismi contrahat, hac tamen de causa nondum reservatur peccatum ejus.

Ratio est quia, inter alias conditiones hucusque requisitas ad incurrendam reservationem casus ab Episcopo brugensi sibi, ratione peccati, reservati, postulatur ut peccatum sit in sua specie consummatum. Qua de causa, seclusa dispositione contraria, reservatio attingit solos ipsum crimen perpetrantes, non autem illud mandantes vel consulentes nec, a fortiori, crimen ab alio patratum approbantes vel de eo gaudentes (5).

3° Ob *scandalum late inductivum* (ponendo occasionem peccati) vel omissam correptionem fraternam, uxor graviter quidem delinquere potest contra charitatem, non autem committit peccatum onanismi, quod reservatur.

Nota. Profecto hæc non impediunt quin moneri debeant pœnitentes hujusmodi circa gravitatem peccati et obligationem faciendi quod in se est ut compartem ab illo crimine perpetrando avertant. Et, quamvis peccatum non sit reservatum, pœnitens tamen absolvi nequit nisi præstet vel serio promittat se facturum id ad quod obligatur.

V. Coucke.

---

(1) *Theologia moralis* (ed. Gaudé), lib. VI, n. 947 in t. IV, p. 128, Romæ, 1912.

(2) Vermeersch, *De castitate*, n. 266, Brugis, 1919.

(3) Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, II, n. 550, p. 508, Bruxellis, 1920.

(4) Cf. A. Desmet, *De casibus reservatis*, nn. 13 et 15, Brugis, 1914.

(5) *Ibidem*, n. 14.

Associations sans but lucratif.

Instruction ministérielle du 4 décembre 1922.

L'application de *la loi fiscale* aux actes concernant les associations sans but lucratif, créées en vertu de la loi du 27 juin 1921 (1), a fait naître certains doutes. L'instruction ministérielle du 4 décembre 1922 (2) a pour objet de les résoudre. Nous résumons ou transcrivons dans ces pages les prescriptions les plus importantes de ce document.

I. Acte constitutif d'une association sans but lucratif.

1° Les *statuts* de l'association, pour en faire usage dans un acte public, soit en justice, soit devant toute autre autorité, doivent être préalablement enregistrés (droit fixe général de 5 francs). Avant d'être enregistrés, ils doivent être rédigés sur papier timbré ou visé pour timbre, sous peine d'une amende de 25 francs.

2° L'indication des *cotisations* n'est pas passible d'un droit d'enregistrement. La constatation dans l'acte du *paiement* de ces cotisations donne ouverture, lors de l'enregistrement, au droit établi pour les libérations de sommes, c'est-à-dire, au droit d'enregistrement des quittances de fr. 0,30 °/₀ (3).

« Toutefois la solution serait autre et le droit de donation (fr. 22,50 °/₀) serait exigible si l'acte dissimulait, sous le couvert de cotisations, de véritables libéralités... Il y a là une question de fait, qui doit être appréciée dans chaque cas particulier ».

3° Les *apports* faits à l'association par les membres, qui ne constituent ni leurs cotisations, ni des transferts de biens jouissant de la gratuité, sont passibles d'un droit de donation, au taux de fr. 22,50 °/₀.

---

(1) *Coll. Brugen.*, t. XXI, p. 425 ss.; t. XXII, p. 160 ss.

(2) Voir un commentaire dû à la compétence de M. le chanoine Loncin, dans *La Vie diocésaine*, 1923, t. XII, p. 5 ss. Nous y faisons de larges emprunts.

(3) *La Vie diocésaine*, *l. c.*, p. 5.

II. **Transfert des biens affectés à ses services.**

« Aux termes de l'article 53 de la loi du 27 juin 1921, « les biens corporels, meubles et immeubles, qui sont « affectés aux services d'associations sans but lucratif « ou d'établissements d'utilité publique à la date où la « personnalité civile leur sera acquise, peuvent leur être « transférés par les personnes auxquelles ils appartien- « nent, en exemption des droits proportionnels d'enre- « gistrement et de transcription, si le transfert a lieu « dans les deux années de la dite date ».

« Tout transfert, quelle que soit la nature juridique de l'opération d'où il procède — substitution pure et simple du propriétaire réel au propriétaire apparent, donation ou *cession à titre onéreux* (1) – bénéficie de l'immunité des droits (proportionnels) d'enregistrement (2) et de transcription, s'il est effectué dans les deux ans de l'acte constitutif de l'association, et s'il porte sur des biens corporels qui, *en fait étaient affectés aux services de l'association avant l'érection de celle-ci en être moral* ».

« Ce transfert peut indifféremment être constaté, soit dans l'acte constitutif, soit par acte postérieur ».

« Le point de savoir si un bien est affecté aux services de l'association est *une pure question de fait*. On ne peut considérer comme affectés *les biens qui sont donnés à bail à des tiers et dont l'association se borne à retirer les loyers et fermages* » (3).

« L'argent monnayé et les billets de banque qui constituent l'encaisse des associations peuvent être transférés à celles-ci en franchise des droits proportionnels d'enregistrement ».

---

(1) C'est-à-dire, lorsque un propriétaire *réel* abandonne à l'association, moyennant la remise d'un prix ou l'obligation d'une charge hypothécaire ou autre, un bien, qui, avant la date où la personnalité civile est acquise à l'association, était affecté aux services de celle-ci; voir *La Vie diocésaine*, *l. c.*, p. 7 s.

(2) L'acte portant transfert d'immeubles au profit de l'association doit être soumis à l'enregistrement endéans les trois mois (droit fixe de 5 fr.).

(3) Ces biens, bien que considérés par le fisc comme non affectés aux services de l'association et donc passibles des droits proportionnels d'enregistrement et de transcription, peuvent être envisagés par le tribunal comme *nécessaires* au but de l'association (art. 15 de la loi de 1921).

« Quant aux titres au porteur, en général, — fonds publics, actions et obligations de sociétés, — bien qu'ils soient, à certains points de vue, régis par les règles qui gouvernent les meubles corporels, leur transfert à l'association ne peut bénéficier de l'exonération prévue à l'article 53 de la loi. En effet, ces titres ne sont pas directement affectés au service de l'institution, seuls les revenus qu'ils produisent étant utilisés à cette fin (1) ».

« On s'est demandé quel est régime fiscal de l'acte qui constate le transfert à l'association, soit de biens incorporels *non affectés aux services de l'institution* ».

A cette question l'administration répond par une distinction:

a/ S'il s'agit d'un acte qui a pour objet de transférer dans le domaine de l'association un bien *réellement* possédé par un tiers, il doit être considéré comme une *donation*, passible du droit proportionnel de fr. 22,50 °/₀.

b/ Mais s'il s'agit de transférer un bien dont la propriété a été fixée sur la tête d'un possesseur *apparent* en suite d'une acquisition à titre onéreux, dont le prix a été fourni, en fait, non par ce possesseur mais par l'association avant sa reconnaissance légale, le fisc, considérant que la loi de 1921 entend régulariser la situation créée sous le régime de la législation antérieure, et tenant compte du fait que les droits de mutation ont déjà été perçus lors de la passation du premier acte, n'exigera plus que le droit d'enregistrement (fr. 6,50 °/₀). Il est à noter que dans ce système, il n'y a pas de place pour la perception du droit de transcription, puisqu'en réalité il n'y a pas de changement de propriétaire.

Lorsque l'administration se trouve en présence d'un acte portant acquisition ou transfert d'immeubles *qui ne sont pas nécessaires* à la réalisation du but de l'association, elle perçoit les droits, en faisant abstraction de la nullité dont l'acte peut être affecté; mais elle signalera au dépar-

---

(1) « En pratique les biens meubles incorporels, — comme souvent aussi les biens meubles corporels, — seront transférés sans acte soumis à l'enregistrement, par la seule remise par les personnes qui les détiennent. En fait de meubles possession vaut titre, et la mention que l'association en fera dans la déclaration de son patrimoine, sera pour elle une prise de possession suffisante ». *La Vie diocésaine*, *l. c.*, p. 9.

tement de la Justice les acquisitions qui lui sembleraient contraires à l'article 15 de la loi de 1921. Si le tribunal, saisi du litige, à l'initiative du Ministre de la Justice, prononce la nullité de ces actes, les droits précédemment perçus restent acquis à l'État. Telle est la pratique constante de l'administration (1).

III. **Liste des membres et comptes prévus par les articles 10 et 16 de la loi.**

1° La liste alphabétique des membres, à déposer au Greffe du tribunal dans le mois de la publication des statuts, ainsi que la liste annuelle des modifications y survenues dans le courant de l'année doivent être dressées sur timbre (timbre de dimension) (2) et enregistrées préalablement à leur dépôt (droit fixe, fr. 5).

2° Il en est de même du dépôt au Greffe du tribunal des comptes annuels, lorsque l'association sollicite l'autorisation d'accepter une libéralité entre vifs ou testamentaire.

3° Le récepissé par le greffier, constatant le dépôt entre ses mains de la liste et des comptes susvisés, est assujetti aux droits de timbre, d'enregistrement et de greffe (10 fr.) (3).

IV. **Libéralités entre vifs ou testamentaires à une association.**

L'administration déclare que les dispositions de la loi du 30 juin 1865, relatives à l'acceptation provisoire par les communes et les établissements publics des donations entre vifs qui leur seraient faites (4), ne sont pas applicables aux associations sans but lucratif, que dès lors les libéralités faites à ces dernières ne peuvent être valablement acceptées qu'après avoir été approuvées par arrêté royal.

En conséquence l'acte de donation n'est passible que du droit fixe de 5 francs. Une fois l'autorisation obtenue,

---

(1) *La Vie diocésaine*, *l. c.*, p. 10.

(2) Loi fiscale du 24 oct. 1919, art. 12, *Moniteur*, p. 6298.

(3) *La Vie diocésaine*, *l. c.*, p. 7, 10 s.

(4) Voir Van Coillie-De Meester, *La sépulture et les fabriques*, n. 216.

l'acte d'acceptation de la part de l'association, donne ouverture à la perception du droit proportionnel de fr. 22,50 °/o, sans défalcation du droit perçu antérieurement.

Les libéralités testamentaires sont taxés d'après l'échelle progressive des droits de succession entre personnes non parentes (1).

V. Dévolution des biens en cas de dissolution d'une association.

« L'acte dressé en cas de dissolution d'une association sans but lucratif et constatant le transfert des biens *à une autre institution* est sujet au droit de mutation ; en règle, et sauf examen des circonstances spéciales de chaque affaire, le droit exigible sera celui des transmissions à titre gratuit » (fr. 22,50 °/o).

VI. Taxe annuelle. Point de départ de son exigibilité.

La taxe annuelle de 1 fr. pour mille, est exigible à partir du 1er janvier qui suit la date de la constitution de l'association (2), sur la remise sur papier libre d'une déclaration de patrimoine, dans les trois premiers mois de l'année (3).

L'application de cette disposition ne souffre aucune difficulté, en ce qui concerne les associations dont les statuts ont été signés et publiés au *Moniteur*, dans le courant de la même année.

Mais l'administration envisage aussi le cas où les statuts, signés dans le courant de telle année, n'ont été publiés au *Moniteur* que l'année suivante, et elle décide qu'en l'occurrence la taxe est exigible à partir du 1er janvier qui suit *la signature de l'acte*.

Monsieur le chanoine Loncin (4) critique à bon droit cette décision. En effet, l'association, avant la date de la publication de ses statuts au *Moniteur*, n'acquiert pas la personnalité civile. Avant cette date, elle n'existe pas civilement, elle ne possède pas, elle est même légale-

(1) *La Vie diocésaine, l. c.*, p. 16.
(2) Art. 44 de la loi de 1921.
(3) Art. 47 de la loi de 1921. Voir *La Vie diocésaine, l. c.*, p. 11 s
(4) *Ibid.*, p. 12 s.

ment incapable de posséder. Comment donc taxer un patrimoine dont l'existence est impossible ?

« Les associations n'ont donc à déclarer que le patrimoine existant au 1er janvier qui suit la publication des statuts au *Moniteur ;* cette déclaration comprendra les biens déjà transférés à cette date par un acte enregistré, et les biens meubles qui ne font pas l'objet d'un acte spécial. Pour ces derniers, en effet, il est raisonnable de les envisager comme appartenant à l'association à partir du jour où la capacité de posséder leur est acquise » (1).

Nous reprenons également à l'excellent article de Monsieur le chanoine Loncin, les observations suivantes, relatives à *l'estimation de la valeur vénale du patrimoine*, meuble et immeuble (2).

« Meubles. Pour estimer les *fonds publics*, les *obligations* et *actions* de société etc., on consultera le cours renseigné dans le Prix courant publié au *Moniteur* du 1er mardi de janvier.

Pour les *meubles meublants*, *l'outillage*, etc., il faut déclarer leur valeur vénale, c'est-à-dire, celle qu'on peut raisonnablement espérer en obtenir en cas de vente.

La loi exige de joindre à la déclaration la copie de la Police d'assurances : cette obligation ne concerne que les meubles, et n'implique pas l'obligation de prendre, pour valeur vénale, la valeur mentionnée dans cette Police, les deux valeurs étant établies à des points de vue différents.

Immeubles. Pour faciliter l'estimation de ces biens, à défaut de vente relativement récente, nous conseillons aux administrateurs des associations de recourir aux trois méthodes suivantes :

1° On prend le revenu cadastral *actuel* des immeubles et on le capitalise à 5 °/o pour le revenu bâti et à 6 °/o pour le revenu non bâti. On peut se procurer un extrait de la Matrice cadastrale, donnant le revenu imposable, en s'adressant au Directeur provincial des contributions directes, douanes et accises, au chef-lieu de la province où le bien est situé.

D'après cette méthode la valeur du bien est, pour les bâtiments : $\frac{\text{rev. bâti} \times 100}{5}$ et pour les terrains : $\frac{\text{rev. non bâti} \times 100}{6}$; l'addition des deux sommes obtenues donnera la valeur correspondante du revenu cadastral.

(1) *Ibid.*, p. 13.
(2) *Ibid.*, p. 14 s.

2° On fait faire l'expertise des biens, par un homme au courant de la valeur des immeubles, dans la localité envisagée : notaire, géomètre, entrepreneur, etc. Cette expertise tiendra compte de la valeur du terrain à l'endroit désigné et de la valeur des bâtiments, avec les possibilités d'utilisation en cas de vente.

3° On prend le capital assuré pour les immeubles et on y ajoute la valeur du terrain, non compris dans l'assurance. Pour la Police d'assurances on tiendra évidemment compte de la différence entre la valeur assurée et la valeur vénale comme nous l'avons dit ci-dessus.

Par la combinaison des capitaux obtenus d'après ces méthodes, on a quelque chance d'obtenir une valeur qui paraîtra raisonnable ».

A. De Meester.

Opera ad redactionem missa (1).

Buzy, D. *Les symboles de l'ancien Testament.* Paris, Gabalda, 1923. — In 12, VI-421 p. — Pr. 8.50 fr.

Cappello, F. (S. J.). *Tractatus canonico-moralis de sacramentis,* vol. III, *De matrimonio.* Taurinorum Augustæ, Marietti, 1923. — In 8, XI-952 p. — Pr. 30 lib. ital.

Debast, L. (C. SS. R.). *Het gebed.* Esschen, Sint Alphonsus Boekhandel, 1922. — In 18, 53 bl. — Pr. 0.50 fr.

Leering van s. Alphonsus over de noodzakelijkheid en de kracht van 't gebed. Ter verspreiding aanbevolen.

Grammatica, A. *Bibliorum sacrorum juxta Vulgatam Clementinam nova editio.* Taurini, Marietti, 1922. — Pet. in 4, XVI-1152 et 24 p. — Pr. 40 lib. ital.

Gratry, A. *Jésus-Christ. Réponse à Renan.* Paris, Téqui, 1923. — In 12, XII-140 p.

Hugon, E. (O. P.). *La sainte Eucharistie.* 3 éd. Paris, Téqui, 1922. — In 12, VI-366 p. — Pr. 5 fr.

Lagrange, M. J. (O. P.). *Le sens du christianisme d'après l'exégèse allemande.* Paris, Gabalda, 1918. — In 12, XX-337 p.

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Lagrange, M. J. (O. P.). *Saint Paul. Épitre aux Galates (Études Bibliques).* Paris, Gabalda, 1918. — In 8, LXXXIV-175 p.

Matéo P. (SS. CC.). *Au roi d'amour par la reine des Cœurs.* 127, Boulevard de Diest, Louvain. — In 8, 32 p.

Pour arriver à la perfection de la charité sacerdotale, faisons nous esclaves et prêtres de Marie.

Meersdom, C. (C. SS. R.). *Zielelezen.* Sint Alphonsus Boekhandel, Esschen, 1922. — In 18, 176 bl.

Een zeer nuttig werkje voor de geestelijke opleiding onzer collegestudenten. Deze tweede, beter bezorgde druk, zal, hopen we, denzelfden bijval als de eerste genieten.

Monstrey, O. (C. SS. R.). *G. Gezelle en het Allerh. Sacramen'.* Esschen, Drukkerij S. Alphonsus, 1923. — In-12, 32 p.

Eenige pereltjes uit G. Gezelle's altaargedichten opgedragen aan de jongens en meisjes van den E. K.

Muncunill, J. (S. J.). *Tractatus de Deo creatore et de novissimis.* Barcinone, 1922. — In 8, XVI-711 p.

L'Office des ténèbres avec traduction des textes. Chant grégorien selon l'édition Vaticane. Édition avec signes rythmiques. Tournai, Desclée et Cie, 1923. — In 18, 140 p. — Pr. 2.25 fr.

Officium et Missa ultimi tridui Majoris Hebdomadæ necnon et Dominicæ Resurrectionis cum cantu gregoriano ex editione Vaticana adamussim excerpto et rhythmicis signis a Solesmensibus monachis diligenter ornato. Tornaci, Desclée et Cie, 1923. — In 8, 338 p. — Pr. 5 fr.

Belle édition qui se recommande par la clarté de l'impression et la modicité du prix.

Officium Majoris Hebdomadæ et Octavæ Paschæ a Dominica in Palmis usque ad sabbatum in albis cum cantu, juxta ordinem Breviarii, Missalis et Pontificalis Romani. Editio I Taurinensis post typicam, apud Marietti, 1923. — Pet. in 8, XII-924-36 p. — Pr. 25 lib. ital.

Excellente édition sur papier indien. On ne peut assez louer la netteté, la commodité et l'élégance de cette publication, qui fait honneur aux presses Marietti de Turin.

Robyns, O. *Zoo loont de liefdekoning.* Tongeren, Michiels, 1922. — In 8, 134 bl.

Eene reeks van twaalf prêeken over de beloften van 't h. Hert van Jezus, door Mgr Rutten aan de priesters aanbevolen.

Ryelandt, F. (O. S. B.). *Pour mieux communier.* Abbaye de Maredsous, 1922. — In 12, 56 p. — Pr. 1 fr.

Nous souhaitons grande diffusion à cet opuscule : il apporte une contribution efficace à l'éducation liturgique et eucharistique du peuple chrétien.

Vosté, J. M. (O. P.). *Commentarius in epistolas ad Thessalonicenses.* Parisiis, Gabalda, 1917. — In 8, VIII-308 p.

Id. *Commentarius in epistolam ad Ephesios.* Parisiis, Gabalda, 1921. — In 8, 320 p.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam. (1)

Animadversio prævia maximi momenti.

Priusquam singulas prænuntiatas tabulas exponamus, perutile erit universa opera Dei ad extra uno conspectu considerare, ut inde eruamus veritatem aliquam generalem ac fundamentalem, quæ totam doctrinam theologicam per singulas tabulas explicandam quasi pervadit et illustrat, ita ut dilucide appareat locus quem in ordine a Deo in præsenti statuto obtinet tum ipsum Verbum incarnatum Christus Jesus Redemptor humani generis, ejusque Ecclesia, tum superbenedicta Ejus Mater, tum et nos ipsi; simulque ordo et nexus singulorum dogmatum fidei inter se rite perspiciatur.

Itaque Deus, unus essentia trinus personis, quem in ultima tabula in se contemplabimur, in trinitate personarum infinite gloriosus et beatus, ex amore gratuito et liberrime absque ulla necessitate ab intrinseco ullave indigentia ab extrinseco, ab æterno omnia præsciens decrevit bonitatem suam ad extra communicare — bonum quidem, ut ait S. Bonaventura, est diffusivum sui — scilicet, manifestando se creaturis intellectualibus ab omnipotentia sua producendis, easque, si eum agnoscerent et gloriam darent, suæ felicitatis participes reddendo. Inter omnes autem possibiles creaturas omnesque inter eas possibiles ordines a se præcognitos, cur elegit Deus has creaturas quas de facto exstituras decrevit, huncque ordinem naturæ, gratiæ et gloriæ quem facto statuit? Infinita enim sapientia non agit sine ratione, neque potest non ordinare a se producta in finem se dignum. In omni quidem ordine, necessario universa

(1) Vide supra, hoc tomo, p. 102 sqq.

propter semetipsum operatur Dominus (1), nempe ad gloriam suam externam quam præprimis reponit in creaturarum intellectualium felicitate Atvero heic quæritur quare Deus elegerit hunc præ cæteris omnibus ordinem, hanc præsentem manifestationem gloriæ suæ cum hac creaturarum harum beatitudine ?

Ad hanc quæstionem respondemus rationem cur hoc et non aliud operatus est Deus, atque finem totius ordinis præsentis, naturæ, gratiæ et gloriæ, esse quærenda in Verbo incarnato, Christo Redemptore, qui fastigium occupat omnis operæ Dei ad extra. Videlicet, quemadmodum Verbum manifestatio perfecta ad intra est Dei Patris, « splendor gloriæ et figura substantiæ ejus », ut loquitur Apostolus (2), ita factum est idem Verbum per incarnationem et redemptionem hominum manifestatio ad extra perfecta et summa divinarum perfectionum divinæque gloriæ, necnon beatitudinis summæ creaturarum origo et causa.

Hæc igitur est veritas fundamentalis omnem doctrinam fidei illustrans, bene retinenda et nunc paucis explicanda: scilicet, omnia in præsenti ordine in Christum tendere ac dirigi ut in finem, Ipsumque esse rationem cur Deus ad extra operatus est quæcumque operatus est, et esse fastigium totius ordinis, utpote in quo Christo Redemptore summa Deo gloria cum summa beatitudine creaturarum consurgit. Unde et hoc etiam sensu dicere liceret cum S. Joanne: « Sine ipso factum est nihil, quod factum est » (3). Et de angelis quoque canit Ecclesia: « Per quem (Christum) Majestatem tuam laudant angeli, adorant Dominationes etc. — Cæterum, hanc veritatem fundamentalem expresse affirmat S. Paulus: « Omnia per ipsum, et in ipso (εἰς αὐτον, ad ipsum ut finem) creata sunt (4). »

---

(1) *Proverb.*, XVI, 4.
(2) *Ad hebr.*, I, 3.
(3) *Evang. Jo.*, I, 3.
(4) *Ad Col.*, I, 16; ubi lege 14-20.

Re quidem vera creavit Deus angelos ut essent ministri Christi in gloriosissimo opere redemptionis, et porro custodes et defensores redemptorum, atque aulici Christi in regno suo æterno.

Rursum intuitu Verbi incarnandi, utpote coronidis totius præsentis ordinis, ab initio ad finem sua præscientia ab æterno cognitum ac dispositum atque voluntate sua decretum, Deus creaturas intellectuales exaltavit ad ordinem supernaturalem ac divinum. Primo quidem angelos, quorum tamen multi ex superbia rebelles tantum beneficium Dei spreverunt (1), et misere lapsi sunt, lapsu irreparabili, ob spiritibus naturalem obstinationem in determinatione semel sumpta adeoque pœnitendi incapacitatem (2). Permisit tamen Deus hunc lapsum ob rationes sapientiæ suæ notas, et, conformiter ad omnia a se præscita, usus est diabolo ejusque asseclis ad majorem gloriam Verbi incarnati et suam. Permisit nempe diabolo ut esset instrumentum probationis et lapsus hominis, pariter ad ordinem divinum exaltati, ast lapsus reparabilis et reparandi quidem opere gloriosissimo redemptionis per Verbum incarnatum, quod non tantum ruinam reparabit, sed et totum opus Dei ad extra ad perfectionem deducet. Permisit quoque Deus ut esset diabolus instrumentum passionis et mortis Redemptoris, qua quidem morte perfecit Christus redemptionem, ita ut diabolus ipse inconscius cooperaretur operi glorioso Salvatoris et esset instrumentum inconscium propriæ suæ confusionis et ruinæ. Putabat diabolus lapsum hominis esse irreparabilem, cum nulla creatura eum reparando par esset, et sapientia Dei etiam ipsi videbatur obstare quin reficeret opus suum quasi nihil prævidisset. Ignorabat enim consilium æternum summæ pietatis et misericordiæ, quo Deus statuerat non tam reficere quam perficere totum opus suum dando Filium suum Verbum incarnatum in

(1) De natura peccati angelorum, ejusque occasione et causa, vid. *Médit. théol.*, 2e édit., tome II, p. 450 et suiv.

(2) V. S. Thomam, 1, q. 64, a. 2, et cf. 3, q. 4, a. 1.

Redemptorem generi humano, qui et ratio est et finis et fastigium universi operis divini ad extra, « Alpha et Omega, Principium et finis » (1), « Primus et Novissimus » (2).

Igitur, hic est locus summus quem occupat in præsenti ordine Verbum incarnatum, Christus Jesus, gloriosus Redemptor noster.

Ex dictis quoque elucet quem sublimem locum ibidem obtinet superbenedicta Virgo Maria, utpote Mater Redemptoris, coredemptrix mundi, omnium gratiarum Mediatrix. Si omnia operatus est Deus intuitu Christi Salvatoris, merito dicimus Deum omnia quoque fecisse ratione habita Virginis Deiparæ, quam pro sua maternitate divina voluit sine labe originali conceptam, et Virginem perpetuam, et omnino sanctissimam ac perfectam, et Reginam cœli et terræ.

Ex præfatis etiam intelliges quis locus competit Ecclesiæ Christi et ejusdem Capiti visibili, Vicario Christi in terris, quæ quidem Ecclesia sub Pontifice summo continuat opus redemptionis, tum transmittendo ad omnes homines doctrinam salutis atque mysteriorum vitæ, mortis et gloriosæ resurrectionis Christi, verbo, totius operis redemptionis, tum applicando Redemptoris merita per sacramenta et sacrificium incruentum, idem ac illud quo Christus nos redemit.

Heic quoque adverte locum Eucharistiæ, qua sacrificium et qua sacramentum est, centrum nempe divini cultus et fons omnium gratiarum, Ipse nimirum Christus apud nos manens.

Denique et locum utiliter inspiciemus quem nos ipsi infimæ creaturæ in præsenti ordine occupamus. Si nos Deus præ innumeris aliis existentia donavit, id rursus intuitu Redemptoris fecit, nos destinans ut membra et fratres Christi ac filii adoptivi Dei fieremus; etenim « quotquot receperunt eum (Christum) dedit eis potes-

(1) *Apocal.*, I, 8.
(2) *Ibid.*, 18.

tatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus... sed ex Deo nati sunt (1) ». Imo et destinat nos, si fideles fuerimus, ut olim simus membra Christi gloriosa in regno ejus, quando in consummatione sæculorum post judicium universale quod exercebit utpote cui « data est omnis potestas in cœlo et in terra (2) », definitivum triumphum aget, ut caput omnium sanctorum angelorum et hominum, et cum his in summa pace et beatitudine regnabit, cujus regni non erit finis. Et e contrario, diabolum quem per tempus quodammodo regnare in mundo permittit, ob probationem redemptorum aliasque sibi notas rationes, jam cum cæteris malis angelis miserisque damnatis hominibus in tenebras et supplicia æterna detrudet inferni, cujus portas ad æternam oblivionem sigillo suo obsignatas occludet, ita ut illorum miserorum angelorum et hominum nulla memoria remaneat nisi in manifestando electis Dei omnipotentiam et justitiam, ejusque amorem ab illis spretum ac despectam misericordiam.

Igitur hæc fundamentalis veritas, qua dicitur Christus Redemptor ratio et finis atque fastigium universi operis Dei ad extra, vides quantam lucem offundat in totam doctrinam theologicam, nunc per partes in singulis jam tabulis, inde a creatione mundi ad usque consummationem sæculorum, exponendam, ut sit præparatio positiva ad contemplationem mysticam tum Verbi incarnati tum Dei unius et trini, et ad unionem cum Deo amorosam quam intimam, qua et ipsi perfecte « boni fiamus », et inde fœcundiore labore apostolico alios multos faciamus bonos.

Concludendo hunc articulum, supervacaneum haud erit ad hoc lectorem attentum jam facere, quomodo nempe facto seu executione totius ordinis, et mirabili Providentia Dei et ipsius specialiter Verbi in dirigendis

---

(1) *Joan.*, I, 12-13.
(2) *Matt.*, XXVIII, 18.

cunctis eventibus seu integra humani generis historia in præparationem adventus Redemptoris, et operis redemptionis (1), mirum in modum confirmentur quæcumque docuimus, sicuti et post redemptionem Christus centrum manet historiæ, a quo omnia pendent et ad cujus gloriam omnia tandem contendent (2).

† G.-J., Episc. Brugen.

(1) Hac de re jam plura scripsimus in *Méd. théol.*, tom. II, n. 113-116, dein in sqq. passim, et specialiter n. 186 et sqq.

(2) Qua de re lege *Méd. théol.*, t. II, chap. VI et dernier.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis februarii propositas.

—

I.

In Matth., V, 31-32.

Q. *Interpretare* Matth., *V, 31-32*, *coll.* Matth., *XIX, 9*; Marc., *X, 11-12*; Luc., *XVI, 18*.

R. Quamnam ex verbis Jesu utroque loco Matthæi relatis desumant *objectionem* contra indissolubilitatem matrimonii, quasi nempe ex causa adulterii ipsum vinculum dissolvi posset, satis notum est; item quibusnam argumentis hæc objectio *indirecte diluatur*, ostenso nimirum Christum, sublato privilegio mosaico libelli repudii, matrimonium novæ legis ad pristinam firmitatem et indissolubilitatem reduxisse (1); item quænam fuerint ab auctoribus catholicis et nonnullis imo protestantibus propositæ *interpretationes* utriusque textus Matthæani, tales nimirum quibus dicta Jesu hisce textibus relata sint cum illa aliunde nota doctrina circa indissolubilitatem matrimonii perfecte consona (2). Mens hujus quæstionis hæc est ut paulo latius exponatur illa inter sententias propositas quæ tamquam magis probabilis nobis apparet.

---

(1) Hæc argumenta indirecta reducuntur ad sequentia capita : 1. Loci paralleli *Mc.* et *Lc.* citati; — 2. ipse *Mt.*, XIX, 1-10, et V, 32[b]; — 3. doctrina s. Pauli *I Cor.*, VII, 10 s., 40; — 4. ex absurdo, quatenus si hæc esset Christi doctrina, esset incitamentum ad adulterium; — 5. analogia fidei, seu doctrina Traditionis et Ecclesiæ.

(2) De hisce omnibus cfr exegetæ in hos locos Mt. (VANSTEENKISTE, *Sanctum J. C. Evangelium secundum Matthæum*, 4 ed., 1903. Brugis) et doctores theologiæ moralis, ubi de indissolubilitate matrimonii (DESMET, apud *Collat. Brug.*, t. XII, pp. 174 ss.; — ID., *De sponsalibus et matrimonio*, Brugis, 1923, pp. 339 ss.).

— Nimirum varii textus in quæstione indicati sic optime conciliari videntur.

Apud *Mc.*, x, 11-12 proclamat Christus: « Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam », i. e. lædit jura prioris suæ conjugis: « et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mæchatur », i. e. adulterat. Hoc principium manifeste ponitur ut absolutum, adeo ut nullam patiatur exceptionem, et signanter non illam quæ, utpote majoris momenti et facto non ita infrequens, omnino omitti non potuisset, adulterii ab alterutro conjuge commissi. — Idem proclamat apud *Luc.*, xvi, 18: « Omnis, qui dimittit uxorem, et alteram ducit, mæchatur: et qui dimissam a viro ducit, mæchatur ». — Unde matrimonium proclamatur in omni casu, non excepto casu adulterii in matrimonio admissi, indissolubile.

Juxta eamdem doctrinam explicari potest effatum Jesu prout apud *Matth.*, v, 32 occurrit. Dum enim Judæi, dispositioni legis mosaicæ (*Deut.*, xxiv, 1-4) inhærentes, tenebant in certis casibus viro licere dimittere uxorem suam, Christus contra discipulis suis dicit: « Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa [i. e. excepto casu quo ipsa ejus uxor adulterium commisit], facit eam mæchari: et qui dimissam duxerit, adulterat ». Hoc Domini effatum duplicem habet propositionem : unam, absolutam, absque ulla exceptione : « Qui dimissam duxerit, adulterat »; unde sicut apud *Mc.* et *Lc.*, vinculum matrimoniale nunquam est solutum: — altera propositio habet exceptionem: « Omnis qui dimiserit uxorem suam, *excepta fornicationis causa*, facit eam mæchari »: quod, ni fallimur, optimo sensu, cum reliqua doctrina Domini consono, sic intelligitur: Casu quo vir quidam dimittit uxorem suam — quod non infrequenter faciebant Judæi — vinculum matrimoniale intactum manet; unde uxor illa dimissa, si, ut non raro fieri contingebat, alias nuptias contrahit, mæchatur, seu adulterium committit in prius suum matrimonium: unde

ulterius *vir qui uxorem suam dimittit* eamque hac ratione agendi ad novas nuptias impellit, *facit eam mæchari*, i. e. causa est adulterii ab ipsa committendi ». Porro hisce verbis Christus non intendit merum et nudum factum materiale affirmare quasi diceret: « de facto ansam præbet adulterio uxoris suæ », sed, quemadmodum in tota hac sectione sermonis montani, intendit in lucem ponere *moralitatem* actuum, adeo ut sensus sit: « Vir qui dimittit uxorem suam, *male agit*, quatenus uxori suæ præstat ansam adulterium committendi ». — Sed adest limitatio, adesto exceptio: « *non semper male agit;* etenim licite agit in casu quo ipsa uxor adulterio infregit fidem marito suo datam ».

Unde putamus Christum, hoc cap. v *Mt. directe* non agere de solubilitate vel indissolubilitate matrimonii, sed, sicut in tota hac sectione sermonis montani, de moralitate quam in oppositione ad doctores judaicos, suis sequacibus proponere vult. Dum enim doctores isti, non sine impio quodam contemptu vinculi matrimonialis, jactabant: « Quem tædet uxor sua, ipsi tradat libellum repudii, quocum poterit ab alio viro assumi, eamque dimittat » (v. 31), Christus contra docet: « Qui ita dimittit uxorem suam, gravissime peccat — nisi utique in casu quo ipsa uxor fuerit infidelis: — facit enim eam mæchari, et etiam ille qui dimissam duxerit, mæchatur ». — *Indirecte* tamen hoc Christi monitum morale perfectæ indissolubilitati matrimonii innititur eamque continet.

Simili ratione intelligitur dictum Jesu apud *Mt.*, xix, 9. Rogantibus enim Pharisæis *utrum liceat* homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa, Jesus imprimis manifestissime inculcat omnimodam indissolubilitatem matrimonii, qualis ex primæva Creatoris institutione erat tenenda (vv. 1-6); deinde unicam illam exceptionem quæ posteriori tempore a Moyse fuit admissa, dissonare affirmat a primæva illa Dei institutione (vv. 7-8); jamvero Jesus ad hanc perfectam firmitatem reducere vult matrimonium (v. 6), indeque in v. 9 deducit conclusionem

practicam, quæ iterum sicut v. 32, duplici propositione constat: una absoluta, sine ulla exceptione: « Qui dimissam duxerit, mæchatur »; altera cum inserta quadam exceptione: « Quicumque dimiserit uxorem suam, *nisi ob fornicationem* [i. e. ob adulterium uxoris], et aliam duxerit, mæchatur »: hujus dicti sensus non est in casu adulterii uxoris matrimonium posse dissolvi, adeoque virum qui eam dimittit et aliam assumit hoc casu non adulterare — quod esset in oppositione ad reliquam Christi doctrinam — sed idem est sensus ac v, 32: nota enim locum valde mirum ubi exceptio illa « nisi ob fornicationem » inseritur: opponitur enim verbo: dimittere uxorem, — non autem verbo: aliam ducere. Unde sensus est: In casu adulterii uxoris, licite dimittit vir uxorem suam: ast omni casu quo aliam uxorem assumit, adulterium committit.

Nota. Hæc solutio facilius adhuc intelligitur si poneres Christum hæc verba, eo modo quo apud *Mt.* prostant, non pronuntiasse. Revera *a*/ *Mc.* et *Lc.* ut vidimus, in locis omnino parallelis eam restrictionem minime habent, sed absolute loquuntur; *b*/ in toto contextu, in toto sermone montano, Christus continuo proponit consilia perfectionis *formulis absolutis:* sic v. g. v. 34: « *Non jurare omnino!* » — et tamen multæ subintelliguntur exceptiones; v. 39 s.: « Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram », etc.; — et tamen multæ sane sunt exceptiones (1); unde præsumendum est Jesum etiam hic modo absoluto esse locutum: *nunquam licere* dimittere uxorem; Matthæus vero — vel redactor Evangelii nostri primi græci — minime mutando sensum verborum Christi, interposuit hæc pauca verba: « nisi ob adulterium », non ad significandum hoc casu matrimonium dissolvi, sed mulierem tunc licite dimitti. Interponendo autem hujusmodi breve incisum phrasim fecit magis intricatam et obscuram

A. Vander Heeren.

(1) Cfr plures alias expressiones, quæ si ad litteram sumerentur, manifeste exaggeratæ apparent. Cfr vv. 21-22; 23-24; 25-26; 29-30; 37 40-41.

II.

De regula fidei.

Q. *Quid intelligitur per regulam fidei? Expone doctrinam catholicam de regula fidei eamque simul oppone ad doctrinam protestanticam in hac materia.*

R. — 1/ Per regulam fidei intelligitur id a quo singuli fideles et singulæ fidelium generationes fidem suam *objective* spectatam accipiunt et secundum quod simul id quod credere tenentur, dimetiri possunt atque debent (1).

Et enim quum revelatio jam ante sæcula sit absoluta et tamen destinata fuerit non solis hominibus facto revelationis coævis sed omnibus hominibus futuris usque ad consummationem sæculi, quæritur quonam modo id quod est credendum ab omnibus, incorruptum, cum certitudine omnimoda, cum auctoritate quinimmo divina, ad omnes et singulos homines, sive doctos, sive indoctos, tuto pervenire queat.

2/ Secundum *doctrinam catholicam* respondetur. *a/* hoc obtinet proxime per ipsam prædicationem magisterii infallibilis et hæc est *regula fidei proxima; b/* verum, et ipsa prædicatio Ecclesiæ regulatur per Scripturam sacram, seu verbum Dei scriptum, simul ac per traditionem oralem, seu verbum Dei oretenus transmissum, quæ fontes revelationis constituunt, atque hæc *regula fidei remota* dicitur (2).

Vocatur igitur hæc regula fidei *remota* relate ad fideles (3), quibus non incumbit obligatio perscrutandi

---

(1) Antiquitus ipsum symbolum fidei quandoque vocabant regulam, ita v. g. s. Irenæus, *Adv. hæres.*, I, xxii, 1 (MPG, VII, 669); Tertullianus, *De præscriptione*, 13 (MPL, II, 26); *De virginibus velandis*, I, 4 (MPL, II, 889) etc.

(2) De fontibus revelationis agetur ex professo in responsione nostra proxima; hunc duplicem fontem admittendum docet *Conc. trid.*, sess. IV, *Decretum de canonicis Scripturis (Enchir.*, n. 783) et *Conc. vatic.*, sess. III, *Constit. dogm. de fide cath.*, cap. 2 (*Enchir.*, n. 1787).

(3) Harent, art. *Foi*, apud *Dict. de Théol. Cath.* (Vacant-Mangenot), VI, 165, eamdem regulam vocat remotam, quoniam *tempore* magis a nobis distat.

fontes revelationis, ut ex iisdem objectum fidei suæ conquirant.

Et revera magisterium ecclesiasticum per seipsum cunctis fidem facit; imo, quoniam hoc magisterium institutum est a Deo, ut Spiritu sancto assistente, depositum fidei sancte custodiat et fideliter exponat (1), si quivis christianus in verbo Dei, scripto aut oretenus transmisso, doctrinam se invenire putat, quæ prædicationi Ecclesiæ vere et certo videtur contraria, hanc suam mentem relinquere debet ut doctrinam Ecclesiæ authenticam amplectatur (2).

Attamen in hoc non subordinatur verbum Dei verbo Ecclesiæ, quia divinitus cautum est per ipsum charisma infallibilitatis, ut verbum Ecclesiæ fideliter exprimat verbum Dei, atque inde simul apparet quanam ratione regula proxima et remota ad invicem cohæreant et mutuo coordinentur. Subordinatur autem verbum seu judicium hominis privati verbo et judicio Ecclesiæ, et ita verbo Dei per Ecclesiam docentis (3).

Ex dictis patet non eodem censu venire utramque regulam et exinde etiam terminologia sat diversa, apud varios auctores usurpata, explicari potest.

Regulam proximam quidam vocant *directivam*, remotam autem *constitutivam* appellant, quatenus scil. Ecclesiæ competit munus ut christianos in recta verbi divini fide *dirigat;* verbum divinum vero *constituitur* iis veritatibus, quæ in fontibus continentur. Advertatur autem prædicationem Ecclesiæ pariter dici posse constitutivam, quatenus id quod est credendum in eadem etiam reperitur.

Alii primam regulam nuncupant *vivam*, secundam

---

(1) Vide *Conc. vatic.*, *l. c.*, cap. 4 (*Enchir.*, n. 1836) et tract. de Ecclesia.

(2) Cfr Suarezius, *Tract. de fide*, disp. V, sect. 1 s. (ed. Vivès, t. XII, p. 137 s.); Van Noort, *De fontibus revelationis*, p. 5, Amstelodami, 1911².

(3) Cfr De Brouwer, *Tract. de Ecclesia Christi*, n. 257, p. 246, Brugis, 1891².

dicunt quasi *mortuam ;* priorem adhuc nominant *subjectivam*, quatenus consideratur *in subjecto quod* proponit id quod est credendum; alteram tunc vocant *objectivam*, quoniam continet *objectum quod* est fide tenendum (1).

3/ Secundum *doctrinam protestanticam* datur *una regula fidei,* nimirum verbum Dei scriptum.

Itaque : *a/* non admittunt protestantes traditionem oralem tanquam fontem distinctum, uti in sequenti quadam responsione fusius exponetur; deinde *b/* nullum admittunt organum quod hanc doctrinam revelatam et in Scriptura sacra contentam, immediate et proxime singulis hominibus *authentice*, cum auctoritate divina, proponat (2).

Sane non negant protestantes homines plerosque suam fidem proxime suscipere ex institutione parentum et ex prædicatione « pastorum »; quinimmo formulas seu confessiones fidei, præsertim initio reformationis, condiderunt, sed hæc omnia per se non habent auctoritatem proprie dictam; unde potest, imo debet unusquisque fidelis pro viribus suis inquirere num et quousque hæc prædicatio cum Scriptura conveniat, atque a confessione tradita recedere potest et debet, statim ac hanc doctrinam a genuino sensu Scripturæ difformem esse ipse judicaverit (3).

H. Lamiroy.

---

(1) Cfr Schrader, *De Theologia generatim*, p. 63, Pictaviis, 1874; De Brouwer, *o. c.*, n. 248 s., p. 239 s.; Bainvel, *De magisterio vivo et traditione*, p. 14 s., Parisiis, 1905.

(2) Vide Möhler, *Symbolik oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken und Protestanten*, § 44, p. 395 s., München - Regensburg, 1895[9]. In notis adducuntur ipsi textus reformatorum, in quibus suam doctrinam pandunt.

(3) Cfr Möhler, *o. c.*, § 45, p. 404 s. et Scheeben, *Handbuch der Kath. Dogmatik*, I, § 7, p. 39 s., Freib. in Br., 1873, ubi notantur differentiæ inter antiquiores et recentiores protestantes, qui judicium privatum lumine Spiritus sancti illustratum, aut mediis humanis, uti critica et documentis historicis, adjutum, unicam regulam directivam proclamant; vide etiam Bainvel, *o. c.*, p. 15 et Van Noort, *o. c.*, p. 4.

III.

De Successione II.

Q. *Quænam est in conscientia vis legum civilium (art. 756-764 et 908 Cod. civ.) restringentium jura filiorum* illegitimorum *in successione ab intestato?*

R. Quamvis olim in hoc periodico (1) de vi obligatoria legum civilium circa successiones actum fuerit, addita etiam applicatione de casu parentum qui portionem legitimam seu reservatam filiorum suorum lædunt, operæ tamen pretium manet quædam in specie de juribus filiorum illegitimorum disputare, secundum legem simul et conscientiam.

A/ *Lex civilis* distinguit illegitimos in simpliciter *naturales* agnitos aut non agnitos, in *adulterinos* et in *incestuosos*. Filius simpliciter naturalis potest quidem vi legis agnosci, sive per voluntarium et legalem actum parentis sive per tribunalis judicium; quodsi non agnoscatur, lex eum silentio premit habetque ut extraneum, nisi tamen quod in paucis casibus ipsi concedat pensionem aliquam alimentariam usque ad annum 18, ad normam art. 340.

Naturalem vero debite agnitum habet non quidem ut heredem, sed tamen ut successorem relate ad proprium parentem vel parentes, non autem relate ad avos suos (art. 756).

Tandem, adulterinos et incestuosos agnosci vetat (art. 335); sed ut tales non considerat nisi eos de quorum statu juridice constat, quod quidem rarius contingit (2); secus, istos ut simpliciter naturales æstimat et imo agnosci practice permittit.

1/ Jam age, jura successionis filii naturalis *agniti* ita definit lex: in concursu cum filiis (vel descendentibus)

---

(1) Cf. *Coll. Brugen.*, t. VIII, p. 670 ss.

(2) Cf. Ill^mum^ Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 283.

legitimis defuncti, habet 1/3 portionis quam haberet si esset legitimus (1); in concursu cum ascendentibus tantum defuncti aut collateralibus privilegiatis (fratribus aut sororibus legitimis defuncti), habet 1/2 partis filii legitimi, seu dimidium totius; in concursu cum collateralibus ordinariis tantum, habet 3/4 totius; et tandem omnia recipit si deest quivis heres legitimus in gradu utili ad succedendum (art. 757-758) (2).

Attamen, de parte illegitimi agniti detrahi oportet quidquid jam a parente vivo acceperit, modo cadat donum sub lege « collationis » (art. 760). Quinimo, nullum jus successionis retinet iste filius si a parente vivo jam receperit dimidium partis quæ ipsi in successione obtigisset, simul cum explicita parentis declaratione inde jam excludi illum a reliquis. Quodsi hoc exclusivo modo minus acceperit quam dimidium, nec ipsi tunc in successione remanet nisi jus ad illud dimidium complendum (art. 761).

2/ *Adulterinos* autem et *incestuosos* filios non habet lex ut successores; sed post mortem parentis ipsis jus tantum tribuit ad alimenta: inspectis hinc eorum necessitatibus, illinc fortuna defuncti numeroque et qualitate heredum (art. 762-763). Imo nullum jus jam ipsis conceditur, si per vitam suam defunctus ipsis alimenta assecuravit, vel artem mechanicam ipsos edocuit qua vivere possint (art. 764).

3/ Tandem, specialem addit art. 908 prohibitionem, ne ulli filii naturales per donationem inter vivos vel per testamentum plus accipiant quam supra dispositum est.

---

(1) Ita si fortuna defuncti sit 90000 f, denturque duo filii legitimi et unus illegitimus agnitus, iste haberet 30000 f. si esset legitimus in casu; habebit proinde 10000 f. Ubi autem dantur plures filii naturales in concursu cum legitimis, computus faciendus non est ita clarus, et diversa systemata a jurisperitis proponuntur.

(2) Habent etiam illi naturales agniti suam portionem legitimam seu reservatam; quæ rursus est 1/3, vel 1/2, vel 3/4 portionis quæ ipsis reservaretur si legitimi essent.

B/ *In foro nunc conscientiæ*, ad judicandum utrum necne obligent hujusmodi leges, recolendum est primum nonnullos dari actus, fatentibus ipsis jurisperitis, qui sub explicata prohibitione legali non comprehenduntur : ut sunt libera dispositio redituum, quos per vitam suam pater expendere potest prout vult, servata capitali summa; et etiam donationes onerosæ, quæ nempe præstitum aliquod officium, puta a filio illegitimo, remunerant.

Insuper plures sunt casus in quibus cessat in conscientia obligatio servandi legem, præsertim: « quando officium pietatis, caritatis aut justitiæ lege *naturali* aut *divina* præceptum adimpleri nequit, quin de legitima detrahatur, quia legislator præcipere nequit quæ legi naturali aut divinæ adversantur; ex. gr. parentes etiam cum præjudicio legitimæ portionis ceterorum liberorum filio in adversa fortuna succurrere possunt ut pro conditione sua honeste vivere possit » (1).

Hisce præ oculis habitis, adhuc in reliquis causis distinguere juvat casus in quibus coram Deo simul et lege civili existat concorditer illegitimitas alicujus filii, et casus in quibus discrepantia vigeat: v. g. ubi agitur de filiis ex solo matrimonio civili procreatis. Ut nunc de prima tantum classe loquamur:

1/ Si per donationem inter vivos, filio illegitimo concessam, *læsa fuerit portio reservata* heredum necessariorum: non quidem contra justitiam commutativam peccaverunt dantes aut accipientes, quia ante mortem auctoris nullum jus strictum conceditur heredibus in bona ipsius. Nisi tamen artes vere injustæ adhibitæ sint. quibus postea invincibiliter impediatur heres quominus de reductione agat (2); tunc enim efficax injuria statim post mortem

---

(1) *Collat. Brugen.*, ibid., p. 676. Et hæc quidem filiis etiam illegitimis applicabilia esse nemo non videt, cum et erga istos lex naturalis parentibus officium providendi imponat, pro conditione eorum, utique humiliore.

(2) Inter illas injustas artes communiter recensetur donatio facta sub forma contractus onerosi, quia postea invincibiliter decipitur judex

auctoris reparanda foret, ita nempe ut pars reservata rursus integra evadat.

Verum, si defuit injuria, læsio tamen portionis legitimæ constituit, pro dante simul et accipiente, peccatum inobedientiæ, utique leve, contra legem civilem, utpote in hoc puncto justam et bono communi faventem. Huic adde peccatem contra pietatem, etiam leve per se, grave autem si inde heres necessarius careat necessariis alimentis, aut si in familia odia gravia inde probabiliter timenda sint. Tandem, post mortem auctoris, ex stricta justitia tenebitur donatarius, petentibus saltem heredibus, hanc restituere partem qua legitimam læsit; et post sententiam judicis, reliquam partem quæ secundum legem excessiva est.

Quamquam hic benignius censent plures AA, qui ipsius legitimæ partis redintegrationem tantum post sententiam judicis ex justitia stricta imponunt (1). Quæ sententia probabilitate non caret; salva tamen obligatione caritatis, qua nonnunquam petentibus heredibus statim acquiescere tenebitur donatarius, ubi nempe jus heredum coram lege omnino certum est, et summa reddenda bene determinata.

2/ *Si vero non fuerit læsa portio reservata*, dum tamen art. 908 fuerit violatus: eadem sententia benignior nullum tunc censet dari peccatum, nec inobedientiæ quidem;

---

cum damno heredum. Verum, probabilis etiam videtur sententia P. VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia*, n. 334, propugnantis non magis in hoc modo agendi dari artem injustam quam in donatione manuali occulta.

(1) Cf. S. ALPHONSUM, III, n. 740; DE LUGO, disp. 23, n. 147; PRÜMMER, *Manuale Theol. Mor.*, II, n. 282; CORNELISSE, *Comp. Theol. Mor.*, II, n. 111; etc. GENICOT-SALSMANS, *Theol. Mor.*, I, n. 677. Revera, cum sententia communior admittat jus strictum heredum necessariorum ad legitimam limitari ex art. 921, et petentibus tantum heredibus concedi si facta fuerit donatio excessiva, apparet agi in hoc art. de petitione tribunali facta et non donatario; unde probabiliter concluditur posse expectari et sententiam judicis, cum insuper restituendæ pecuniæ quantitas incerta quandoque sit ob plures gratificationes quæ extra reductionem cadunt.

sed solummodo postea obligare ex justitia ipsam sententiam judicis, reductionem jubentis. Et revera, ait, dictus art. nullitatem tantum harum donationum, et non inexistentiam ut probabilius secum trahit; et ex alia parte manca videtur hic lex circa illegitimos: dum filiis naturalibus non agnitis, imo adulterinis etiam et incestuosis de quorum statu juridice non constat, nil practice prohibet accipiendum ubi non dantur heredes reservatarii vel ubi portio reservata non fuerit læsa. In hoc ergo casu lex civilis nullos fere nisi legaliter agnitos ferit, quibus tamen favere volebat; unde hæc dispositio conscientiam ligare non est dicenda (1).

Quæ profecto sententia relate ad naturales agnitos admittenda videtur, ut hi saltem in pejore conditione non versentur quam non agniti; quoad adulterinos autem et incestuosos omnes, cum similis ratio ipsis non sit applicanda, in sententiam communiorem propendemus quæ tenet leve committi tunc peccatum inobedientiæ a donante simul et accipiente.

Quidquid sit, cum in rebus hujusmodi bona fides facile existat, non erit in tribunali pœnitentiæ sine probabili spe fructus disturbanda.

IV.

Q. *Quid autem in conscientia resolvendum est de jure ad successionem filiorum* a/ *ex matrimonio pure civili*, b/ *ex matrimonio pure religioso procreatorum ?*

R. *Prænota.* Hanc quæstionem separatim expendere juvat, cum illos respiciat casus in quibus inter legem civilem et canonicam de legitimitate filiorum discrepantia vigeat, proptereaque difficilioris appareat esse solutionis.

Profecto indubium est matrimonium inter christianos, cum sit sacramentum, ad Ecclesiæ forum pertinere,

(1) Patet tamen aliquando scandalum dari posse, necnon peccatum contra pietatem relate ad heredes legitimos. — Cf. GENICOT-SALSMANS, *ibid.*, n. 679.

ipsiusque esse hujus sacramenti validitatem ordinare, causas matrimoniales proprio marte dijudicando. Ex alia parte, cum vera legitimitas tum conjugum tum filiorum sit effectus naturalis veri matrimonii, patet hanc solo sacramento reapse adnecti, nec ullatenus effectum pure civilem dici posse matrimonii civilis (1).

Ad Statum sane pertinet effectus vere civiles matrimonii ordinare, ad normam scilicet æquitatis naturalis bonique communis ; verum, ut de his effectibus lex legitime disponeret, a vero matrimonio proficisci debuisset : quod infeliciter non præstitit. Etenim veri matrimonii seu sacramenti existentiam et validitatem, a qua pendet vera filiorum legitimitas, ipsa non considerat : sed contra jus simul et fas, et contra bonos mores sacramentum penitus negligit, solumque civilis matrimonii ritum inanem præ oculis habet : unde de successione agendo, quoties inter germanam legitimitatem filiorum et prætensam civilem legitimitatem discrepantia datur, legali concubinatui ipsa lex favet, filiisque illegitimis contra legitimos : quod certe iniquum est.

Difficultas autem quæ inde exurgit, casu matrimonii pure civilis aut pure religiosi, statim menti occurrit : Jus enim succedendi parentibus in ipso quidem jure naturæ fundatur, sed a lege civili determinari oportet. Unde, cum lex in casu discrepantiæ inter utrumque matrimonium inique procedat, quæritur an tunc possint aut imo debeant stipulationes codicis civilis transponi, applicando nimirum contra mentem ejus favores legales filiis vere legitimis, et subtrahendo illos illegitimis coram Deo ? Vel an potius ipsius defuncti voluntas pro lege tunc habenda est, qua juris naturæ determinativa ?

A/ Agedum, sat frequens occurrit in praxi *casus matrimonii pure civilis* unde procreatur proles : sive neuter e parentibus matrimonio simul religioso aliunde teneatur, sive e converso. In prima hypothesi proles est quidem

(1) Cf. Illmum Waffelaert, *De l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 94.

illegitima, sed ita ut *legaliter agnita* per ipsum civile matrimonium dici posse videatur (1) ; in altera vero est *adulterina* coram Deo et conscientia. Ex alia parte, dantur vel non dantur eodem tempore filii vere legitimi, ex matrimonio scilicet religioso procreati.

1/ Nunc autem, si agatur de filiis hujusmodi *legaliter agnitis* et de successione ab intestato, *deficientibus simul filiis legitimis* : communis sententia tenet hanc prolem stare posse legi, quæ ipsi fortunam auctorum suorum assecurat, exclusis scilicet parentibus defuncti necnon ejus collateralibus etiam privilegiatis. Minime quidem in hac sententia ex vi legis arguitur, quippe quæ valorem non habet, dum inique hos filios ut legitimos habet; sed potius ex vi juris naturæ, per voluntatem utique parentis pressius determinati (2).

Abstinendo enim a testamento conficiendo, voluerit defunctus istis filiis bona sua relinquere : noverat enim quid lex pronuntiaret in casu, et secundum hanc normam faciendum libere judicavit ; quod nec justitiæ strictæ, nec per se pietati adversatur in hac hypothesi. Et idem dici debet si defunctus testamentum explicitum in favorem istius prolis illegitimæ confecerit.

Si vero aliter fieri voluerit, suamque voluntatem modo indubio manifestaverit, v. g. per testamentum etiam legaliter informe aut viva voce expressum, tunc sane res est aliter decernenda : nam in aliorum favorem tunc usus est suo jure testandi ; et in defectu justæ legis in oppositum, jus strictum inde acquisiverunt hi quos elegerit. Et certe tunc contra pietatem simul et justitiam commutativam peccarent filii illegitimi, si lege iniqua niterentur ut contra voluntatem parentis certo cognitam favores filiorum legitimorum reclamarent : ad summum (3) enim

(1) Cf. Ill^mum^ Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 326.

(2) Cf. Ill^mum^ Waffelaert, *De l'obligatione en conscience...*, p. 122.

(3) Dicitur : ad summum, quia nec omnino constat tales filios ut legaliter agnitos habendos esse. Sed utique relate ad filios quosvis jam lege naturæ tenentur parentes ad alimenta saltem et educationem, quamdiu necesse sit, assecuranda.

retinent tunc jus ad integram partem illegitimi legaliter agniti ; a qua etiam si per dictum testamentum excludantur, ipsis non remanet nisi jus ad reservatam partem seu legitimam portionem filii illegitimi legaliter agniti.

2/ Quid vero *si dentur simul filii vere legitimi*, dum moritur pater ab intestato vel cum testamento æquiparante illegitimos legitimis ? Quid imo si spurii filii tunc revera *adulterini* sint ? Respondet adhuc Lehmkuhl : « Si pater filios istos ex adulterino matrimonio ortos in testamento fecit heredes, censeo eos posse partem assignatam sibi accipere. Nam, utut peccaverit pater fortasse contra pietatem, contra strictam justitiam non peccavit filiis vere legitimis eam partem subtrahens, utpote qui ex sese atque ex lege naturali jus strictum in paterna bona eorumque determinatam partem non habeant, in portione vero lege positiva sibi adscripta, ut sumo, læsi non sint (1). Quod si ita est, filios istos adulterinos, si patrem ad testamentum non induxerint, ne contra pietatem quidem peccati reos habeo, quod a patre jam est completum... Idem dicendum puto, si pater sine testamento ullo seu voluntatis declaratione moritur » (2).

Revera non apparet in quo hæc sententia justitiæ repugnare possit : cum ipse pater, dum viveret, dominus esset fortunæ suæ : cumque insuper strictum jus naturæ in favorem filiorum legitimorum certe non plus exigat, neque tandem obstet lex positiva.

Itaque non liceret filiis vere legitimis occulta compensatione uti in casu, ut præ adulterinis sibi faveant. Nisi tamen pater aliter fieri voluerit, ut supra dictum est, et

---

(1) Lex enim positiva considerat hic filios adulterinos ut legitimos. Insuper advertendum est donationes etc. quæ portionem reservatam legitimorum lædunt, non esse per se injustas, nec imo e sententia probabili restituendas esse stricte nisi post sententiam judicis : quæ certe in casu contra hos adulterinos non obtineretur.

(2) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, I, n. 1395. Cf. eamdem sententiam propositam a Genicot-Salsmans, *Theol. Mor.*, II, n. 562 ; et probabilem habitam a Gennari, *Consultations de morale* etc., I, p. 164 ; II, p. 201.

quovis modo voluntatem suam certo manifestaverit favendi legitimis : ad quod faciendum utique ex pietate tunc et per se obligari videtur, prout statim subjungimus.

B/ Tandem, si casum minus practicum, possibilem tamen, consideremus nunc in quo *ex matrimonio pure religioso* filii nati essent, utique coram Deo legitimi : non tantum tenebitur hic pater ad eos debite alendos atque educandos, sed insuper censemus ipsum per se (1) obligari ex virtute *pietatis* ut his filiis favores legitimorum in successione vel per donationes inter vivos assecuret, modo nempe plus minusve analogo ac disponit lex civilis pro filiis legaliter legitimis. Quod utique præstare non poterit pater nisi voluntatem suam expresse manifestando : secus enim, cum lex hos filios ut naturales tantum habeat, sæpissime non acquirent isti post mortem auctoris partem legitimorum (2).

Si ergo ita pater egerit, etiam per testamentum legaliter irritum, res fit justitiæ : cum ipse, in defectu justæ legis in oppositum, jus naturæ debite determinaverit ; nec tunc absque injuria stricta valerent alii heredes ejus certam voluntatem aggredi.

Quodsi vero pater hoc omiserit faciendum, ita ut post mortem ejus filii isti parum aut nihil accipiant, num contra *justitiam strictam* ipse peccaverit ? Negative dicimus, nisi forte hi filii inde necessariis adhuc alimentis carerent juxta statum suum. Etenim ex sola lege naturæ filii legitimi, si forsitan jus strictum habeant in succes-

(1) Dicimus : per se ; nam per accidens potest dari nonnumquam ratio sufficiens minus favendi uni alterive filio, utut legitimo ; aut propriis parentibus favendi ratione necessitatis, etc. Addimusque : modo analogo ac disponit lex civilis pro filiis legaliter legitimis ; nam non censemus eamdem omnino mensuram ex pietate esse adhibendam, sed modum plus minusve similem: cum in nostra lege valde coarctetur libertas parentum disponendi de bonis suis.

(2) Vidimus enim præcedente responso majorem partem successionis ab intestato, in hoc casu, secundum legem ad alios heredes transire ; imo nec valet pater hujusmodi, si simul dentur filii ex matrimonio quodam civili, testamentum legaliter validum conficere in favorem priorum filiorum, nisi de parte secundum legem libera.

sione ad necessaria adhuc alimenta, certe nullo insuper jure stricto pollent ad aliquam determinatam partem hereditatis ; unde etiam a lege civili hæc pars determinanda ubique relinquitur. Jamvero lex civilis in casu dictis filiis non favet, utique illegitime ; sed interim nulla de facto existit in eorum favorem legalis dispositio qua legitimis assimilentur : nec legalis dici potest immutatio quæ contra voluntatem legis favores hereditarios transponit in filios ab ipsa lege exclusos. Unde deficiente lege non remanet nisi voluntas parentis ad jus naturæ determinandum : quodsi ipse parens non fecerit, jus strictum ad partem legitimorum in casu non acquiretur ; necdum injustitiæ inde arguendus erit defunctus, cum insuper nec injustus diceretur si, viventibus filiis coram lege simul et Deo legitimis, eorum partem legitimam læderet.

E. Hosten.

V.

De territorialitate et personalitate legum ecclesiasticarum.

Q. *Explica can. 8 § 2. « Lex non præsumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constat ».*

R. Hæc regula juris ecclesiastici, quamvis nova dici non possit, tamen ante promulgationem novi codicis apud plerosque AA. modernos non admittebatur vel saltem in tota sua amplitudine non exponebatur (1). Quum vero in determinanda extensione obligationis legis non parvum habeat influxum, omnino nunc est attendenda riteque intelligenda (2). Ideoque ut quæstioni fiat satis :

(1) Cfr E. Pacelli, *La Personalità e la territorialita delle leggi specialmente nel Diritto Canonico*. Roma, 1912; A. Van Hove, *La territorialité et la personnalité des lois en Droit canonique depuis Gratien (vers 1140) jusqu'à Jean Andreæ († 1348)* in *Revue d'histoire du Droit* t. III, 1922, p. 277-332; necnon etiam infra dicenda sub responso proxime futuro.

(2) Vide commentaria in novum Codicem, notatim: Ph. Maroto, *Institutiones Juris canonici*, 1919 et A. Toso, *Ad codicem Juris canonici commentaria minora*. Lib. I. Normæ generales, 1921.

1/ Imprimis determinandum quid hic nomine legis *personalis* et *territorialis* veniat.

Porro, si attendamus ad can. 14 § 1, 1° in quo de legibus personalibus fit mentio, *personales* in codice intelliguntur eæ leges quæ ligant subditos territorii pro quo latæ sunt, non solum dum morantur intra limites territorii, sed etiam dum extra illos versantur; *territoriales* e contra eæ sunt quæ subditos extra territorium non ligant.

Leges utique dantur semper personis et sub hac ratione omnes personales sunt: sed hic, ut patet, speciali sub respectu considerantur. Territoriales, quia dependenter a territorio vel loco explicant suam vim et efficaciam, censentur immediate afficere territorium eoque mediante personas (1): dum personales directe et immediate afficiunt personas ita ut, non secus ac mera præcepta, velut ossibus subditorum hæreant eosque comitentur quocumque abiverint. Tota igitur ratio distinctionis est in extensione obligationis: obligatio ex lege, quæ personam tenet per territorium, territorio coarctatur et extra territorium non existit; obligatio vero quæ oritur ex lege quæ personam tenet directe, personam sequitur et tenet ubique (2).

2/ Quod aliquæ leges inhœreant personis in seipsis, abstractione facta a territorio, minime repugnat. Territorialitas enim non est *qualitas essentialis* legis; nam leges natura sua aliud non exquirunt nisi ut ferantur communitati perfectæ; jamvero communitas perfecta non necessario terminis realibus seu localibus clauditur; minime repugnat ut sit mere personalis et careat territorio (3).

---

(1) Strictiori sensu territoriales dicendæ sunt leges quæ in determinato territorio non tantum subditos sed etiam peregrinos obligent, uti sunt leges « quæ ordini publico consulunt vel actuum solemnia determinant » Can. 14 § 1, 2°.

(2) Ita Toso, *o. c.*, p. 30.

(3) Sic potius ut communitates personales habendæ sunt populi et tribus nomades, necnon in Ecclesia ordines religiosi, imo, saltem, relativo modo, quædam diœceses rituum orientalium in Oriente et America septentrionali. Cfr Pacelli, *o. c.*, p. 13, qui ibidem animadvertit in classica definitione legis apud s. Thomam nullam mentionem fieri de territorio.

Addi potest quod leges sunt primario regulæ vel mensuræ actuum humanorum, qui sane exerceri possunt sine dependentia a territorio.

Ex alia parte, nulla qualitas essentialis legis deest in lege personali, uti supra eam definivimus, quum, non minus ac lex territorialis, in bonum commune a legitimo superiore ferri possit. Dico *legitimo superiore*, nam subditi extra territorium peregrinantes (quorum intuitu leges « personales » feruntur), manent tamen, quamvis absentes, subditi et sub cura superioris communitatis, ad quam natione domicilii pertinent.

Quod de facto in jure ecclesiastico nunc leges quædam vere personales sint, satis liquet ex canone de quo hic agitur, necnon ex can. 14, § 1, 1°.

3/ Verum tamen est: territorium vel locum multipliciter exercere suum influxum in actus humanos, ac proinde in leges, quæ illos moderantur. Pleræque enim communitates, lege capaces, concluduntur in aliquo determinato territorio, et gubernari petunt juxta exigentias rerum et circumstantiarum hujus loci, necnon juxta mores illorum qui ratione domicilii vel quasidomicilii territorio adhærent. Ideo sapienter statuit novum Jus legem ecclesiasticam *semper præsumi territorialem « nisi aliud constet »*. Cæteroquin, ut ex supradictis patet, favorabilior est lex territorialis, quæ vim explicat dumtaxat in aliquo territorio, quam personalis quæ obligaret ubique; jamvero, juxta adagium in Jure receptum, *favores convenit ampliari*.

4/ Legem autem personalem esse *constare* potest ex duobus, nempe ex rerum natura et ex tenore legis.

Porro ex utroque jam capite constat leges ecclesiasticas *universales* esse omnes personales: dicit enim canon 13 § 1. « Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latæ sunt »; dein, siquidem Ecclesia habeat ubique suum territorium, fideles nunquam extra territorium esse possunt, ideoque de obligatione extra territorium absurdum esset loqui.

Ideo canon 8, § 2 momentum tantum habet et plenam applicationem (1) in legibus *particularibus* latis per S. Sedem vel per prælatos qui habent jurisdictionem in territorio determinato, necnon etiam in derogationibus legi universali inductis in aliquo territorio vi indulti aut concordati, vel per consuetudinem, privilegium, præscriptionem aut quocumque alio modo, quæ omnes derogationes etiam veluti leges particulares a S. Sede latæ haberi possunt.

Hæ leges particulares, ut patet, magis quam universales influxum territorii subeunt, ideoque plerumque erunt territoriales et in dubio tales sunt præsumendæ, vi regulæ juris in canon 8 § 2 expressæ. Attamen vi ejusdem regulæ etiam leges particulares *personales* esse possunt et ideo obligare etiam extra territorium; quod patet insuper ex can. 14 § 1-1°. Exempla cœteroquin non desunt: sic, inspecta conditione religiosorum, generatim personales dicendæ sunt leges, quæ sive a S. Sede sive a propriis superioribus regularibus pro determinato ordine religioso feruntur (puta de jejuniis servandis); sic etiam personalis est lex quæ obligat episcopos, canonicos et alios choro adstrictos ad recitandum ubicumque horas canonicas juxta kalendarium suæ diœcesis, a S. Sede approbatum veluti *legem particularem* pro illa diœcesi.

Hæc indolis personalis quarundum legum particularium a S. Sede latarum jam olim fuit agnita; nihil enim obstare videbatur quominus hujusmodi leges adhærerent ossibus, quum fideles ubique terrarum non tantum subditi manent supremæ auctoritatis Ecclesiæ sed etiam in sphœra seu ambitu ipsius jurisdictionis.

---

(1) Dico « plenam applicationem » quia quidam character territorialis quibusdum legibus universalibus inest. Leges enim universales Ecclesiæ, utut personales, tamen quandoque ob circumstantias locales feruntur v. gr. quia resident fideles in tali determinato loco, ibi contrahunt vel delictum committunt, aut beneficium vel officium habent. Hæ leges etiam in determinato tantum loco adimpleri debent et valent, sed in hoc differunt a territorialibus stricte dictis quod obligationem pariunt quæ urget ubique.

Sed posito nunc in can. 8 § 2 novi codicis principio generali de possibili personalitate legis, nullum dubium quin etiam legibus inferioris legislatoris, puta statutis diœcesanis, privilegium personalitatis sit agnoscendum. Pro rei momento hanc ultimam conclusionem in responso sequenti exponemus.

R. Deschepper.

VI.

Obligatio celebrandi pro grege.

Q. *Quibusnam diebus tenentur parochi celebrare pro grege?*

R. Parochi (1) tenentur celebrare pro grege « *omnibus dominicis aliisque festis diebus de præcepto etiam suppressis* » *(can. 339, § 1), salvo tamen indulto Apostolico, vi cujus licet, Missam pro populo, certis diebus, determinatis sub conditionibus, ad aliam intentionem applicare* (2).

1. Proinde de jure communi hæc obligatio urget:

a) Omnibus diebus dominicis.

b) Diebus festis sub præcepto in universa Ecclesia celebrandis. Sunt autem: « festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis et Sanctissimi Corporis Christi; Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis Almæ Genetricis Dei Mariæ, sancti Joseph ejus sponsi (19 martii), Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum » (can. 1247, § 1).

c) Diebus festis olim de præcepto nunc autem suppressis.

Codice juris canonici nihil immutatum est a disciplina hucusque vigente de obligatione celebrandi pro grege in

---

(1) Quasi-parochi debent applicare Missam pro populo, diebus festis de præcepto sub *b)* recensitis, excepto festo Circumcisionis (can. 466, § 1; 306).

(2) Cf. *Conc. Mechlinien.* IV, can. 147.

festis suppressis (1), prout hæc statuitur in Encyclica Pii IX *Amantissimi*, 3 maii 1858 (2).

Ad omnem hac de re tollendam ambiguitatem, S. C. Concilii, decreto 28 dec. 1919 (3), indicem festorum suppressorum publici juris denuo fecit. Sunt autem hæ dies: Feriæ II et III post dominicam Resurrectionis D. N. J. C., et Feriæ II et III post Dominicam Pentecostes: Dies inventionis S. Crucis: Purificationis: Annunciationis et Nativitatis B. M. V.: Dedicationis S. Michaëlis Archangeli: Nativitatis S. Joannis Baptistæ: SS. Apostolorum: Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi et Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, Mathiæ: S. Stephani Protomartyris; SS. Innocentium; S. Laurentii Martyris; S. Silvestri Papæ; S. Annæ, matris B. M. V.; Dies S. Patroni regni (4); Dies S. Patroni loci (5).

Adverte tamen per hanc decisionem abrogata non esse festa *particularia* in aliqua diœcesi ac regione olim de præcepto, nunc suppressa; hinc parochi hujus diœcesis vel regionis teneri, in illis diebus sicut antea, Missam pro populo applicare (6).

Notandum 1° « Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et

---

(1) Cf. resp. Commissionis ad interpr. cod. can., 17 febr. 1918, ad II, ap. *Acta Ap. Sed.*, 1918, t. X, p. 170; *Collat. Brugen.*, t. XX, p. 133.

(2) Cf. *Rev. théologique*, III sér., 1858, p. 347 ss. Cf. etiam Leonis XIII C. *Suprema*, 10 jun. 1882, ap. *Nouv. rev. théol.*, 1882, t. XIV, p. 229 ss.

(3) *Act. Ap. Sed.*, 1920, t. XII, p. 42 s.

(4) In Belgio, S. Joseph; sed cum obligatio celebrandi pro grege hac die jam occurrat, una tantum missa pro populo est applicanda.

(5) Non autem in festo Titularis ecclesiæ. — Cf. de obligatione celebrandi pro grege in festo unius principalioris Patroni *regni*, et in festo patroni cujusque *civitatis, oppidi* vel *pagi*, *Collat. Brugen.*, t. I, p. 151; *Collat. Namurcen.*, 1921-1922, t. XVI, p. 69; *Collat. Tornacen.*, 1920, t. XVII, p. 13 ss. Si constaret parœciam aliquam peculiari Patrono carere, ibidem de jure communi festivandus esset Patronus diœcesis et ideo in hujusce festo pro grege celebrandum, *Collat. Brugen.*, *l. c.*, p. 154; S. C. R., 2 dec. 1891 (nr 3784).

(6) Cf. S. C. C., 16 mart. 1920, ap. *Il monitore ecclesiastico*, 1920, t. XXXII, p. 205.

abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo* » (can. 339, § 3) (1).

2° In festo Nativitatis Domini, et si quod festum, quo missa pro grege celebranda est, *incidat* in *dominicam*, obligationi suæ satisfaciunt parochi *semel* applicando pro populo (can. 339, § 2) (2). Idem valet si duo festa in eumdem diem incidunt. Si festum Annunciationis B. M. V. vel festum patroni incidat in feriam VI majoris hebdomadæ, cessat probabilius obligatio celebrandi pro grege, quia hoc die prohibetur cujuslibet Missæ celebratio, præter Missam *Præsanctificatorum*, quæ vera missa non est (3).

II. Diximus supra attendendas esse dispensationes ab hac lege indultis Apostolicis concessas. Ita vi facultatis apostolicæ Episcopo Brugensi concessæ et nuper usque ad diem 20 julii 1925 prorogatæ, licet parochis hujusce diœcesis, *in festis abrogatis*, accipere stipendium ad intentionem dantis; ea tamen lege ut præfatum stipendium, aut pars stipendii celebranti obveniens, impendatur operi scholarum catholicarum aliisque operibus piis, tempore belli destructis aut spoliatis, restaurandis aut sustentandis. Apud nos, *ex ipso tenore indulti*, stipendium *integrum* sive missæ lectæ sive missæ cantatæ præfatis operibus a parocho solvendum est, sibi retentis tamen juribus casualibus aut parœcialibus, si quæ sint, retentis etiam retributionibus forsan ipsi obvenientibus ex labore extrinseco et iis quibus augeatur eleemosyna intuitu personæ (4).

A. De Meester.

---

(1) Cf. Constit. cit. *Amantissimi*; S. C. R. decret. gener., 12 febr. 1690; decret., 6 mart. 1896, ad I, 2°, ap. *Collat. Brugen.*, t. II, p. 234; resp. S. C. Conc., 16 dec. 1914, ad 2, ap. *Act. Apost. Sed.*, t. VII, p. 27 s. Cf. etiam Cappello, *De Sacramentis*, t. I, n. 647, Taurini, 1921.

(2) Cf. Decret. S. C. C., 24 apr. 1875, 28 apr. 1888, ap. *Acta S. Sedis*, t. VII, p. 605; t. XXI, p. 152.

(3) Cf. Cappello, *o. c.*, n. 647; *Rev. ecclésiastique de Liége*, 1922-1923, t. XIV, p. 151.

(4) Cf. *Collat. Brugen.*, 1912, t. XVII, p. 208 ss.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis martii propositas.

—

I.

In Matthæum, VI, 19-24.

Q. *Paucis contrahe doctrinam Christi de* divitiis non quærendis, *quæ refertur apud* Mt., *VI, 19-24; et in hoc contextu specialim explica vv. 21-23.*

R. *A.* — In præclara hac sermonis montani pericopa, monet Christus suos sequaces ad duo:

1. Ne abundantes quærant divitias. — Hujus autem moniti duas affert rationes:

a/ caducitatem bonorum temporalium, in oppositione ad incorruptibilitatem bonorum cælestium (vv. 19-20);

b/ damnum quod bonorum temporalium prosecutio affert animæ (vv. 21-23); de quibus vv. infra speciatim dicetur).

Et prævenit objectionem quam aliquis facile movere posset: Nonne enim potest quis *simul* bona temporalia et bona æterna prosequi (v. 24)?

2. Ne de rebus temporalibus necessariis sibi comparandis nimis sint solliciti. — Quod monitum variis fulcitur motivis:

a/ Deus qui dedit vobis vitam et corpus, a fortiori dabit vobis res minores ad ista necessarias (v. 25);

b/ Deus qui providet nutrimento viliorum suarum creaturarum, a fortiori curam habebit eorum qui nobiliores et sibi cariores sunt; dabit ergo vobis cibum (v. 26);

c/ Illa sollicitudo est inefficax: quis poterit cursui vitæ suæ vel cubitum unum addere (v. 27)?

d Iterum, Deus qui tam mirabili modo providet vestitui minorum suarum creaturarum, a fortiori curam habebit hominum (v. 28-30);

e/ Ne christiani agant sicut ethnici qui nihil noverunt de paterna Dei Providentia (v. 31-32).

Utinam possimus, doctrina Jesu illuminati et edocti, theoretice intelligere et practice exsequi *conclusionem* quam Jesus ex omnibus præcedentibus eruit: a/ *positive:* Quærite ante omnia alia regnum Dei et justitiam quam Deus a nobis requirit; quæcumque reliqua, tamquam viliora, Deus adjiciet nobis; — b/ *negative:* ne sollicitudinem diei futuræ adjiciamus sollicitudini et malitiæ diei præsentis.

B. — Cum integro hoc contextu arcte cohærent *vv.21-23* speciali modo jam attendendi.

In præcedentibus monuit nos Jesus ne bona temporalia nobis accumulemus, monitumque jam quasi per transennam fulcivit describendo caducitatem illorum (vv. 19-20). Idem monitum jam demonstrat (*enim*, v. 21) ex damno quod illa cupido temporalium in via ad cælum animæ affert. Hoc autem comparatione quadam evolvitur:

a/ in ordine materiali oculi nostri sunt quasi lucerna, quasi lampas pro integro corpore : sicut in tenebris indigemus lucerna ut videamus quid agendum sit, ita homo indiget oculis; oculi faciunt ut omnia membra nostra quodammodo videant quid ipsis sit faciendum. Equidem si oculi nostri sunt simplices, i. e. sani et puri, non impediti morbosis humoribus, totum corpus lucidum erit, i. e. non: sparget lumen, sed: erit illuminatum, oculos habebit, videbit; — contra si oculi sunt nequam, i. e. insani, vitiati, malis humoribus impediti, totum corpus erit tenebrosum, tenebris circumfusum: membra nostra non videbunt quid agant, viam qua progrediantur non invenient, eruntque in agendo impediti.

b idem est dicendum in ordine morali: etiam in anima nostra gerimus lumen, nimirum cor nostrum (v. 23: lumen quod *in te* est, in oppositione ad oculos qui, scopo

et opere suo quasi extra nos sunt); *cor* illud — i. e. animus noster, quod nos diceremus: *mens* qua res apprehendimus et *voluntas* qua res appetimus — tum viribus suis naturalibus tum adjutorio gratiæ divinæ, ostendere debet nobis quamnam viam teneamus quidque agere oporteat, si volumus ad Deum salutemque nostram pervenire. Væ nobis si lumen illud, si oculus iste obscuratum et obtenebratum in nobis existit! Porro hæc obnubilatio præcise procuratur per cupiditatem rerum temporalium: qui mente cogitat et corde concupiscit temporalia, jam non cogitabit nec concupiscet cœlestia: « *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* » (v. 21). Miseros nos si tales sumus: « *quantæ erunt tenebræ* » (v. 23) in quibus versabimur: viam ad cælum et quid cælestium gratia agamus jam non inveniemus.

A. Vander Heeren.

II.

De notione traditionis.

Q. *Quid intelligitur per sacram traditionem, quam secundum fidem catholicam ut alterum fontem revelationis agnoscere debemus? Indica præcipuas ejus divisiones.*

R. Per sacram traditionem, quæ fontem alterum revelationis constituit, intelligimus veritates, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, quæ ex ipsius Christi ore ab apostolis acceptæ, aut ab ipsis apostolis Spiritu sancto dictante derivatæ, quasi per manus traditæ et continua successione in Ecclesia catholica conservatæ, ad nos usque pervenerunt (1).

Traditio, *latissima acceptatione* sumpta, dicit quamlibet doctrinam, quodvis institutum, a majoribus acceptum

(1) Ita ad litteram, mutato tantum ordine propositionum, *Conc. trid.*, sess. IV, *Decretum de canonicis Scripturis*, (*Enchir.*, n. 783) et *Conc. vatic.*, sess. III, *Constit. dogm. de fide cath.*, cap. 2, ubi referuntur eadem verba (*Enchir.*, n. 1787).

et ad posteros, sive scripto, sive viva voce, sive praxi transmissum (1).

In quæstione porro quam tractamus, hanc acceptationem restringimus :

a/ Ad doctrinam *sacram*, quæ fidem vel mores christianos spectat, per oppositionem ad omnes alias traditiones profanas.

b/ Ad doctrinam *revelatam* seu dictam a Deo, per oppositionem ad doctrinas sacras, quæ sunt α/ vel ab ipsis apostolis, ut erant primi pastores Ecclesiæ, non autem organa revelationis (traditiones humano-apostolicæ aut apostolico-ecclesiasticæ); β/ vel a successoribus apostolorum in pastoratu (2), quæ traditiones mere ecclesiasticæ vocantur.

c/ Ad doctrinam *non scriptam*, scil. *authentice* seu sub inspiratione divina, per oppositionem ad doctrinam scriptam et divinitus inspiratam, seu ad Scripturam sacram inspiratam (3).

Traditio *strictissima acceptatione* sumpta, quæ *oralis* nominatur, dicit igitur doctrinam sacram, revelatam, viva voce transmissam ; et hæc est traditio *objective* considerata. Potest autem spectari *active* et tunc est ipsa actio aut complexus actionum et mediorum, quibus hæc doctrina cum posteris communicatur (4).

---

(1) Cfr H. Kilber, *Principia theologica*, in *Theol. Wirceburgen.*, I, p. 62 s., Lutetiæ Parisiorum, 1852². Ab hoc opere auctores plerique dependent; vide Mazella, *De religione et Ecclesia*, p. 250 s., Romæ, 1885³; Bainvel, *De magisterio vivo et traditione*, p. 11 s., Parisiis, 1905; Schiffini, *De vera religione*, p. 539 s., Senis, 1908; Van Noort, *De fontibus revelationis*, p. 2 s. et p. 106, Amstelodami, 1911².

(2) In tractatu de Ecclesia probatur apostolos duplici quasi munere functos esse, scil. *apostolatu* et *pastoratu* seu episcopatu. Erant primo et principaliter apostoli stricto sensu, id est, legati ad promulgandam universam revelationem ac simul ad initiandam Ecclesiam a Christo fundatam. Erant deinde primi pastores Ecclesiæ quam plantaverant.

(3) Notetur sedulo traditionem dici oralem, quia *non* scripta fuit *authentice*, quamquam multa quæ ad ipsam pertinent a Patribus scripto consignata fuerunt.

(4) Quidam auctores distinguunt traditionem *activam constitutivam* et *activam conservativam*, distinguendo inter actus quibus depositum

In definitione supra posita tum *objectum*, quum *medium princeps* hujus traditionis enuntiantur.

Objectum constituunt omnes veritates ad fidem vel mores spectantes, quas apostoli ex ipsius Christi ore acceperunt aut dictante Spiritu sancto, uti loquitur concilium tridentinum, id est, per revelationem divinam didicerunt, quæque de aure ad aurem, aut de manu ad manum transmissæ, ad nos usque pervenerunt (1).

Media quibus istæ veritates conservantur et perpetuo transmittuntur, sunt ipsa fides fidelium seu Ecclesiæ discentis et præsertim prædicatio magisterii ecclesiastici perennis et vivi seu Ecclesiæ docentis, qua prædicatione cuncti Christi fideles ab errore in credendo præservantur immunes (2).

Divisio. — 1/ Traditio, ratione *objecti*, quandoque dicitur *dogmatica* aut *moralis*, prout veritates ad fidem aut ad mores spectantes complectitur. Attamen notandum venit totam traditionem merito vocari dogmaticam, quatenus veritates in eadem contentæ, sive ad fidem, sive ad mores pertineant, sunt objectum fidei divinæ.

2/ Ratione *originis*, traditio quæ tota *divina* nominatur quatenus Deum habet auctorem revelationis, sæpe dispescitur in *dominicam* et *apostolicam*, prout immediate a Christo Domino aut immediate ab apostolis, per Spiritum sanctum instructis, ortum habet.

Quidam auctores traditionem dominicam vocant divinam, et tunc apostolicam nuncupant divino-apostolicam,

---

doctrinæ per organa revelationis definitive constituitur, et actus quibus depositum jam definitive constitutum a prioribus acceptoribus ad subsequentes et posteros transmittitur; sed hæc distinctio melius omittitur quoniam in divisione statim indicanda traditio *objective* spectata rursus dicitur *constitutiva*, in oppositione nunc ad traditionem inhæsivam et declarativam.

(1) Cum tempore apostolorum clausa fuit revelatio, quæ *objective* itaque crescere nequit, uti plerumque in tract. de fide adstruitur; cfr decretum *Lamentabili*, prop. 21 (*Enchir.*, n. 2021).

(2) Cfr *Conc. vatic.*, sess. IV, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 4 (*Enchir.*, n. 1836) et tract. de Ecclesia.

atque hanc opponunt traditionibus humano-apostolicis seu apostolico-ecclesiasticis simul ac traditionibus mere ecclesiasticis, juxta terminologiam supra jam indicatam. In catechismo nostro traditio divina dicitur simpliciter apostolica, et ita opponitur rursus, non traditioni dominicæ quam simul complectitur, sed aliis omnibus traditionibus apostolico-ecclesiasticis et mere ecclesiasticis (1).

Advertatur tandem quosdam alios auctores traditionem divinam quandoque appellare ecclesiasticam, ut eamdem a traditionibus profanis secernant; dum apud Patres ipsæ traditiones mere ecclesiasticæ, de quibus supra, hinc inde dicuntur divinæ, quoniam Spiritu sancto ducente Ecclesiam, fuerunt inductæ; quamobrem deinceps traditionem strictissimo sensu sumptam vocabimus *oralem*, ut Scripturæ sacræ presse opponatur.

3/ Hæc autem traditio oralis, ratione *connexionis*, quam habet cum traditione scripta dicitur: α/ *inhæsiva*, quæ voce idipsum tradit quod in Scriptura sacra *clare* enuntiatur; β/ *declarativa*, quæ claro modo exponit quod in Scriptura sacra tantummodo *obscure* continetur; γ/ *constitutiva*, quæ punctum aliquod doctrinæ proponit, quod in verbo Dei scripto *non* consignatur; hæc inde sæpius *mere oralis* pronuntiatur.

H. Lamiroy.

III-IV.

De Successione III.

Q. *Quid tandem in conscientia tenendum est de jure ad successionem: 1/ prolis quam nupturientes coram ministro civili suam declarant, quamvis sponsus non sit pater ejus; 2/ prolis adulterinæ quam uxor durante legitimo matrimonio procreavit, quamque erronee maritus suam putat.*

R. Hæc duplex quæstio quæ adhuc superest de jure filiorum illegitimorum ad successionem, respicit casus in

(1) Hæ traditiones non omnes sunt *universales* et *perpetuæ* sicut traditio divina, quæ *omnes* fideles respicit et *semper* durabit.

quibus sive conjuges communi consilio, sive saltem uxor speciali quodam modo legem eludunt, agendo contra ejus intentionem.

Nam in primo casu certe defraudatur lex civilis, quæ in art. 331 aperte monet agnitionem filiorum naturalium ab eorum *parentibus* fiere posse, dum hic sponsus parens non est: quo fit ut contra voluntatem legislatoris ista proles coram lege civili jam legitimetur, et ita quidem ut legalis demonstratio fraudis reddatur impossibilis, utque iste puer quoad omnia jura proli legitimæ jam practice æquiparetur. Et hic casus utique practicus esse potest, eo magis quod ipsi viri officiales non raro ad talem declarationem inducunt nupturientes hujusmodi.

In altero autem casu proposito, eluditur art. 335 prohibens agnitionem prolis adulterinæ et incestuosæ: nam per matrem non tantum agnoscitur proles hujusmodi, sed ipso jure per fraudem attribuitur marito, et ita ut sæpissime indemonstrabilis sit dolus coram lege civili.

Quæ cum ita sint, absque re non erit hanc ultimam proponere applicationem principiorum supra expositorum; discrimen simul notando, prout oportet, cum prioribus resolutionibus.

A) *Quoad nupturientes.*

Relicta quæstione mendacii quod hic committi natum est, statim apparet hanc agendi rationem sponsi involvere per se peccatum inobedientiæ contra legem, utpote quæ hujusmodi declarationem falsam juste prohibet. Per accidens tamen, et haud raro sane, ratio consulendi honori matris et prolis excusabit ab hoc peccato: sæpe enim hæc causa ad agendum contra litteram legis sufficiens videbitur.

Verum, coram Deo, hæc proles reapse legitimata non est, cum sponsus non sit ejus pater. Et ulterius: quamvis lex civilis practice jam hujusmodi prolem ut legitimam consideret, non hæc tamen dicenda videtur intentio legislatoris ut huic puero fraus patrocinari debeat contra legitimos: sed potius ut iste filius tanquam extraneus

habeatur, sicuti vere est, relate ad maritum, agnitus vero relate ad matrem.

Unde pro conscientia (1) sequentia fluunt :

1/ *Si dentur alii filii vere legitimi :* non potest iste plus accipere quam portionem liberam in hereditatem Commoda quidem erit hæc solutio communiter, facilisque applicationis: nam ubi unicus tantum datur filius hujusmodi, potest ipsi relinqui sicut aliis, sive per testamentum aut donationem inter vivos, sive ab intestato, quin reliquorum lædatur portio reservata: quæ praxis ab omni peccato per se immunis apparet.

Quid vero si legitimis filiis pars reservata reapse minuatur: quia v. g. proli naturali præ alia peculiariter fautum est, vel quia numerosiores sunt filii naturales quam ut per æqualem inter omnes pueros partitionem filii legitimi suum habeant? (2). An hoc casu usuveniet sententia benignior cujus probabilitatem supra agnovimus, secundum quam nec injusti fuerint tunc auctores, nec ipsi filii naturales teneantur ex justitia ad integrandam aliorum portionem legitimam ante sententiam judicis? (3)

---

(1) « Chaque fois que par fraude, on tenterait de légitimer des enfants adultérins, ou incestueux, qui ne peuvent se légitimer devant l'Eglise, l'acte serait illicite en conscience et sans effet. De même, si on légitime par le mariage des enfants naturels qui n'ont pas les conjoints pour parents ». Mgr WAFFELAERT, *De l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 123.

(2) Omittimus hic casum in quo, propter peculiarem prolis illegitimæ necessitatem vel propter aliud quoddam præceptum legis naturæ, portio reservata proli legitimæ jam non sit (a matre saltem) attendenda.

(3) MARRES quidem, hoc loco disputans de peccato quod committunt nupturientes hujusmodi, sic loquitur ut censere videatur parum referre si filiis legitimis non tantum hereditas, sed ipsa portio reservata minuatur. Tales enim nupturientes, ait: « quamvis contra veritatem peccent, neque strictam justitiam lædunt, quia liberi non habent jus strictum in hereditatem ante parentum mortem; neque etiam justitiam legalem, quia privilegium portionis legitimæ, cum heredibus necessariis et jure positivo tantum competat, etiam extra ipsos juris civilis limites extendi nequit; sed art. 960 legitimam portionem solummodo lædi exponit donatione inter vivos aut testamento, a quibus, uti patet, nupturientes abstinent » *De Justitia*, I, n. 342. — Verum, quid si *post* matrimonium

Negandum putamus: propter dolum nempe a nupturientibus olim commissum, qui nunc pro filiis legitimis impossibilitatem causat appellandi judicem habendique sua jura (1) Profecto principium est heredes necessarios jam ante mortem parentum jus strictum habere ne postea ipsi aut judex cum eorum damno invincibiliter decipiantur; ideoque injustos esse parentes qui veras fraudes adhibent; et cooperatores injustitiæ, scilicet accipientes, statim ad restitutionem ex justitia stricta teneri, juxta mensuram læsæ partis reservatæ (2). Jamvero tunc nobis videtur falsa declaratio nupturientium fraudem injustam redolere, si vel ab initio intentionem habuerint frustrandi postea legitimos, vel postea frustrationem eorum non caverint (3); unde etiam autumamus prolem legitimam hoc casu occulta compensatione uti posse contra aliam, si opus fuerit: modo utique illegitimitatem ejus cognoscat.

2/ *Si vero non dentur filii legitimi*, nulla passim occurret difficultas; nam libere tunc de tota sua fortuna disponere possunt conjuges. Nisi tamen adhuc viverent ascendentes eorum, quibus nimirum a lege in defectu legitimæ prolis reservatur in quavis linea quarta pars fortunæ defuncti: hoc enim casu rursus censemus ex justitia hanc partem esse ipsis assecurandam. Ad quod tunc semper specialis dispositio testamentaria vel donatio inter vivos requiretur: secus enim ab intestato cuncta fortuna proli illegitimæ attribuetur.

---

faveant proli illegitimæ præ legitima? Et quid si non caveant a sequelis fraudis suæ, tunc saltem cum ob numerum prolis illegitimæ violabitur pars reservata legitimis?

(1) Cum enim lex prolem naturalem tunc practice, vi fraudis, ut legitimam habeat, ipsi jus æquale in hereditatem concedit, etsi minuatur inde portio legitima aliorum; imo totam partem liberam ipsi insuper dari permittit; nec in casu legitimam prolem reclamantem audit. Et ideo injustum dicimus quidquid hoc modo, præter partem liberam, per legem recuperibile non est.

(2) Quamquam de facto sæpe subjective excusabitur hæc proles, quia se legitimam aut vere legitimatam putat.

(3) Nisi tamen graviora vere obstiterint quin caverent: ut si impossibile fuerit portionem reservatam etiam occulte legitimis assecurare quin magnæ suspiciones aut pessima odia oriunda appareant.

B/ *Quoad prolem ex occulto adulterio natam.*

Quamvis ob commune bonum lex civilis utatur hic axiomate: « pater est quem nuptiæ demonstrant », et inde difficilem se præbeat in permittendo ut maritus prolem adulterinam juridice recuset (1), non est tamen dubium quin modus agendi matris adulteræ quæ sic prolem spuriam non tantum agnoscit sed et familiæ legitimæ injuste obtrudit, fraudationem legis constituat, etsi de adulterio juridice non constet.

Ex alia parte, uxor hæc strictam profecto injuriam erga compartem committit: cum lædatur maritus tum in jure suo matrimoniali, tum in bonis fortunæ dum proles spuria ipsi alenda imponitur, tum nonnunquam in bonis famæ.

Insuper, relate ad filios legitimos, fraus matris causare nata est tum quandoque violationem eorum partis reservatæ (in quo ratione doli injustitia stricta committi videtur), tum omni casu minutionem hereditatis quæ secus ipsis obveniret, quidquid sit de portione legitima. Jamvero, hoc etiam per se injustum est in casu, saltem relate ad fortunam patris: cum enim maritus erronee prolem spuriam reputet suam, invalide per se, propter hunc errorem substantialem, partem bonorum suorum ipsi concedit. Et idem dic in genere de aliis legatis aut testamentis quæ filio adulterino simul cum legitimis contingunt ex parte consanguineorum.

Puer vero hujusmodi, cum sit coram Deo vere spurius, et insuper per defraudationem legis civilis inter legitimos pueros introductus, non est in conscientia, relate ad jura successionis, nisi extraneus relate ad putativum patrem, adulterinus vero relate ad matrem. Inde, et supponendo prolem *certo* adulterinam (2):

1°/ *Si dentur filii legitimi*, nullum jus habet *per se* proles ista in partem hereditatis a patrefamilias provenientem.

---

(1) Cf. Cod. Civ., art. 312-318.

(2) In dubio enim utrum legitima sit aut adulterina, legitima præsumitur ob matrimonium.

Mater vero ipsi favere potest, salva saltem justitia, ad mensuram portionis liberæ; non autem amplius: nam ob fraudem olim commissam injustum videtur quidquid insuper ipsi daret (1), pro quanto saltem lex in casu reductionem non permitteret.

Verum, ut statim dicemus, cum hereditas non intelligatur nisi detractis debitis, cumque mater illa ad restitutionem prius per se teneatur, in tantum adhuc objective minuitur jus prolis spuriæ quoad partem ipsi a matre concessam.

Porro, *per accidens* quandoque fieri potest ut putativus pater talis sit indolis, vel tam bene erga hunc adulterinum dispositus, ut si sciret veritatem, ipsum revera non aliter tractaret ac nunc erronee fecit. Quod si reapse prudenter conjici possit, aut a fortiori si explicite a marito fuerit concessum, inde jus acquirit putativus, salva certe justitia, sicut legitimi.

Nunc autem restitutio per se a matre et viro extraneo, quocum peccavit, in solidum præstanda (2), complectitur primum expensas a patrefamilias pro educatione spurii factas: nisi forte ipse spurius illas labore suo totaliter vel partialiter compensaverit, vel rursus nisi maritus prudenter præsumi possit eas condonare. Insuper, damna famæ a legitimo viro passa, si quæ sint (3). Tandem, erga filios legitimos, partem hereditatis patris quæ erronee spurio contigit (4), nisi denuo in casu condonationis explicitæ vel prudenter præsumptæ.

---

(1) Salvo semper præcepto legis naturalis, quo per accidens teneri posset mater ad hanc prolem v. g. necessitantem specialiter curandam.

(2) Supponitur utique mater in adulterium consensisse; secus enim adulter solus de damnis tenetur.

(3) Hæc non pecunia, sed famæ reparatione, quantum possibile est, compensanda sunt.

(4) « Cum restitui non debeat nisi damnum reipsa illatum, debent quidem adulteri animum habere ab initio restituendi, sed nonnisi post damnum ortum de facto restituere tenentur. Quodsi expediat antea restituere, v. g. propter imminentem adultero mortem, tum pro rata probabilitate damni reipsa orituri restituatur ». Ill^mus Waffelaert, *De Justitia*, II, n. 378.

Profecto quoad hoc ultimum tenetur prior ipse spurius, ratione rei detentæ; sed cum in casu secreti adulterii ipse passim statum suum non cognoscat (1), ideo tenentur, illo deficiente, adulteri ambo: nisi forte et ipsi filii legitimi, ob amorem v. g. quo de facto spurium prosequuntur, prudenter æstimari possint hæc damna condonare.

Restituant ergo rei, pro posse, omnia damna a se causata nec condonata; in specie pro uxore: « si bona propria habeat, ex iis restituere debet. Si vero non habeat, potest damnum reparare diligentius laborando, parcius vivendo. Addunt aliqui accipiendo ex bonis spurii, si sint, quantum tuto potest, ad ea divertenda ad alios » (2).

Tandem possent filii legitimi, objective loquendo, cum lex in hoc casu ipsis non succurrat, occulta compensatione uti ad comparanda sua jura, tum contra reos tum contra spurium; sed iterum ob ignorantiam veritatis passim jure isto practice privabuntur.

2°/ *Casu quo desunt filii legitimi*, invalidum pariter erit quidquid putativus pater spuriæ proli concesserit, nisi rursus in casu condonationis. Proinde restituendum erit illis consanguineis quibus tunc hereditas obtingere debebat; et quidem 1° loco ab ipso spurio, secus vero ab adulteris.

Illud autem quod mater hoc casu filio dederit, potest

---

(1) « Licet a DD. quidam casus recenseantur in quibus adultera teneatur crimen suum manifestare ut efficax fieri possit restitutio, tamen practice vix unquam exstabit hujusmodi obligatio. Ratio est, quod ista manifestatio plerumque afferret tanta incommoda ut a bonis fortunæ saltem statim restituendis excusarent, nempe odium mariti, discordias domesticas, gravem infamiam ». — Ceteroquin: « ut habet Lugo cum communi sententia, filius non tenetur credere matri asserenti ipsum esse illegitimum, nisi cum adsunt talia motiva ut in foro externo a judice admitterentur, quod certe non accidit quando opus est ut ipsa adultera rem occultam manifestet ». Genicot-Salsmans, *Théol. mor.*, I, p. 498.

(2) Illmus Waffelaert, *ib.*, n. 380. — Caveat tamen mater ne sic agendo suspiciones aut pessima excitet odia.

ipse tenere, salva justitia; nisi tamen inde violaretur pars reservata ascendentibus matris, si adhuc vivant.

3°/ *Tandem relate ad alias successiones:* per se denuo, ob errorem, invalida sunt et legitimis heredibus restituenda illa quæ ab intestato a putativis consanguineis spurio obtingunt. « Sed quid dicendum de iis quæ recipiat non ab intestato adulterina proles a consanguineis, vel extraneis, a quibus ut legitima habetur: ad quid nempe ipsa illa proles obligatur, ad quid adulteri, puta mater, quatenus causam erroris dederint? Respondetur, ipse spurius, conditionis suæ omnino conscius, debet respuere vel restituere iis, ad quos dona perventura fuissent, si ipsi non darentur; a quo tamen de facto ob ignorantiam aut bonam fidem sæpius excusabitur; item si de rebus minoris momenti agitur. Quod vero matrem adulteram attinet, ipsa quidem compensare debet damna per se connexa cum causa ab ipsa posita nempe suppositione prolis: et ita quæ ab ascendentibus darentur, aut ab alio consanguineo qui jam erat determinatus dare primogenito v. g., vel aliis filiis legitimis sui consanguinei, deberet ipsa mater, si dona ad spurium divertantur, compensare legitimis, qui jam determinate jus habebant ne hoc dono frustrarentur; damna vero per accidens tantum connexa cum illa causa, et sequentia præter matris intentionem, non deberet compensare, v. g. si quidam ex affectu erga spurium, quem legitimum putat, aliquid ei donat, vel ex amicitia erga parentes, licet forte non dedisset si scivisset illum spurium esse, in casu potest mater se permissive habere ad illam deceptionem » (1).

E. Hosten.

(1) Illmus Waffelaert, *ib.*, n. 376.

V.

De indole personali legum episcopalium.

Q. *An Ordinarii locorum possunt veras leges particulares condere, quæ personales sint et extra territorium proinde obligent?*

R. In jure quod publicationi novi Codicis antecessit, hanc facultatem Ordinariis locorum non agnoscebat communis sententia doctorum (1) Sicuti sphæra activitatis legislatoris particularis, aiebant, ita et ipsa vis legis particularis limitatur ad territorium, et proinde subditus extra territorium consistens lege particulari non attingitur. Arguebant (2) ex cap. 2 *De Const.* in VI, ubi principium positum applicationem habere dicebant: statuit enim ibi Bonifacius VIII: « Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius diœcesim commitentes, minime ligari noscuntur: *cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune* ».

Non omnes tamen strictam illam territorialitatem legis particularis, forsan perpere ex citato capite erutam, plene admittebant (3): non pauci illam temperabant exceptionibus pluribus, quas sic dictis fictionibus juris explicare conabantur (4). Imo apud recentiores jam possibilitas

---

(1) Cfr Pacelli et Van Hove, supra p. 199 cit.

(2) Ita Suarezius, *De Legibus*, Lib. III, c. XXXII, n. 4, quem moderni quasi omnes sunt secuti.

(3) « Il semble donc bien, ita Van Hove, *o. c.*, p. 331, que Boniface VIII a entendu décider que le législateur particulier n'a pas le pouvoir d'exercer son droit hors du territoire qui lui a été assigné. A-t-il voulu décider que la loi est territoriale, comme on l'a prétendu plus tard? Nous ne le croyons pas. » Hoc saltem certum videtur principium invocatum (extra territorium etc...) in Jure Romano, unde assumptum est, non potestati legislativæ applicatum fuisse sed tantum potestati administrativæ magistratuum.

(4) Notatim pluribus in casibus « moraliter præsentes » dicebant, qui physice tamen absentes erant. Cfr Van den Berghe, *De Legibus*, n. 113.

Suarezius et alii plures post eum territorialitatem legum particularium notabiliter temperant ex hoc quod ordinariis agnoscunt jus

legis particularis personalis innuebatur (1) vel spes enuntiabatur opportunæ reformationis juxta principia genuina juridica et in bonum disciplinæ ecclesiasticæ (2).

Promulgato novo Codice, jam nullum dubium quin Ordinarii valeant condere veras leges personales, quæ subditos tenent etiam extra territorium.

1/ Hoc jam imprimis apparet ex canone 8 § 2 supra explicato, quem vidimus (3) plenam applicationem habere in legibus particularibus: sed præsertim ex can. 14 § 1, 1° ubi quæstio est de solis legibus particularibus: clare ibi innuitur illas leges quandoque esse personales. Et, quod sedulo notandum, nulla fit ibi distinctio inter leges particulares, quæ a S. Sede pro peculiari territorio feruntur, et illas, quæ a legislatore inferiori, qualis est Ordinarius loci, constituuntur. Quæ distinctio sane fieri deberet, si hæ ultimæ a privilegio personalitatis excluderentur.

2/ Confirmatur nostra thesis et aliis novi Juris dispositionibus demonstratur consona ex canone 201 § 1, qui hæc habet: « Nisi aliud ex rerum natura aut ex jure constet, potestatem jurisdictionis voluntariam seu non judicialem quis exercere potest etiam in proprium commodum, aut extra territorium existens, aut *in subditum e territorio absentem* ». Nonne his verbis Ordinariis locorum potestas agnoscitur ferendi leges personales? Enim vero:

a Illorum potestas legislativa est certe *voluntaria* seu *extrajudicialis* (4), ideoque gaudet, in quantum valet, privilegiis hujusmodi potestati, juxta can. 201, propriis

---

imponendi *præcepta* non tantum in casu speciali vel personæ determinatæ, sed *generalia* seu universæ communitati. « Sed hoc admisso, ait Maroto *o. c.*, p. 201, nulla pretiosa ratio reddi valet cur, si necessitas id ferat, Ordinarius hujusmodi commune præceptum nequeat perpetuum declarare et ipsum in legem convertere ».

(1) Ita Wernz, *Jus Decretalium* (1898), t. I, n. 95; Bouquillon, *Mor. Fund.*, ed. 3ª, nº 160.

(2) Pacelli in *o. c.*, p. 32.

(3) p. 202. Cfr etiam Maroto, *o. c.*, n. 200, et Toso, *o. c.* ad can. 8.

(4) Jurisdictio voluntaria nihil aliud est quam potestas extrajudicialis i. e. quæ sine forma stricte judiciali exercetur, ut patet ex c. 201 § 3. Cfr Maroto, *o. c.*, n. 724, ubi notat « veram non esse definitionem

b/ Notatim igitur exerceri valet in subditum e territorio absentem, ideoque per præceptum et *legem personalem*, quæ ambæ ordinationes superioris communitatis attingunt subditum extra territorium, quod est sedes communitatis.

c/ Hæc tamen conclusio tantum admittenda est in quantum nihil obstat « ex rerum natura vel ex jure ». Jamvero, (ut sileamus de præceptis, quæ, etiam juxta sententiam olim communiter admissam (1), a legislatore particulari certe ferri possunt) facultati legem personalem ferendi nihil omnino obstare videtur. Nullibi enim in Codice invenitur potestas legislativa ad limites territorii circumscripta, imo contrarium ex citatis sub 1° canonibus satis clare apparet. Et si quid ex rerum natura constat, profecto est opportunitas plures juris fictiones eliminandi, ad quas ante Codicem confugere debebant, ut illa omnia, quæ jus certum vel practicæ necessitates exigebant, in tuto collocarent, quotquot erant qui Episcopis et aliis Ordinariis locorum potestatem negabant leges personales ferendi.

Præterea non desunt argumenta quæ suadent convenientiam hujus potestatis. « De facto, ait Maroto (2), ad perfectum subditorum regimen utile non raro, imo moraliter necessarium erit, quod Ordinarius, sive in Synodo sive extra Synodum, ferre valeat ordinationes de se perpetuas, quæ extra territorium. clericos præcipue, teneant, e. gr. prohibitiones de adeundis certis spectaculis, de legendis determinatis libris vel ephemeridibus, favendis quibusdam operibus; vel e contrario præcepta Sacramenta recipiendi vel certa opera pia faciendi et alia

---

quam verbo decepti plures proponere solent appellando juridictionem voluntariam illam quæ exercetur in *petentes* et *volentes* ».

(1) Quidam tamen, ut d'Annibale (in *Summ.* I, n. 249, not. 6), qui ideam territorialitatis potestatis particularis ex integro, insistendo capiti Bonifacii VIII, defendebant, logice negabant Ordinarium posse non tantum legem aut præceptum commune, sed nec etiam præceptum personale dare, quod extra territorium obliget. Cfr Maroto, *o. c.*, p. 211.

(2) *O. c.*, p. 201.

centum » Bonum enim regimen communitatis non parum impediretur, si momentanea absentia saluberrimæ ordinationes declinari possent earumque effectus frustrari, præsertim ubi de iis negotiis agitur quæ sequelas post se trahunt (1).

Decretum igitur bonifacianum, si olim jus faciebat, Novo Codice abolitum est, et, contra sententiam olim communem, agnoscenda est Ordinariis locorum potestas ferendi *leges personales* (2).

R. Deschepper.

VI.

De duplici missa conventuali aut cantata.

Q. *Si in una ecclesia duæ conventualiter aut in cantu celebrentur missæ, altera de die, altera vero extra ordinem officii (v. g. de solemnitate externa Patroni loci in Dominicam translata), quemnam influxum utraque in alteram habet, notatim quoad commemorationes, symbolum, præfationem?* (Addit. et Variat, Tit. V, nn. 4-5).

I. 1. In antiquitate christiana celebrari solebat in una ecclesia, una tantum missa, quam offerebat episcopus aut dignior presbyter, et in qua concelebrabant ceteri presbyteri, et assistebant diaconi, subdiaconi, cantores

(1) Cf. Bouquillon, *o. c.*, p. 376.

(2) Quod de legibus episcopalibus diximus, applicari posse æstimamus, mutatis mutandis, dispensationibus, quæ ab Ordinario *directe communitati* conceduntur. Et sic evanesceret difficultas, quam nonnulli olim moverunt contra quasdam dispensationes, quas occasione Quadragesimæ quotannis concedere solet Reverendissimus noster. Quæsitum nempe fuit, utrum *extra diœcesim* uti liceat dispensatione ab abstinentia, concessa militibus, itinerantibus, quibusdam operariis aliisque sub nº IV Bullæ quadragesimalis indicatis. Ni fallimur, hæ dispensationes, quamvis « ad modum legis » concessæ (generali nempe promulgatione communitati facta), *ut personales* sunt habendæ; ratione enim specialis conditionis harum personarum conceduntur; imo quædam inter illas, ut v. gr. dispensatio concessa operariis ad metalla silicum (steengroeven) vel carbonaria (koolmijnen) plane esset inutilis, si non esset *personalis*, i. e. si non valeret etiam extra diœcesim, quum apud nos hujusmodi metalla non inveniuntur.

aliique ministri inferiores, ministerium suum proprium singuli peragentes. Ad hanc missam, ad bonum totius communitatis celebratam, ex libera devotione aut obligatione concurrebat tota fidelium communitas, quæ non solum aderat sed oblationes offerre et communicare solebat. Plenissimo igitur sensu erat missa *publica* Quando autem tanta est populi frequentia « quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur » ait S. Leo I Papa (a. 445) (1). Secunda vel et tertia hæc missa erat eadem, æque *solemnis et publica* ac prima. Postea autem multiplicatæ sunt missæ, eo quod sacerdotes singuli sacrificium offerre cœperunt ex devotione privata aut ad personarum particularium petitionem et intentionem. Hæ erant *missæ privatæ*, quæ celebrari consueverunt sine populi frequentia, sine solemnitate, imo sine cantu.

2. Verum in ecclesiis ubi frequens erat clerus et officium in choro cantabatur, notatim in cathedralibus, collegiatis et conventualibus, ex antiquo usu servato invaluit lex ut, in connexione cum officio diei, celebraretur quotidie pro communitatis benefactoribus in genere *una missa de die solemnis et publica*, cui assistere debebant communitas in persona saltem choralium. Et hæc est et dicitur *missa conventualis*. Ceteræ autem missæ erant *privatæ*, generatim lectæ.

Sed multiplicabantur interim festa sanctorum majoris minorisve solemnitatis. Unde occurrebant identidem eadem die tum insigne quoddam officium et missa de tempore (v. g. Quatuor Temporum), tum solemne aliquod festum sanctorum: quorum neutrum negligendum censebatur. Tunc celebrabatur *duplex solemnis et publica seu conventualis missa*, altera de tempore, de festo altera. Sed quum utraque esset pro tota communitate et utrique assisterent chorales, merito conveniens judicarunt in neutra repetere quod jam in altera cantatum fuerat : utraque igitur celebrata est *sine alterius commemoratione*.

---

(1) *S. Leonis epist. ad Dioscorum Alexandrinum*, ep. 9, n. 2.

3. Idem factum est quando, præter missam conventualem de die, solemniter celebranda erat missa quædam *votiva* ex causa publica et cum concursu populi: quum communitas utrique missæ adesse censeretur, utraque cantabatur independenter ab altera sine hujus commemoratione.

4. Hujusmodi autem dispositio recentioribus temporibus extensa est ad omnes missas *cantatas* sive vere conventuales, sive parochiales, sive alias. Non autem ad missas *lectas*, quæ sine populi concursu dici solent. Quia communitas non censetur diversis his missis adesse, in omni missa fit commemoratio de missa diei et de aliis officiis hac die commemoratis.

5. Ex multiplicatis semper festis, vigiliis et octavis Sanctorum, factum est ut quædam officia — interdum plura — possent tantummodo commemorari in officio et missa de nobiliori. Si autem, diebus quibus plures agendæ erant commemorationes, occurrebat duplex missa conventualis aut cantata, inter commemorationes fiebat — ex causa convenientiæ — selectio talis ut missæ de festo tribuerentur commemorationes de alias festis aut octavis, missæ vero de feria commemoratio de vigilia aut vicissim. Officium enim et missa de octava sunt festiva: de vigilia autem sunt ferialia.

II. Ex his orta est et plene intelligi potest DISCIPLINA HODIERNA (1), quæ clare statuta est in novissimis rubricis, h. e. in *Additionibus et Variationibus in Rubricis Missalis*, tit. V *de commemorationibus*, n. 4, quæ sic habent:

« Si plures habeantur [in una ecclesia] missæ [de objecto diverso (2)] cantatæ aut conventuales (3), vel etiam aliæ habeantur missæ in cantu præter conventualem, in qualibet ex eis ad tramitem Rubr. Gen. Miss.

---

(1) Disciplinam anteriorem attingebant v. g. Rubr. Gen. VII, 2, decreta 3922, IV, 2; 4157, etc. Cf. *Collat. Brugen.*, t. VIII, 186 s.

(2) Quæ tamen non sunt de Requie.

(3) Quandonam et quomodo celebrandæ sint plures missæ conventuales in ecclesia cathedrali, semper notatur in calendario nostro.

tit. VII, n. 2, nulla fit commemoratio de aliis (1), neque dicuntur Præfatio aut aliæ partes (2) quæ vel propriæ sint alterius missæ, vel propriæ item alicujus commemorationis in altera missa factæ vel faciendæ ».

« Commemorationes nempe quæ aliqua die occurrant, si plures missæ [diversæ] in cantu vel conventualiter dicantur, fiunt in missa cujus indolem seu rationem participant.

« Itaque, si una tantum vel nulla ex his missis sit de currenti die [a rubricis præscripta] in missa diei currentis, aut secus in prima ex missis ea die in cantu vel conventualiter celebratis, omnes fiant commemorationes occurrentes [sive speciales sive communes pro diversitate temporum assignatæ]· et in aliis missis [votivis] dicantur orationes quæ missis votivis conveniant » (3).

(1) Si attente considerentur hæc verba, ex his clare sequitur « missas *privatas* » quæ in feriis majoribus missa propria gaudentibus et vigiliis possunt esse, ad libitum celebrantis, vel de feria aut vigilia vel de festo non classico occurrenti, intelligendas esse tantum de missis *lectis* non conventualibus. Nam in *Addit. et Variat.* tit. I, n. 1, 2, ubi de iis agitur diserte semper additur eas « dici posse aut de feria vel vigilia *cum commemoratione* officii dici, aut de officio diei *cum commemoratione* feriæ vel vigiliæ ». Ergo excluduntur missæ *cantatæ* in quibus ex supracitata rubrica « *nulla fit commemoratio de aliis* ». Quod idem clare eruitur ex verbis *Add. et Variat.* I, n. 3 (in fine), « in omnibus Litaniarum diebus fit commemoratio Rogationum in omnibus missis *privatis* quæ non sunt defunctorum, et ETIAM in missis *cantatis* ET *conventualibus*, nisi celebretur missa in cantu vel conventualis de Rogationibus ». Ergo missæ *privatæ* in hac materia opponuntur non solum conventualibus sed etiam *cantatis* quæ non sunt conventuales. Erronee ergo ait BREHMS, *Synopsis Addit. et Variat.*, p. 112: « missa privata intelligitur hic ea quæ est contraria conventuali ».

(2) V. g. symbolum vel ultimum evangelium.

(3) Agitur hic speciatim de missis extra ordinem officii seu *votivis*. Et rubrica intelligenda est non de solis votivis vere solemnibus aut ad instar solemnium (puta de SS. Corde Jesu) sed etiam de aliis, modo sint cantatæ. Hoc eruitur ex antiquis decretis (v. g. 3922, IV, 2 et 4157, 4) et nova rubrica nullam offert restrictionem. V. g. 26 aprilis, feria V cantatur hora 6 missa votiva de SS. Sacramento et hora 8 missa votiva pro sponso et sponsa, ceteræ missæ sunt lectæ: in prima missa fit commemoratio SS. Cleti et Marcellini cum 3ª oratione *Concede nos*, cum præfatione de Nativitate Domini; hora 8 in missa 2ª et 3ª orationes sunt *Concede nos* et *Ecclesiæ* vel pro Papa, cum præfatione paschali.

« Si vero plures ita celebrentur missæ [non votivæ sed] ea die occurrentes juxta rubricas [v. g. missa conventualis de feria Quatuor Temporum et missa cantata de festo], commemoratio de vigilia fiat in missa feriæ, et de octava in missa festi et vicissim » (1).

« Orationes autem pro diversitate temporum assignatæ (2) si juxta missæ et commemorationis in ea faciendæ ritum [non duplicem] admittantur, sicut et collectæ ab Ordinario imperatæ (3), in qualibet missa dicuntur; ita tamen ut orationes [communes] quæ infra octavam vel in vigilia aliter quam pro tempore occurrenti fuerint præscriptæ, dicantur [respective] in missis tantum de octava, aut de vigilia, vel cum eorum commemoratione celebratis, in ceteris vero missis [quæ nec de octava aut vigilia sunt nec earum commemorationem habent] dicantur orationes tempori assignatæ » (4).

In Dominica in quam transferenda est *solemnitas principalis Patroni loci* (5), celebranda est *in cantu* (D. 3735, 1) unica missa de solemnitate aut festo Patroni (6). Ceteræ missæ debent esse de die (Dominica vel de festo classico occurrente). Si nulla ex hisce in cantu celebretur, in missa solemnitatis faciendæ sunt commemorationes omnes quæ admittuntur in missa votiva solemni pro re

---

(1) Vide Calendarium nostrum ad diem 23 februarii pro ecclesia cathedrali.

(2) De quibus *Addit. et Variat. in Rubr. Miss.*, VI, n. 1.

(3) De quibus *ibid.* VI, n. 4 et 5.

(4) Ex gr. si *cantentur* in ecclesia parochiali, die 23 junii, tum missa de die, nempe de vigilia S. Joannis Bap istæ, tum votiva pro sponso et sponsa: in missa de vigilia 2ª et 3ª orationes erunt *Concede nos* et *Ecclesiæ* vel pro Papa, assignatæ specialiter pro missis quæ de vigilia aut cum commemoratione vigiliæ post Pentecosten celebrantur (*Add. et Variat.* VI, 1, 4°); in missa vero votiva, 2ª et 3ª orationes erunt *A cunctis* et ad libitum, quia hæ sunt orationes communes pro tempore post Pentecosten assignatæ, extra missas de vigilia aut octava aut cum alterutrius commemoratione celebratis (ibid. VI, 1, 3°).

(5) Quod non valet de Titulari ecclesiæ, qui non est Patronus loci.

(6) Ex decreto Em. Card. Caprara, de quo vide *Collat. Brugen.*, XIV, 421-425. Modus ordinandi missam solemnitatum translatarum Epiphaniæ, SS. Corporis Dni et SS. Ap. Petri et Pauli quotannis indicatur in calendario liturgico.

gravi et publica simul causa (1), notatim commemoratio et ultimum evangelium Dominicæ, cum *Credo* et Præfatione de SS. Trinitate Dominicæ propria (2). Si autem missa de Dominica aut de festo occurrente *etiam in cantu celebretur*, in missa solemnitatis, quæ est de festo Patroni, nulla fit *commemoratio*, nequidem Dominicæ; *symbolum* est cantandum, non ratione Dominicæ (3), sed quia festum Patroni habet jus ad symbolum; *Præfatio*, si non adsit propria festo Patroni, non est SS. Trinitatis, sed communis (4) etiam tempore paschali; ultimum evangelium est S. Joannis.

Casus quosdam speciales *Præfationem* respicientes regit specialis Rubrica sequens: « Idem servatur quoad Præfationem de octava communi, ac de feria VI post octavam Ascensionis, etiam non commemoratis in officio, necnon quoad Præfationem de Nativitate Domini a die 2 ad 4 Januarii inclusive ac Præfationem de tempore paschali in feriis communibus ejusdem temporis, quæ pariter in una tantum ex missis cantatis vel conventualibus adhibetur, nempe in missa propria si dicatur, secus in missa de officio diei et, ea deficiente, in prima ex missis ea die, ut supra, in cantu vel conventualiter celebratis ». (*Add. et Var.*, tit. V, n. 5).

C. Callewaert.

(1) Decr. S. R. C. Hildesien, 16 jun. 1922, ad IX; *Add. et Variat.*, V, 3; Cf. *Collat. Brugen.*, supra, p. 75.

(2) Nisi missa de die sit de festo classico quod habeat præfationem propriam, puta de apostolis.

(3) Decr. S. R. C. Hildesien, ad X; Cf. *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 71.

(4) *Ibid.*, ad XI; *Collat. Brugen.*, XXIII, 71.

Litteræ apostolicæ

I

DILECTO FILIO NOSTRO

DESIDERATO S. R. E. PRESB. CARD. MERCIER

ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI

CETERISQUE EPISCOPIS BELGARUM

PIUS PP. XI

Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres
salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ tu, dilecte Fili Noster, Concilii Provincialis acta, mense aprili anno MCMXX Mechliniæ habiti, ad hanc Apostolicam Sedem miseras rite examinanda, ex iis Nos libentissime agnovimus, quantopere ipse cum tuis in Episcopatu collegis perseveraretis laborare ut religiosa istius nationis vita maius in dies caperet incrementum. Etenim persuasum habetis hoc ante omnia esse efficiendum, ut actio Cleri, cuius est fidelem populum ducere in christianarum exercitatione virtutum, usque evadat efficacior. Quamobrem non ii solum qui sacra ministeria iam obeunt, sed etiam qui ad ea suo tempore obeunda in Seminariis instituuntur, vivendi rationem teneant oportet vere supernaturalem, humana omnia, ut infra se posita despicientes, itemque caventes sedulo quidquid discidia affert animorum, ut maxime sunt de rebus politicis deque linguæ et generis varietate quæstiones Nos equidem hac in re certo scimus semper futura vobis ante oculos ea quæ vos, Episcopos Belgarum, decessor Noster desideratissimus hortatus est datis litteris die x Februarii a. MCMXXI (1); eaque Nos hortamenta renovamus hic et confirmamus. Quarum præscripta litterarum, uti documento sunt paternæ caritatis qua Jesu Christi Vicarius Belgas prosequitur, ita, si diligenter, ut par est, obser-

(1) *Collat. Brugen.*, XXI, 161.

ventur, magno erunt emolumento nationi vestræ, consensionem concordiamque fidelium inter ipsos adjuvando. Nemo non videt huiusmodi studium coniunctionis prorsus esse bonis necessarium, si velint cum fructu niti pro salute communi. Plane igitur confidimus fore ut vobiscum, valide ipsis inter vos fraterno amore cohærentibus, universi isti et clerici et laici, obsequii pietatisque coniuncti vinculis, quæ filios decent, adhæreant, nullo discrimine nec generis nec linguæ. Ita, florente usque magis istic Ecclesia, Belgarum gens catholicæ fidei professione christianisque moribus elucere perseverabit. Interea cœlestium munerum auspicem et singularis Nostræ benevolentiæ testem, vobis, dilecte Fili et Venerabiles Fratres, atque etiam Clero populoque vestro, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XVI mensis Novembris MCMXXII, Pontificatus Nostri anno primo.

II.

ECCLESIA S. BASILII IN CIVITATE BRUGENSI TITULO ET PRIVILEGIIS BASILICÆ MINORIS HONESTATUR (1).

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum insistentes vestigiis, quæ in orbe catholico templa antiquitate, dignitate, artium monumentis excellere videantur, ea consuevimus peculiaribus honoris titulis ac privilegiis locupletare, ut ea populares continentium regionum, et qua maiore fieri potest, reverentia colant, et animorum ardore Deum precaturi invisant. Quam ob rem, cum venerabilis frater Brugensium Episcopus enixas ad Nos preces admoverit, ut ecclesiæ Brugensi, quæ in honorem sancti Basilli Magni, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, est Deo dicata in sua episcopali urbe, dignitatem, titulum ac

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 200 s.

privilegia Basilicæ minoris, pro Nostra benignitate, impertiri dignaremur. Nos Antistitis ipsius optatis annuendum ultro libenterque existimavimus. Et revera novimus ecclesiam eandem inter præcipua templa et monumenta eiusdem diœcesis Brugensis locum obtinere conspicuum: nam antiquitate, structura, artis operibus, supellectilis copia et magnificentia, sacris insignibusque relliquiis eadem fulget: prætereaque ad hunc usque diem non modo ex omni Belgio, sed ex finitimis quoque regionibus christifideles ad hanc sacram ædem Dei opem imploraturi turmatim confluunt. Cum igitur velimus Nos etiam christifidelibus tum Brugensis tum finitimarum diœcesium stimulos addere, ut maiore in dies prosequantur veneratione hoc templum, quod in honorem Sancti Basilii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, est Deo dicatum Brugensi in urbe: conlatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum præpositis, apostolica Nostra auctoritate, præsentium Litterarum vi perpetuumque in modum, templum Sancti Basilii, Episcopi, Confessoris atque Ecclesiæ Doctoris, quod supra memoravimus, dignitate ac titulo Basilicæ minoris honestamus, cum omnibus honoribus, prærogativis, privilegiis, indultis, quæ minoribus Almæ huius Urbis Basilicis de iure competunt.

Hæc statuimus, concedimus, decernentes præsentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari: sicque rite iudicandum esse ac deniendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, à quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis aprilis, anno MCMXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. Card. Gasparri, *a Secretis Status.*

Acta SS. Congregationum

Suprema S. Congr. S. Officii

I.

LITTERÆ, LOCORUM ORDINARIIS DATÆ, SUPER IEIUNIO EUCHARISTICO ANTE MISSAM (1).

Illme ac Revme Domine,

Optime novit Amplitudo Tua qua diligentissima cura legem ecclesiasticam ieiunii eucharistici, præsertim quod attinet ad sacerdotes sacrosanctum Missæ sacrificium celebraturos, Sancta hæc Apostolica Sedes semper tuita sit: nec dubitandum quin et in posterum eius observantia generatim urgeri debeat. Sed ne forte ex lege ecclesiastica qua reali Corpori Christi debitum præstatur obsequium, Corpus Christi mysticum seu animarum salus detrimentum capiat, Suprema hæc Sacra Congregatio Sancti Officii, ex animo perpendens multitudinem officiorum quibus sacerdotes diebus festis incumbere debent ad commissum sibi gregem salutari pabulo enutriendum; et quod ob cleri penuriam multi ex eis Sanctæ Missæ celebrationem iterare coguntur; idque non raro in locis longe dissitis, aditu difficilibus, inclementi aeris temperie divexatis, vel in aliis contrariis rerum et locorum adiunctis; decrevit in certis casibus et sub determinatis conditionibus eamdem ieiunii legem per opportunas dispensationes aliqua ex parte mitigare.

Quoties igitur sacerdotes, iuxta can. 806, 2, Missam eodem die iterare aut etiam tardiore hora ad Sacrum Altare accedere necesse habeant; siquidem sine gravi damno ieiunii eucharistici legem, vel infirmæ valetudinis causa, vel propter nimium sacri ministerii laborem, aliasve rationabiles causas, ad rigorem servare nequeant; Supremæ huic Congregationi locorum Ordinarii, omnibus rerum adiunctis diligenter expositis, recurrere poterunt. Quæ pro diversitate casuum (sive cum singulis Ipsamet dispensando, sive, quando vera ac probata necessitas id omnino suadeat, habituales quoque facultates ipsis Ordinariis tribuendo) opportune providebit. Quæ quidem facultates pro casibus urgentioribus, in

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 151.

quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, iam ex nunc Amplitudini Tuæ conceduntur, per Te ipsum, graviter onerata conscientia, exercendas: hisce tamen sub conditionibus, ut nonnisi aliquid per modum potus, exclusis inebriantibus, sumere permittatur; efficaciter scandalum removeatur; ac quamprimum S. Sedes de concessa dispensatione certior fiat.

Gravissimæ demum huius legis relaxationem solum concedendam esse scias, quum spirituale fidelium bonum id exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem.

Hæc ad pastorale Tibi ministerium facilius utiliusque reddendum, probante Ssmo Domino Nostro Pio PP. XI, decreta, dum libens tecum communico fausta quoque ac felicia Tibi adprecor a Domino.

Romæ, ex ædibus Sancti Officii, 22 martii 1923.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius*.

II.

MONITUM AD LOCORUM ORDINARIOS (1).

Accidit non infrequenter ut scriptores, etiam qui ut boni catholici vulgo habentur, in foliis quotidianis vel periodicis laudent, magnificent, adprobent libros, scripta, picturas, sculpturas aliave id genus ingenii et artis opera catholicæ doctrinæ seu christiano sensui contraria, quandoque etiam a Sancta Sede expresse reprobata.

Quam grave inde, si Pastores animarum hæc inobservata et impunita relinquant, fidelium scandalum cum fidei morumque detrimento oriri possit, facile intelligitur. Quod ne fiat Suprema hæc S. Congregatio S. Officii, adprobante Ssmo D. N. Pio Pp. XI, locorum Ordinarios admonendos censet, ut pro eorum munere erga scriptores huiusmodi, si quos forte inter proprios subditos adesse compererint (præcipue si de clero seu sæculari seu regulari), sive per se sive adhibita quoque Consiliorum vigilantiæ cooperatione, non omittant quas efficaciores in Domino iudicaverint, nulla interiecta mora, providentias adhibere.

Romæ ex ædibus S. Officii, 15 martii 1923.

R. Card. Merry del Val, *Secretarius*.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 152.

III.

DE ONANISMO CONJUGALI (1).

Beatissime Pater. Infrascriptus Episcopus Harlemen. ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humillime exponit quæ sequuntur :

Probati auctores docent conjuges non exercere onanismum conjugalem, quoties vir vas uxoris penetrat quidem, sed parum, v. g. pro dimidia vel tertia parte, et semen in vagina deponit. Hic modus coeundi conceptionem reddit quidem difficiliorem, at non impossibilem.

Ad notitiam Episcoporum hujus Provinciæ pervenit, nonnullos confessarios hanc doctrinam arripere velut remedium contra onanismum conjugalem. Pœnitentibus quos metui prolis numerosioris vel onanismi vitio deditos, vel ad illud proclives inveniunt, sponte et promiscue suadent copulam — ut vulgo dicitur – dimidiatam, seu penetrationem vaginæ partialem, aperte docentes conjuges hoc modo jure conjugali utendo non peccare, probabilitatem vero prolis simul valde diminuere.

Hæc autem confessariorum praxis timoratis clericis et laicis, inter quos etiam sunt medici catholici, ita offensioni est, ut de illa apud Episcopos conquesti sint, rogaverintque an hoc scandalum possit tolerari.

Gravamina quæ afferunt sunt hæc:

1. Quamvis theologi doceant copulam cum partiali penetratione non infici labe onanismi conjugalis, minime tamen eam ab omni peccato immunem esse declarant. Ut copula dimidiata licite exerceatur, omnes theologi exigunt causam saltem vere rationabilem et urgentem : quæ causa rationabilis et urgens apud Christianos, quorum matrimonium sit imago fœcundi conjugii Christi cum Ecclesia, difficile esse potest solus timor ne proles numerosior nascatur. Qui ergo conjugibus ob hoc solum motivum, quod prolem non amplius desiderant, suaderet copulam cum penetratione incompleta, imprudenter ageret, dando consilium moribus christianorum connubii non tantum alienum, sed prorsus contrarium et nocivum, quod adhuc patebit ex iis quæ sequuntur.

2. Modus ille copulandi, etsi theologi malitiam onanismi ab illo abjudicent, eumdem tamen effectum producit: ut nempe prematur numerus liberorum qui nascuntur.

---

(1) Textus desumitur ex period. *Nederl. Kath. Stemmen*, XXIII (1923), p. 33 s.

Hunc effectum fautores et propagatores copulæ dimidiatæ non intendunt quidem, sed de facto illum attingunt. Si hæc praxis ubique divulgetur haud dubium quin numerus nativitatum multum decrescat. Hic præsertim effectus excitat offensionem timoratorum, cum copula dimidiata sub hoc respectu neomalthusianismo plane æquiparanda sit.

3 Illa praxis coeundi promiscue et imprudenter promulgata invitat et conducit conjuges (præsertim si experirentur copulam dimidiatam conceptionem non semper præcavere) ad alium modum utendi conjugio, adhuc pejorem, quo nempe vir absque ulla penetratione semen ad ostium vaginæ effundit, qui modus, ubi alius perfectior possibilis est, ab omnibus probatis auctoribus peccati mortalis accusatur, quum hoc idem sit ac moraliter impedire generationem: hoc enim modo rarissime et per accidens tantum sequitur prægnatio.

Illmi ac Revmi Episcopi Provinciæ ecclesiasticæ Neerlandiæ, die 28 Septembris hujus anni congregati, hæc omnia perpenderunt et unanimi consensu censuerunt: hunc congrediendi modum nisi in casu particulari adsit vere urgens causa, reprobandum esse et peccaminosum, perniciosum et scandalosum, eumque tam parum esse remedium coercendi neomalthusianismum, ut potius ad illum sollicitet et viam sternat.

Item praxim confessariorum sponte docendi copulam dimidiatam, eamque promiscue suadendi pœnitentibus ob solam hanc rationem quod hi prolem amplius non desiderant, esse reprobandam uti imprudentem, temerariam, piarum aurium offensivam, christianis moribus relate ad matrimonii sanctitatem et fœcunditatem contrariam.

Propter rei gravitatem vero præfati Episcopi, ne temere procedant, expedire duxerunt Sanctæ Sedis sententiam super hanc quæstionem exquirere. Quare dubia sequentia humiliter judicio Sanctitatis Vestræ submittunt:

Dubium I. An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulæ dimidiatæ, illamque suadere promiscue omnibus pœnitentibus, qui timent ne prole numerosiore graventur.

Dubium II. An carpendus sit confessarius, qui, omnibus remediis ad pœnitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia præcavenda.

Dubium III. An carpendus sit confessarius qui in circumstantiis sub II. copulam dimidiatam pœnitenti aliunde notam suadet, vel pœnitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter « licere » absque ulla restrictione seu explicatione.

Harlemi, die 30 Novembris 1921.

RESPONSIO.

Suprema Sacra Congregatio
Sancti Officii Romæ die 1 Decembris 1922
Num-protoc-428-1921.

Illme ac Revme Domine,

In generali consessu habito feria IV, die 22 elapsi Novembris, proposita fuerunt tria dubia ab Amplitudine Tua nomine Episcopatus Neerlandiæ ad hanc Supremam Congregationem Sancti Officii transmissa. Id est:

I. An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulæ dimidiatæ, illamque suadere promiscue omnibus pœnitentibus, qui timent ne proles numerosior nascatur.

II. An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis ad pœnitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia præcavenda

III. An carpendus sit confessarius, qui in circumstantiis sub II, copulam dimidiatam pœnitenti aliunde notam suadet vel pœnitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere absque ulla restrictione seu explicatione.

Et Emi ac Revmi DD. Cardinales una mecum Inquisitores Generales, quæstione diligenter perpensa, præhabitoque DD. Consultorum voto, respondendum mandarunt:

Ad I dubium, Negative. Ad II et III, Affirmative.

Insequenti vero feria V, die 23 dicti mensis, Sanctissimus D. N Pius div. prov. papa XI in solita audientia R. P. D. Assessori hujus Sancti Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit.

Hæc pro meó munere Amplitudini Tuæ significans, prospera cuncta atque felicia Tibi a Domino adprecor.

Amplitudini Tuæ Revmæ
Addictmus
sig. R. Card. Merry del Val

Illmo et Rvmo Domino Episcopo Harlemen.

E. S. Congr. de Religiosis

DE PROFESSIONE RELIGIOSA IN ARTICULO MORTIS NOVITIIS VEL POSTULANTIBUS PERMISSA (1).

Iam inde a Codicis promulgatione dubium exortum est: « An decretum quod incipit *Spirituali consolationi*, a « Sacra Congregatione de Religiosis editum sub die « 16 septembris 1912, adhuc vigeat » præcipue cum in Codice iuris canonici nulla mentio de professione in articulo mortis fiat. Cumque instantissime ab hac Sacra Congregatione peteretur, tam in particularibus casibus, quam in novis Constitutionibus condendis, ut facultas per supradictum decretum concessa renovaretur, res definienda visa est.

Quapropter, plurium Consultorum prærequisito voto, Emi Patres Sacræ Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium præpositæ, in Plenariis comitiis ad Vaticanum habitis die 29 decembris 1922, re mature perpensa, ad propositum dubium respondendum censuerunt: « *Affir-* « *mative*, at declarandum, si ita SSmo placuerit, quod « facultas recipiendi professionem, de qua in n. 2 decreti, « præter Superiorem monasterii aut domus novitiatus « vel probandatus, intelligatur competere etiam ad re- « spectivos Superiores maiores iuxta Constitutiones, et « ad prædictorum omnium delegatos ».

Quam sententiam SSmus D. N. Papa div. Prov. Pius XI, in audientia habita ab infrascripto P. Abbate Secretario die 30 decembris ejusdem anni, in omnibus approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Opportunum autem visum est prædicti decreti dispositiones ad sensum resolutionis Emorum Patrum accommodatas, in memoriam revocare eum in finem ut tam benigna Sedis Apostolicæ concessio omnibus interesse habentibus prodesse valeat.

Illæ autem sunt tenoris sequentis: (2)

In quocumque Ordine, vel quavis Congregatione aut Societate religiosa, vel monasterio sive virorum sive

---

(1) Cfr *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 156 s.

(2) Cfr *Acta Apost. Sedis*, IV, p. 589 s.

mulierum, vel etiam in Institutis in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen vita agitur, more Religiosorum, liceat exinde Novitios seu Probandos, qui medici iudicio graviter ægrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu Constitutiones admittere, quamvis tempus novitiatus vel probationis nondum expleverint.

Attamen, ut novitii seu probandi ad supradictam professionem aut consecrationem aut promissionem admitti queant, oportet:

1. Ut novitiatum seu probationem canonice inceperint.

2. Superior qui Novitium seu Probandum ad professionem vel consecrationem aut promissionem admittit, præter Superiores Majores respectivos, quibus ex præscripto Constitutionum competit, esse possit etiam ille qui monasterium, vel novitiatus aut probandatus domum actu regat, aut prædictorum Superiorum delegatus.

3. Formula professionis vel consecrationis aut promissionis sit eadem quæ in Instituto extra casum ægritudinis in usu est; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur.

4. Qui huiusmodi professionem, consecrationem vel promissionem emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quæ Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur; eidem autem plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Iubilæi misericorditer in Domino conceditur.

5. Hæc professio vel consecratio aut promissio, præter gratias in præcedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium produci effectum.

Proinde:

A) Si Novitius seu Probandus post huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem intestatus decedat, Institutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;

B) si convalescat antequam tempus novitiatus seu probandatus exspiret, in eadem omnino conditione versetur ac si nullam professionem emisisset: *a*) libere, si velit, ad sæculum redire poterit: et *b*) Superiores illum dimittere valent: *c*) totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet sit ultra annum, explere debet: *d*) hoc tempore expleto, si perse-

veret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

Declarat denique hæc Sacra Congregatio, nihil obstare quominus prædictæ dispositiones etiam in Constitutiones Ordinum et Congregationum inseri valeant, si hoc Instituta ipsa postulent.

Romæ, ex Sacra Congregatione de Religiosis, die 30 decembris 1922.

C. Card. Laurenti, *Præfectus.*

L. † S.

Maurus M. Serafini Ab. O. S. B., *Secretarius.*

E S. Congr. Rituum

I.

LEODIEN (1).

Die 22 novembris 1922 S. D. N. Pius PP. XI rescriptum hujus S. C. R. ratum habuit et propria manu signare dignatus est, quo introducebatur causa beatificationis et canonizationis Servi Dei Vatentini Paquay, sacerdotis professi O. F. M. — Joannes Aloisius Paquay, natus in urbe Tongrensi, 17 novembris 1828, in urbe *Thielt* tyrocinium annis 1857-58 in ordine fratrum minorum absolvit et nomen sumpsit Valentinum. Totam fere vitam religiosam in *Hassell*, prædicator verbi Dei assiduus, director animarum doctrina, pietate et prudentia conspicuus, ad quem consulendum innumeri pene undique confluebant pœnitentes. Eadem in civitate defunctus est 1 januarii 1905 vulgo designatus nomine : « *het heilig paterke van Hassell* » (2).

(1) Cfr *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 31 sq.

(2) Lege R. Moonen, O. F. M., *Leven en deugden van den dienaar Gods Pater Valentinus Paquay*, 2e uitg. Mechelen, S. Franciscus Drukkerij, 1914.

II.

ROMANA (1).

DE MISSA VOTIVA PRO FIDEI PROPAGATIONE, DECLARATIO.

Per decretum Sacræ Rituum Congregationis, diei 22 martii vertentis anni 1922, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI benigne concessit ut « Missa votiva « de Propagatione Fidei sine *Gloria* et cum *Credo*, adhi- « bito colore violaceo, celebrari possit semel in anno, « diebus ab Ordinario cuiusque loci designandis, exceptis « tamen Festis duplicibus I et II classis, Dominicis maio- « ribus, nec non Octavis I et II ordinis, Feriis et Vigiliis « quæ sint ex privilegiatis » (2). Quum vero nonnullæ quæstiones de hac re nuper exortæ sint, eadem Sacra Congregatio, ad omnem ambiguitatem amovendam, audito specialis Commissionis suffragio, sequentem declarationem opportune vulgandam censuit. « Missa « votiva pro Fidei propagatione, de qua agitur in præno- « tato decreto, non est præceptiva, sed indultiva, et « celebrari potest die pro cunctis et singulis diœcesis locis « communiter ab Ordinario designanda (3), in quibusvis « Ecclesiis et Oratoriis etiam privatis, et ab omnibus « Sacerdotibus, cum omnibus Commemorationibus et « Orationibus *ritui duplici maiori et minori congruenti-* « *bus* (4), salvo semper onere Missæ ex Rubricis et Decretis « præscriptæ; prouti sunt Missæ Conventuales diei cur- « rentis (non autem Missa mere parochialis) (5), Missa de « Rogationibus, pro oratione XL Horarum, etc. Si quando « autem huiusmodi Missa votiva quomodolibet impe-

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XIV, p. 650.

(2) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XXII, p. 334.

(3) Ergo permittitur tantum si Ordinarius diem designet, et in hac dumtaxat die.

(4) Ex quibus eruitur missam hanc votivam habendam esse ut ritus duplicis, adeoque in ea non esse dicendas orationes communes pro temporis diversitate assignatas, sed addendas esse tum commemorationes speciales quæ in missa de duplici minori aut majori fieri debent, tum votivas late dictas forte occurrentes ut sunt oratio de SS. Sacramento exposito aut oratio in anniversario Romani Pontificis vel episcopi vel propriæ ordinationis, aut imperata. Cf. C. Callewaert, *Cæremoniale*, nn. 158, 159.

(5) Ergo posset hæc missa celebrari ut missa parochialis, si Episcopus diem designaret dominicam.

« diatur, fieri potest eius Commemoratio sub unica con-
« clusione cum prima Oratione, iuxta Rubricas (1). »

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 17 novembris 1922.

III.

DUBIA (2).

CIRCA PRÆFATIONES DICENDAS IN MISSIS CUM COMMEMORATIONIBUS.

Sacræ Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita sunt; nimirum :

I. Die 6 februarii et die 12 eiusdem mensis celebrantur respectiva Festa S. Titi, Ep. et Conf., et Ss. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. Mariæ V. Conff., quibus respective addenda est oratio pro Papa in anniversario electionis vel coronationis Summi Pontificis Pii XI; quæritur ;

Utrum Præfatio dicenda sit de Communi vel de Apostolis ?

II. Die 18 novembris, occurrente Dominica de qua fit Commemoratio in Officio et Missa (3) Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli App., quæritur:

Præfatio erit de Trinitate vel de Communi quæ dicitur in Dedicatione Ecclesiarum ?

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositis quæstionibus respondendum censuit :

Ad I. Præfatio erit de Apostolis, si Commemoratio locum teneat Missæ votivæ pro Papa ab Ordinario præscriptæ et eo die impeditæ (4).

---

(1) *Add. et Var.*, V, 3. Et ratione hujus commemorationis in missa de die, nisi sit ritus simplicis, addendum erit *Credo*.

(2) *Acta Apost. Sedis*, XIV, p. 651.

(3) Cfr *Acta Apost. Sedis*, XIV, p. 773.

(4) Præfatio de Apostolis est propria missæ votivæ in die et in anniversario creationis et coronationis Papa, quæ in Missali assignatur. Hæc *missa* autem dici potest ut conventualis, in cathedralibus et collegialis, si accedat Episcopi mandatum; quod si aliquando impediatur, juxta regulas generales, fit stricte dicta *commemoratio hujus missæ* votivæ in missa die : quo casu, rursus juxta regulas generales debet etiam dici præfatio propria hujus missæ, si missa diei non gaudeat propria præfatione.

Ad II. Præfatio dicenda est de Ss.ma Trinitate, iuxta Rubricas (1).

Atque ita rescripsit, ac declaravit, die 17 novembris 1922.

IV.

DUBIUM (2).

DE EVANGELIO IN FINE MISSÆ QUÆ CELEBRATUR CORAM SSMO SACRAMENTO SOLEMNITER EXPOSITO.

Sacræ Rituum Congregationi proposita fuit solvenda sequens quæstio:

« Utrum in Missa, quæ celebratur coram Ssmo Eucharistiæ Sacramento solemniter exposito et in qua Oratio de SSmo Sacramento iuxta Rubricas addenda est, sitne in fine legendum Evangelium ex Missa votiva de SSma Eucharistia, tamquam stricte proprium, an non? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, propositæ quæstioni ita respondendum censuit: « Neque ultimum Evangelium, sicut neque Præfatio, erit ex Missa votiva SSmi Sacramenti; Oratio enim in casu non tenet locum Missæ votivæ impeditæ ad mentem decreti 17 novembris 1922, ad I » (3).

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 26 ianuarii 1923.

V.

DUBIUM (4).

CIRCA VERSICULUM « FIDELIUM ANIMÆ » FINITA HORA TERTIA ANTE MISSAM CONVENTUALEM.

Hodiernus Decanus, una cum Capitulo cuiusdam ecclesiæ Collegiatæ, a Sacra Rituum Congregatione reverenter petiit solutionem sequentis dubii liturgici; nimirum:

« Utrum continuari possit usus in Capitulo præfatæ

Deficiente vero Episcopi mandato, ut apud nos, non permittitur præfata *missa* votiva; sed tamen debet addi in missis de die *oratio* pro Papa. Quum autem hæc non possit haberi ut *commemoratio missæ* votivæ, ut patet, neque præfatio illius missæ adhiberi potest.

(1) Quia præfatio de SS. Trinitate est propria missæ Dominicæ, quæ commemoratur.

(2) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 123.

(3) Si diligenter perpendantur regulæ generales et decretum præcedens ad I, apparet non esse dubiam solutionem hujus dubii, quod S. Congregationi poni non debuisset.

(4) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 80.

« Collegiatæ ecclesiæ per plures annos vigens, omittendi « versiculum *Fidelium animæ* in fine Horæ Tertiæ, « quando post eam immediate canitur Missa Conven- « tualis? » (1)

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito specialis Commissionis suffragio, propositæ quæstioni sedulo discussæ ac perpensæ respondendum censuit:

« *Negative*, iuxta Decretum n. 2366 Thelesina 24 apri- « lis 1742; et serventur Rubricæ Breviarii Romani, tum « generales tit. XXX, n. 3, tum peculiares in respectivis « Horis Canonicis ».

Atque ita rescripsit, declaravit et decrevit, die 19 ianuarii 1923.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. † S. Alexander Verde, *Secretarius.*

Cœtus S. R. E. Cardinalium

AD DIRIMENDA DUBIA CIRCA COMPETENTIAM
SS. Congregationum (2).

DUBIA

SOLUTA IN PLENARIIS COMITIIS DIERUM 13 ET 27 MENSIS NOVEMBRIS ANNI 1922.

I. « Utrum facultas concedendi sodalibus religiosis, utriusque sexus, dispensationem super lege ieiunii eucharistici ad sacram Synaxim recipiendam, pertineat ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum an ad Sacram Congregationem de Religiosis ».

---

(1) Nota agi de missa conventuali non pontificali. Omittitur enim versus *Fidelium* tum in fine Tertiæ quando immediate sequitur missa *pontificalis* (Caer. Episc. II, VIII, 18); sicut etiam in fine Matutini, quod immediate sequitur in nocte Nativitatis prima missa conventualis (Caer. Episc. II, XIV, 9; rubr. spec. Breviarii post Matut. Nativitatis).

(2) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 39 s. — Hic cœtus institutus est ad normam can. 245 codicis.

Resp.: « Pertinere ad Sacram Congregationem de Religiosis ».

II. « Utrum quæ respiciunt obligationes Ordinibus maioribus adnexas vel validitatem sacræ Ordinationis, quoad sodales religiosos, decernenda pertineant ad Sacram Congregationem de Sacramentis an ad Sacram Congregationem de Religiosis ».

Resp.: « Pertinere ad Sacram Congregationem de Sacramentis, ad normam can. 1993 C. I. C. ».

III. « Utrum Sacra Congregatio Consistorialis an Sacra Congregatio Concilii sit competens ad decernendum circa ea quæ respiciunt:

1) sacerdotes sive alumnos sive magistros in scholis laicalibus;

2) associationes inter clerum earumque fœderationem:

3) erectionem et suppressionem unius vel alterius dignitatis in Capitulis constitutis;

4) reditus et bona ad mensas episcopales spectantia ».

Resp.: Ad 1um: « Competentem esse Sacram Congregationem Concilii ».

Ad 2um: « Competentem esse Sacram Congregationem Concilii. Hæc tamen, in iis quæ respiciunt associationes vel earum fœderationes inter clerum alicuius nationis universæ, informationem petere a Sacra Congregatione Consistoriali ne omittat ».

Ad 3um et 4um: « Competentem esse Sacram Congregationem Consistorialem ».

IV. « Utrum concessio facultatis alienandi bona, quæ spectant ad Seminaria diœcesana, pertineat ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus an ad Sacram Congregationem Concilii ».

Resp.: « Pertinere ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus ».

Quas responsiones, Ssmus D. N. Pius div. Prov. Pp. XI, in audientia diei 5, mensis decembris, anni 1922, infrascripto Secretario concessa, approbare dignatus est.

Romæ, die 7 mense decembri, anno 1922.

Fridericus Cattani Amadori, *a Secretis*.

Pontificia Commissio

ad codicis canones authentice interpretandos

DUBIUM

SOLUTUM IN PLENARIO COETU DIEI 26 NOV. 1922 (1).

De collatione canonicatuum (can. 404).

Utrum in collatione canonicatuum, de quibus in can. 404, abrogatæ sint leges particulares, revocata privilegia et reprobatæ consuetudines, vi quarum iidem canonicatus nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis, in qua sedem habet ecclesia, conferri possint, aut isti ceteris præferri debeant.

Resp.: Affirmative, salva contraria fundationis lege, et firmo præscripto canonum 3 et 1435 § 3, ita tamen ut etiam in his casibus, si nullus inter indigenas reperiatur idoneus seu dignus, canonicatus conferri possint ac debeant aliis idoneis et dignis, ad normam cit. can 404.

P. CARD. GASPARRI, *Præses*

Aloisius Sincero, *Secretarius*.

Acta episcopalia.

MONITUM.

Præcipit Illustrissimus Dominus Episcopus ut quidquid pecuniarum colligitur diebus dictis *Missionum* (*Missiedagen*), a RR. DD. parochis mittatur ad thesaurarium diœcesanum *Unionis Cleri* (2), nihil demendo nisi quo compensentur impensæ et quod solvitur prædicanti vel conferentiam facienti; et hoc quidem non superet 250 fr. pro prædicatore et totidem pro conferentiam faciente. Quodsi idem utrumque præstiterit quingenti fr. ei tribui poterint.

Brugis, 30ª aprilis 1923.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 128.

(2) Rev. adm. D. A. De Meester, postch. n. 48908.

Législation civile.

Document de Jurisprudence administrative

Circulaire ministérielle.

Travaux aux églises. — Autorisation préalable.

Bruxelles, le 5 mai 1922.

Monsieur le Gouverneur,

Mon Département s'est trouvé, ces derniers temps, trop souvent dans l'obligation de devoir constater que des fabriques d'église, qui avaient l'intention de faire exécuter des travaux aux églises ou au mobilier qui s'y trouve, ou de disposer de ces objets, se bornaient à soumettre leur projet à l'approbation de la Commission royale des Monuments et des Sites.

Après avoir reçu de la dite Commission, leur projet en retour, avec avis favorable, elles ont cru pouvoir l'exécuter sans avoir sollicité ou obtenu l'autorisation requise par les règlements sur la matière, notamment selon le cas, l'autorisation prévue par l'art. 73 du décret du 30 décembre 1809 ou par l'arrêté royal du 16 août 1824.

Veuillez, Monsieur le Gouverneur, rappeler aux fabriques d'églises que cette procédure constitue une infraction à la loi et peut entraîner des conséquences graves pour les fabriciens qui y ont prêté leur concours.

Leur attention a déjà été fixée sur ces conséquences, notamment par ma dépêche du 9 janvier dernier, concernant le placement non autorisé de monuments commémoratifs.

Il y a lieu aussi d'appeler l'attention de ces fabriques sur le fait qu'il ne leur est pas permis de s'adresser directement à la Commission royale des Monuments et des Sites que seuls le Gouvernement ou les gouverneurs chargés par lui de l'instruction d'affaires, sont qualifiés pour consulter.

Le Ministre de la Justice,
F. Masson.

Miscellanea.

Nova quædam de re sacramentali decreta.

In sectione disciplinari concilii Mechliniensis IV, nova quædam *sacramentum matrimonii* spectantia præscribuntur a parochis sedulo observanda

1° *Circa proclamationes bannorum.*

a/ Hucusque, ad normam can. 1023, § 2, si nupturiens in aliqua parochia extra paræciam parochi proprii per sex menses commorata fuerit post adeptam pubertatem, parochus tenebatur rem exponere Ordinario qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigere, vel alias probationes seu conjecturas super status libertate colligendas præscribere debebat.

Ad vitandos inutiles recursus, Congregatio prosyn. brugen., 30 maii 1922 (1), parochis peculares regulas jam præscripserat quoad probationem status libertatis *militum* in hoc casu ; nunc autem, cum Sedis Apostolicæ approbatione, concilium provinciale decreto 206 sequentem regulam proponit pro *omnibus* nupturientibus qui post pubertatem in alia paræcia commorati sunt : « Parochi « est. in singulis casibus, diligenter investigare an aliquid « matrimonii celebrationi obsistat. Quodsi, facta inquisi- « tione, ipsi constat, per documenta publica sive eccle- « siastica sive civilia, per privata testimonia vel documenta « fide digna, una cum affirmatione jurata ipsorum contra- « hentium, nihil matrimonio obstare ac præsertim nup- « turientes liberos esse, parochus non tenetur rem « Ordinario exponere, nec publicationes in aliena paræcia « faciendæ sunt. Si vero, post diligentem investigationem, « dubium vel suspicio sit de existenti impedimento, « Ordinarium consulat ejusque præcepta sequatur ».

---

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, XXII, p. 273.

Adverte publicationes adhuc faciendas esse juxta can. 1023, § 1 in omni parœcia, in qua nupturientes domicilium vel quasi-domicilium habent et, si vagi sint aut solum domicilium vel quasi-domicilium diœcesanum habeant, in qua actu commorantur. Præscriptæ autem investigationes in casu can. 1023, § 2, de quibus in decreto 206, tempestive faciendæ sunt nec satis est solum juramentum suppletorium exigere, nec juramentum illud exquiratur cum sponsi jam accedunt ad matrimonium contrahendum, sed antea (1).

Modus præstandi juramentum suppletorium in *Collat. Brugen.*, III, p. 240 describitur : Nupturiens, coram duobus testibus, manu dextera Evangelio apposita ac genuflexus ante imaginem crucifixi, mediam inter duos cereos accensos, juramentum emittit. Relatio rei peractæ, a nupturiente, necnon a se et a duobus testibus debite subsignetur. Formula vero paulisper mutanda est, quia omitti debent quæ sponsalia spectant. His similibusve verbis juramentum emitti potest :

« *Ik N...., zweer bij God dat ik met niemand door den* « *echt verbonden ben, en dat er, bij mijne wete, hoegenaamd* « *geen beletsel tot mijn huwelijk met N. bestaat. Zoo helpe* « *mij God en zijne heilige Evangeliën !* »

b/ Quod præscribitur decreto 207, apud nos jam statutum erat decreto congreg. prosyn. anni 1921 (2): itaque banna proclamare licet solis diebus dominicis et quatuor festis præceptis: Nativitatis, Ascensionis, Assumptionis et Omnium Sanctorum.

c/ Ad normam can. 1025 et vi decreti 208 publicationibus partim substitui *potest* publica ad valvas ecclesiæ parœcialis affixio nominum contrahentium, ad hanc scilicet normam :

1° Nomina singulorum contrahentium, semel saltem,

---

(1) A. Desmet, *Tractatus de Sponsalibus et Matrimonio*, II, n. 684 s., Beyaert, Brugis, 1920³.

(2) *Collat. Brugen.*, XXI (1921), p. 264.

die dominica vel festi de præcepto e suggestu proclamanda sunt.

2 Loco duarum aliarum publicationum fieri *potest* affixio ad valvas ecclesiæ parœcialis per spatium octo saltem dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies dominici vel festi de præcepto comprehendantur, *etsi publicatio præscripta uno ex his diebus dominicis vel festis fiat.*

Affixio autem fiat loco prosus conspicuo.

Hoc decreto apud nos nova inducitur disciplina qua minuitur, in commodum magnarum parœciarum, series proclamationum e suggestu faciendarum et publicationes ocius, 8 dierum spatio, peragi queunt. Manet tamen præscriptum can. 1030, § 1 : quo differenda est matrimonii celebratio, nisi rationabilis causa aliud postulet, usque ad quartam diem post peractas publicationes.

2° *Circa can. 1098.* Ne imprudentes fiant hujus canonis applicationes et matrimonia periculo nullitatis exponantur, decreto 214 « stricte prohibetur ne quis, extra periculum mortis, ad normam canonis 1098 matrimonium contrahere præsumat, antequam tota res ad Ordinarium loci delata, ejusque responsum acceptum sit ».

Qua de causa sponsi v. g., qui civiles formalitates adimplere non valent, aut non tempestive, et exinde ab adeundo sacerdote retinentur eo quod prohibetur sacerdos, sub gravis pœnalitatis sanctione, quominus nuptiis eorum assistat, sponsi inquam hujusmodi, quamvis prævideant illarum rerum conditionem per mensem duraturam esse, non possunt, canone 1098 nixi, propria auctoritate ad matrimonium coram solis testibus celebrandum procedere, sed tota res ad Ordinarium loci deferenda est ejusque responsum exspectandum.

3° *Circa casum mixtæ religionis.* Juxta decretum 291, pastores « si mixtum matrimonium præcaveri jam nequeat, partem acatholicam inducere satagant ad instructionem religiosam ad minus per mensem frequentandam, eum in finem ut, si non convertantur, saltem falsas et præconceptas contra fidem catholicam, opiniones derelinquat ».

4° *Quod spectat inscriptionem matrimonii*, nota decretum 152, 3°, titulo II *De parochis*, juxta quod ipsi testes una cum sacerdote, qui matrimonio, adstitit actum subscribere debent.

Quoad *sacramentum pœnitentiæ* advertant sacerdotes præprimis sequentia concilii decreta :

« Parochis, vicariis aliisque sacerdotibus ab Ordinario suo ad audiendas confessiones approbatis, qui in parœciis districtuum seu *decanatuum* alienæ diœcesi *contiguorum* stabili quodam modo idest saltem per hebdomadam, etiam per feriarum tantum tempus *degunt*, conceditur ut in *decanatibus* alienæ diœcesis *suo decanatu conterminis*, *intra fines provinciæ Mechliniensis*, valide et licite confessiones sacramentales excipiant et, si ad hoc approbati fuerint, verbum Dei prædicent.

Qua tamen facultate sacerdotes extranei ne utantur, nisi legitime ab iis quorum interest advocentur » (decr. 203).

« Casus hucusque ab Ordinariis reservati, amplius non subjacent reservationi » (decr. 205).

V. Coucke.

Notæ Bibliographicæ

Muncunill J. (S. J.). *Tractatus de Deo creatore et de novissimis.* Barcinone, 1922. — In 8, XVI-711 p.

Post tractatum de Deo uno et trino, quum prius tamen ediderat tractatum de Verbi divini incarnatione, et, inter utrumque, integrum tractatum theologiæ fundamentalis, uti eum plerumque, ast immerito, vocant (1), scil. tractatum de vera religione, de Ecclesia et de locis theologocis, A. nunc demum publici juris fecit tractatum de Deo creante, conjunctim cum tractatu de novissimis. Rationem hujus conjunctionis ipse hisce verbis in introductione sua pandit: « tum quia, ait, a nonnullis modernis auctoribus ita fit, tum potissimum quia in hoc collegio Sarrianensi quæstiones de novissimis cum illis, quæ ad tractatum de Deo creatore pertinent, conjunguntur ».

Tractatus prior de Deo creante triplicem complectitur disputationem: primam de mundo generatim, in qua, capite tertio, de ente supernaturali in genere; secundam de angelis et tertiam de homine, in qua latius de peccato originali (p. 411-501). Tr. ctatus alter de novissimis hominis et mundi per modum disputationis quartæ ad priorem adnectitur.

A. materiam, uti videtur, complete et fuse tractat, nec timet etiam in quæstionibus secundariis et incidentibus longius insistere. Quod nexum spectat inter varias theses, hic clare apparet, præsertim cum ulteriores explicationes in scholiis cum solutione difficultatum, post quæstionem principalem, in minori textu proponantur. Attamen, cum conjunctionem tractatus de novissimis cum tractatu de Deo creatore, omnino accidentalem ipse A. profiteatur, minus intelligitur cur hanc doctrinam de fine hominis ac mundi per modum quartæ disputationis evolverit.

Quod methodum attinet, non neglecto argumento positivo, parti tamen speculativæ principem locum tribuit, quod et omnino faciendum Pius PP. XI in recenti encyclica « Officiorum omnium » instanter inculcavit (2). Juxta mentem Ecclesiæ, in ipso codice novi juris manifestatam et sæpius a romanis pontificibus, nuperrime notatim adhuc in encyclica modo laudata propositam (3), duce ac magistro s. Thoma, hanc scholasticam explicationem tradere conatur.

Quoad doctrinam, in prima disputatione, capite secundo præsertim agit de divino concursu et asseveranter dicit prædeterminationem seu præmotionem physicam non tantum Angelico doctori sed et veteribus ac illustrioribus thomistis prorsus fuisse ignotam (n. 163 s., p. 99 s.). In capite tertio disputationis tertiæ, voluntarietatem peccati originalis sufficienter explicatam habet ex eo quod voluntas Adami voluntatem omnium posterorum repræsentabat, quatenus moraliter una scilicet

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XIII, p. 44 s.
(2) *Ibidem*, XXII, p. 358 s.
(3) *Ibidem*, p. 357.

erat omnium voluntas, et hanc etiam sententiam Aquinati incunctanter adscribit (n. 690 s., p. 454 s.). In tractatu de novissimis cum principiis s. Thomæ pugnare declarat opinionem, in qua identitas corporis resurgentis ex identitate animæ repetitur; quin immo hanc sententiam temerariam esse pronuntiandam ipsi videtur (n. 1021, p. 642). Non juvat sane in hisce quæstionibus diutius jam disputatis nunc immorari; num autem A. in omnibus quæstionibus mentem Aquinatis plene assecutus fuerit non dubitare non possumus (1) et excedit A. quando hanc sententiam de qua modo uti temerariam notat. H. LAMIROY.

Cappello F. M. (S. J.). *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, vol. III, *de Matrimonio*. Taurinorum Augustæ, Marietti, 1923. — In 8, XI-952 p. — Pr. 30 lib. ital.

Mens fuit auctoris doctrinam *canonicam* simul et *moralem* in hoc tractatu concinnando, ad normam codicis, methodice exponere. In parte morali contraxit R. P. Cappello doctrinam optimorum moralistarum attigitque varios casus quos confessarius in suo ministerio adimplendo nonnunquam solvere debet. Partem canonicam quod spectat, genuinum sensum singulorum canonum explicat auctor, suamque sententiam in re controversa maturo judicio proponit. Sub hoc respectu tractatus valde completus est optimumque novi codicis commentarium.

Hugon Ed. (O. P.). *La sainte Eucharistie*, 3e éd. Paris, Téqui, 1922. — In 12, VI-366 p. — Pr. 5 fr.

Ne rien omettre d'important dans un sujet si essentiel, ne pas trop s'étendre dans un sujet si vaste, tel est le programme que l'auteur s'est proposé et qu'il a heureusement réalisé. Après un aperçu général sur l'Eucharistie, le R. P. Hugon traite successivement de la présence réelle, de l'Eucharistie sacrement, de l'Eucharistie sacrifice. Dans cette nouvelle édition il a introduit quelques additions utiles pour indiquer les dernières déterminations du Code, préciser la portée du dogme de la transsubstantiation aux premiers siècles, mettre en relief quelques textes de saint Ephrem, examiner certaines théories récentes sur le sacrifice eucharistique. Ce livre sur l'Eucharistie sera utile non seulement aux prêtres qui y trouveront toujours une doctrine sûre et substantielle, mais encore aux fidèles soucieux de mieux connaître et d'aimer davantage ce Mémorial des merveilles divines, synthèse du christianisme, qui achève le mystère d'amour, continue la réparation pour le mystère du mal, inaugure le mystère du triomphe.

Salsmans J. (S. J.). *Biecht- en Altaarsakrament*. 2e uitgave. Leuven, De vlaamsche boekenhalle, 1922. — In 8, VIII-368 bl. — Pr. 12,50 fr.

Onze religieuzen, broeders en zusters, onze onderwijzers, de intellectueelen onder ons volk, allen die behoefte hebben aan diepere

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, IX, p. 626 s., XV, p. 13, 79, 135, 641 et 691.

godsdienstkennis en inniger geestelijk leven, ook onze priesters zullen dit boek bestudeeren. Alles wat over biecht en altaarsakrament in theologisch, kerkelijk en ascetisch opzicht moet gezegd worden, zullen zij daarin op bevattelijke wijze uiteengezet vinden.

De boekenlijst over gewetensvorming, geestelijke leiding, geestelijke brieven, ascetische leerboeken, inwendig gebed en mystiek enz. zal bij velen welkom zijn. Dit boek wordt warm aanbevolen. V. Coucke.

Daisomont M. *Zenuwontstellenissen en psychologische leiding.* Inleiding door Kan. J. Mahieu. [Pædagogische studien]. Brugge, drukkerij s. Catharina, 1921. — In 8, 127 bl. — Pr. 5 fr.

We wenschen schrijver gemeend geluk met zijn zeer nuttig vulgarisatiewerk over de drie zielekwalen, neurasthenie, hysterie en epilepsie. Het beschrijvende deel is geput aan de beste wetenschappelijke werken der hedendaagsche psychiaters Wat de behandeling dezer zieken aangaat, deze ook is ernstig, gesteund op de gegevens van de gezonde zielkunde en van ons kristelijke levensopvatting, en gedeeltelijk ontleend aan eigen ondervinding. In deze behandeling volgen de geneesheeren drie verschillende methoden, de beredeneering, de suggestie ofwel de oefening van de wilskracht. Deze laatste, aangewend door Dr Vittoz van Lausanne schijnt wel 's schrijvers voorkeur te hebben. De behandeling die ons, priesters, toekomt, heeft voor doel aan den zieke gezonde voorstellingen mede te deelen en zoodoende de ziekelijke denkbeelden, begeerten en handelingen allengerhand uit te sluiten en zijne psychologische wanorde te heelen. Daartoe is vereischt 1. overtuiging dat we te doen hebben met een waren kranke, 2. voorzichtigheid in 't beoordeelen van zijnen toestand en in den aard van onze betrekkingen, 3. rechtzinnige en krachtdadige sympathie. Eindelijk biedt onze kristelijke beschouwing van leven en dood, lijden en vreugde, tijd en eeuwigheid ons een hulpmiddel van allereerste weerde aan om deze zieleziekten te verhelpen en om 't leven dezer kranken leefbaar en dragelijk te maken.

Een zeer nuttig werk voor al degenen die van ambtswege zielen moeten opleiden, voor ernstige meesters en oversten van kloosters, voor alle priesters in 't onderwijs en in 't ministerie der zielen.

Mahieu H. (S. T. D.). *Probatio charitatis.* Meditationes ad usum cleri. Ed. 3a auctior atque emendatior. Brugis, Beyaert, 1923. — In 12, XXI-609 p. — Pr. 16 fr. (pro Belgio).

« Hæc *Probatio charitatis* accuratæ doctrinæ copia insignis et christiana cum sapientia atque unctione suavi clero proposita, fiat, precamur, omnibus et singulis sua probatio, ut super omnia charitatem habeamus quod est vinculum perfectionis ». Hisce verbis laudatoriis Reverendissimi Præsulis nostri quid commendationis addere possemus? Unum forsan, nimirum additamenta quæ vere faciunt hanc editionem auctiorem atque emendatiorem novum quoque titulum laudis efficere. Experientia multorum edocti, asserere non dubitamus

sacerdotes omnes in lectione, studio, meditatione hujus operis non tantum aptissimum medium ad perfectionem statui suo propriam acquirendam sed et aurifodinam ad instructiones et directionem spiritualem aliis impertiendas, esse inventuros. A. LEGRAND.

Vacandard E. *Etudes de critique et d'histoire religieuse.* Quatrième série. Paris, Lecoffre, 1923. — In 12, VIII-268 p. — Pr. 7 fr.

Cette quatrième série des *Études de critique et d'histoire religieuse* de M. Vacandard, aumônier du lycée de Rouen, traite successivement de l'apostolat de s. Pierre à Rome, de la papesse Jeanne, de la prophétie de Malachie, de s. Geneviève de Paris, de la fausse Jeanne d'Arc, des origines du Salve Regina, de l'auteur de l'Imitation et de l'âme religieuse de Pierre Corneille. Suivent deux appendices : 1/ Texte de la prophétie de Malachie. 2/ La classification des mss et l'authenticité de la Vita Genovefæ.

Les différentes études, que renferme le présent volume, ont déjà paru, au moins à l'état d'ébauche, ainsi que l'A. le remarque dans son avertissement, ou dans la Revue du clergé français, ou dans la Revue pratique d'Apologétique; cependant plusieurs de ces études, notamment les articles sur la papesse Jeanne et la prophétie de Malachie ont été refondus; le chapitre sur l'auteur de l'Imitation a de même, dans sa première partie, subi de graves remaniements.

Il est inutile de relever l'intérêt de ces différentes études au point de vue historique et apologétique; il nous plaît de constater que M. Vacandard, avec les critiques les plus prudents, assure-t-il, p. 212, incline à penser que la paternité de l'Imitation doit être attribuée à Thomas de Kempen, communément connu sous le nom de Thomas a Kempis. Quiconque a lu les séries précédentes des savantes *Études* de l'A. saura déjà qu'il peut s'attendre à trouver dans cette nouvelle série un exposé clair et méthodique, en même temps qu'historiquement exact; ces belles qualités qui rendent la lecture du présent volume, facile et instructive, en sont également sans doute la meilleure recommandation.

Holemans Fr. pr. *De heilige pastoor van Thildonck, Joannes Lambertz (1785-1869).* Thildonck, 1922. — In 8, 336 bl.

De E. H. J. Lambertz was een vurige heldhaftige priester, die tijdens een halve eeuw aan 't hoofd der parochie Thildonck (bij Leuven) stond en er in 1869 in geur van heiligheid overleed. Hij was een ieverige herder, maar vooral een bewonderingswaardige inrichter van klooster-scholen; hij was namelijk de stichter van de bekende, zeer verdienstelijke Congregatie der Ursulinen van Thildonck.

Zijn levensbeschrijving, door E. H. Holemans, is niet alleen een welgelukte bijdrage tot de geschiedenis van het bisdom Mechelen, ze is ook, zooals Kard. Mercier getuigt in een vereerenden brief aan den schrijver « een oproep tot inwendig leven en tot apostolaat ».

R. DE SCHEPPER.

Opera ad redactionem missa (1).

Balthasar, N. *Vie de Mère Elisabeth*, fondatrice des Sœurs franciscaines de Scailmont-Manage. Louvain, « Nova et Vetera », 1921. — In 16, 100 p. — Pr. 3 fr.

Ce livre écrit avec une grande simplicité et vive piété fait connaître les origines modestes d'une institution belge, aujourd'hui en pleine prospérité. Il fait aussi aimer et vénérer les belles vertus d'une âme héroïque, ardente d'apostolat, pleine d'esprit de foi surnaturel.

Bessières, A. (S. J.). *Le livre de la croisade eucharistique.* Toulouse, Apostolat de la Prière, 1922. — In 16, XVI-415 p. — Pr. 5 fr.

Id. *La croisade eucharistique des enfants. Directoire des aumôniers, zélateurs et zélatrices.* Toulouse, 1922. — In 8, 128 p. — Pr. 1 fr. 50.

Bournet, L. *Le christianisme naissant. Expansion et luttes.* Paris, Téqui, 1923. — In 12, X-482 p. — Pr. 8 fr.

Callewaert, L. J. (O. P.). *De sterke Vrouw van Vlaanderen.* « Veritas », Theresianenstraat, 13, Gent. — In 8, 434 bl. — Pr. 8 fr.

Id. *De Haat tegen het Kind.* H. Soenen-De Craemere, Yperstraat, 23, Rousselare. — 58 bl. — Pr. 1.50 fr.

Carbone, C. *Examen Confessariorum*, ad codicis juris canonici normam. Taurini, Marietti, 1921. — In 8, XVI-368 p. — Pr. 10 fr.

De imitatione Christi. Turin, Marietti, 1922. — In 32, 377 p. — Pr. 4 lib. ital.

Editio 52ª taurinensis nitida et optima. Librum hunc non Thomæ a Kempis, neque Gersonio, sed Gersenio, abbati Vercellensi invictis (?) argumentis De Gregory censet editor tribuendum! Ut quid nota hæc?

De Keyser, C. (S. S. S.). *Les sept paroles de N. S. en croix.* Bruxelles, 205, Chaussée de Wavre, 1921. — In 12, 91 p.

Sept méditations écrites suivant la méthode du Vén. P. Eymard, divisées d'après les quatre fins du sacrifice. Les prêtres-adorateurs s'en serviront utilement pour faire leur adoration hebdomadaire.

Farrugia, N. (O. S. A.). *De casuum conscientiæ reservatione*, juxta codicem Juris Canonici. Taurini, P. Marietti, 1922. — In 8, 70 p. — Pr. 3.50 lib. ital.

Godts, F.-X. (C. SS. R.). *La Patène, Mémorial de la vierge-Prêtre pendant la messe. (Etude ascético-liturgique).* Esschen, 1921. — In 16, X-65 p. — Pr. 1 fr.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Golla, E. *Zwischenreise und Zwischenbrief (Bibl. Studien*, XX, 4). Freib. in Br., Herder, 1922. — In 8, XII-110 p. — Pr. 7.50 fr.

Grimaud, C. *Futurs Epoux. Aux grands jeunes gens.* Paris, Téqui, 1921. — In 12, VI-304 p. — Pr. 5 fr.

Harrasser, G. (S. J.). *Marianisches Leben.* Bilder aus dem Walten und Wirken der Marianischen Kongregationen. Freiburg i. B., Herder, 1922. — In 12, VIII-320 p. — Pr. 24 Mk.

Eenige schoone tafereelen waaruit blijkt 't overgroot nut der congregatiën van Onze Lieve Vrouw.

Hoornaert, A. (S. J.). *Doopsel in den nood en rol van den geneesheer.* Brussel, Action catholique, 1922. — In 16, 24 bl. — Pr. 1 fr.

Id. *Baptême d'urgence pour raisons médicales.* Bruxelles, Action cathol., 1922. — In 16, 32 p. — Pr. 1 fr.

Id. *Les durs réveils.* 4e éd. Bruxelles, Dewit, 1922. — In 16, 140 p. — Pr. 2 fr.

Excellent opuscule, destiné aux jeunes recrues de l'armée belge, sur les périls et tares physiques de l'inconduite. Mérite vraiment les éloges qu'on lui a décernés de toutes parts.

Ignatius von Loyola. *Geistliche Briefe und Unterweisungen.* Gesammelt und ins Deutsche übertragen von Otto Karrer, S. J. — Freiburg im Breisgau, Herder, 1922. — In 12, VIII-298 p. — Pr. 42 Mk.

Dit boek is een goede bloemlezing uit s. Ignatius' werken, uit zijn Exercitia, zijn briefwisseling vooral, zijn geestelijk dagboek en zijn kenspreuken. Dit werk en 't boek van Harrasser worden aanbevolen als duitsche lezing voor onze college-boekerijen.

Janssens, H. L. (Mgr). *Fleurs éparses. Flores sparsi.* S. Augustin, Bruges, 1922. — In 16, 302 p. — Pr. 6 fr.

Anthologie de poésies françaises et de poésies latines que les fêtes de l'Eglise, ramenées par le cycle de la liturgie, ou d'autres solennités ont inspirées au pieux et savant évêque. On y retrouve une doctrine sûre, formulée avec précision; enchaînée au rythme et fondue avec lui, la théologie lui communique son intense vibration.

Laurent. *Directoire pratique pour le clergé d'après le nouveau droit canonique et les décisions récentes des Congrégations romaines.* 4e Edition, Paris, Téqui, 1923. — In 12, XVII-286 p. — Pr. 5 fr.

Memento de droit canonique qui permettra au clergé séculier de se renseigner rapidement sur ses droits et ses devoirs. Il ne dispense nultement les prêtres d'avoir un *Codex* et un bon commentaire.

Leclercq. J. *S. Catherine de Sienne, catholique romaine* ou *La Mystique de l'apostolat.* Bruxelles, Dewit, 1922. — In 8, XI-342 p. — Pr. 7.50 fr.

Le titre indique suffisamment la tendance et le but de cette vie de sainte, qui est en même temps un leçon de catholicisme entier, simple et droit. C'est une œuvre d'érudition et de critique, mais aussi un livre de doctrine et d'édification, dont la lecture rend meilleur. Très belle surtout la «prière de l'auteur à la sainte», qui termine l'ouvrage; dans ces lignes écrites à Sienne et à Rome, où Catherine vécut en mourut, passe un souffle émouvant de piété catholique.

Leday, J. *Haut les cœurs. Une discussion animée au village.* (Causerie apol.). Verrières-le-Buisson (S.-et-O.), 1923. — In 16, 60 p. — Pr. 1 fr.

Lessii, L. (S. J.). *Recollectiones precatoriæ.* Ed. Car. Van Sull, S. J. Brugis, Beyaert, 1922. — In 18, 128 p. — Pr. 2.50 fr.

Opusculum suavissimæ unctionis et altissimæ doctrinæ plenum, quod omnibus sacerdotibus valde commendamus.

Oesterle, G. (O. S. B.). *Dispensatiebevoegdheden van huwelijksbeletselen in dringende gevallen*, naar het duitsch bewerkt door Dom A. Brenninkmeyer. Leuven, Vlaamsche Boekenhalle, 1921. — 51 bl.

Reynaud, S. *La morale du Christ.* 2e éd. Paris, Téqui, 1923. — In 12, XXXV-200 p. — Pr. 5 fr.

Sinthern, P. (S. J.). *Religionen und Konfessionem im Lichte des religiösen Einheitsgedankens.* Freiburg, Herder, 1922. — In 8, VII-192 p.

Soyons apôtres. Source et pratique de l'apostolat. Par une servante du S. C. 3e édition. Bruges, Société S. Augustin, 1922. — In 18, XXIV-149 p. — Pr. 2 fr.

Toutes les âmes désireuses de se vouer à l'apostolat se serviront avec profit de ces pieuses méditations.

Van Cantimpré, Th. *Het leven van de Heilige Lutgart.* Verdietscht en ingeleid door Al. Janssens. Vlaamsche Boekenhalle, Leuven.

Deze schoone levensschets van hunne patrones vond terecht grooten bijval onder onze vlaamsche studenten. Mochten allen erin 't opperste richtsnoer zoeken hunner strevingen en 't hoedmiddel tegen noodlottige stroomingen van onafhankelijkheid en onzijdigheid !

Verhelst, F. *Cours de Religion. Apologétique.* Bruxelles, Dewit, 1921. — In 12, XV-378 p. — Pr. 7.50 fr.

Id. *Précis de Dogmatique* (ouvrage destiné à l'enseignement secondaire). Bruxelles, Dewit, 1923. — In 12, 238 p.

Vigouroux-Bacuez-Brassac-Ducher, J. *Manuel biblique* (éd. 14). T. I *Introduction générale.* T. II (2 vol.) *Ancien Testament.* Paris, Roger et Chernoviz, 1920. — In 12, IX-317; VI-535 p.

Vogels, H. J. *Novum Testamentum græce et latine.* Düsseldorf, Schwann, 1922. — In 12 (2 vol.) XVI-661 p.

Willy, Ch. (C. SS. R.). *Le Bréviaire expliqué.* 2e éd. Esschen, Librairie S. Alphonse, 1922. — In 12, 317 et 380 p.

Id. *Explication du petit office de la Sainte Vierge Marie, suivie du petit office de l'Immaculée Conception.* Esschen, Librairie S. Alphonse, 1922. — In 24, 315 p. — Pr. 3.50 fr.

Wikenhauser, A. *Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert.* Münster i. W., Aschendorf, 1921. — In 8, XVIII-440 p.

Collationes Brugenses

Litteræ apostolicæ

DILECTO FILIO NOSTRO

DESIDERATO S. R. E. PRESB. CARD. MERCIER

ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI

CETERISQUE BELGARUM EPISCOPIS

PIUS PP. XI

DILECTE FILI NOSTER, VENERABILES FRATRES,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quam, ante mensem, communiter ad Nos dedistis epistulam, periucunda ea Nobis accidit cum ob singularem, quam redolebat, pietatem erga Nos vestram, tum ob multa ac præclara quæ de variis argumentis significabatis. Place propterea testimonium illud observantiæ vestræ publico rependere grati animi Nostri testimonio, nullamque earum rerum præterire, quas tanto pastoralis animi ardore ad Nos attulistis. Vocari divinitus istic ad sacerdotium adulescentes bene multos non sine magna delectatione comperimus; quod autem plerique eorum huc spectent, ut vel iuventuti rite instituendæ suo tempore se devoveant vel sacra Christi legatione in dissitis infidelium regionibus fungantur, non est profecto cur metuatis ne procuratio apud vos animarum ob curionum penuriam aliquando depereat. Dei enim providentiæ est, ut vosmet ipsi facitis, perpetuo confidendum, quæ minime iis de causis patiatur sacros suæ quemque diœcesi deesse operarios. Quibus in excolendis, scribitis, velle vos, quoad fieri poterit, ea exsequi quæ de Seminariis deque ratione sacras tradendi disciplinas monuimus, neque minus curaturos assidue, ut ad duas priores, quas dedimus, Encyclicas Litteras populus unicuique vestrum creditus conformetur. Et recte quidem: quid enim Ecclesiæ, adeoque ipsius civitatis, magis ad prosperitatem intersit, quam ut, remotis præsentium malorum causis restitutaque inter gentes pace et tranquillitate ordinis,

homines per evangelicum ministerium actionemque catholicam ad Deum revocentur, et, Salesio facilioris disciplinæ magistro, ad assequendam vitæ sanctimoniam contendant? Itaque confidimus verba per vos Nostra sic in Belgarum insidere animis, ut exploratissimam eorum voluntatem ad procurandam societatis humanæ emendationem acrius incendant. Sed alia, quæ pressius propiusque ad vos pertinent, grato quidem animo commemoratis: ea dicimus, quæ, proximi decessoris vestigiis insistentes, Litteris Nostris « Quæ tu » die XVI mensis Novembris superiore anno datis, adhibuimus benigne monita, cum « Acta et Decreta Concilii Provincialis Mechliniensis quarti » ad vos, legitime recognita, mitteremus. Ex ipsa sane communi epistula vestra luce clarius apparet, vos, ut Episcopos unius eiusdemque provinciæ ecclesiasticæ in primis decet, « fraterno amore inter vos cohærere » atque idem sentire « nullo discrimine nec generis nec linguæ ». Neque minus concorditer profitemini, curaturos vos diligenter, ut sacrorum alumni et clerus ad supernaturale vitæ institutum, quemadmodum hortabamur, fingantur atque assuescant, seduloque caveant quidquid dissensiones et discidia inter cives commovere queat, ut controversias illas de rebus politicis deque linguæ et generis varietate. In quo cum videamus vos Nobiscum uno animo consentire, hac in re diutius morari non attinet. Quod reliquum est, iterum vobis spem bonam, qua nitimur, aperimus, fore ut, deprecatrice B. Virgine, quam suavissimo GRATIARUM OMNIUM MEDIATRICIS titulo in diœcesibus vestris, Apostolicæ Sedis concessu, veneramini et colitis, religionis studium morumque integritas apud carissimos Nobis Belgicæ filios florere ac vigere pergat. Quod ut facilius e communibus optatis contingat, cælestium munerum auspicem paternæque benevolentiæ Nostræ testem, vobis, Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres, et clero populoque uniusque vestro apostolicam benedictionem paramanter impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die X mensis Junii anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI.

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 15 Maii 1923, in Palatio Episcopali, Brugis.

Recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ D^nus^ venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Venerandi admodum ac dilectissimi Domini,

In hac rerum perturbatione, quam conspicimus, nemo sanæ mentis qui non sit de futuro sollicitus et anxius seipsum interroget quisnam exitus exspectandus, sperandus aut timendus sit.

Porro, nullus mortalium videtur inveniri, qui prævidere ac prædicere vel conjecturando valeat responsum interroganti dandum. Attamen, cum certo sciamus Deum omnipotentem sua Providentia, summa cum sapientia et bonitate, regere universa, si ignoramus quid sperandum, aut metuendum sit, cognoscere saltem possumus an spei anvero formidini locus sit: nostrum enim est vel placare Dei iram, vel eam magis provocare, ut iterato in litteris encyclicis monuit Summus Pontifex, gloriose regnans.

« Rerum omnium, ait (1), perturbationem, quæ nunc adest, cum proxime in Encyclicis Litteris (2) consideraremus medendi gratia, vidimus in ipsis hominum animis inhærere malum, ejusque sanationem tum demum sperari posse si Jesu Christi medica per Ecclesiam sanctam manus invocetur. Etenim hæc tanta cohibenda est intemperantia cupiditatum, quæ, bellorum litiumque causa princeps, sicut communem vitæ consuetudinem, ita nationum commercia pervertit: deducendæ simul a fluxis caducisque bonis mentes singulorum, atque ad sempiterna et immortalia, quorum incredibilis incuria plerisque incessit, convertendæ. Cum autem singuli fere officium sancte servare instituerint, eo ipso melius erit humanæ societati Atqui huc omne spectat cum magisterium tum ministerium Ecclesiæ catholicæ, ut homines et traditæ

(1) In encycl. *Rerum omnium*, de S. Francisco Salesio.

(2) Scilicet *Ubi arcano Dei*.

divinitus veritatis prædicatione erudiat et uberimis divinæ gratiæ effusionibus sanctificet ; atque ita hanc ipsam civilem societatem, quam olim ad christianos spiritus conformavit et finxit, ubi de via deflectentem animadverterit, revocare in pristinum contendat ».

Jamvero, quod nos sacerdotes peculiariter spectat, qui omni tempore et loco populo præire debemus exemplo, sed et illum cœlesti doctrina monistisque salutis erudire, manifestum est oportere ut hac luctuosa tempestate vitam instituamus eo fervidiorem in amore et servitio Dei, in pœnitentia et mortificatione, quo magis inolere videmus vitia et concupiscentiam rerum fluxarum mundique vanitatum, atque eodem gradu refrigescere charitatem Dei et proximi.

Nullo quoque tempore clarius apparuit urgens orandi necessitas, quam inculcat propheta (1) : « Plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent : Parce Domine, parce populo tuo ».

Habent quidem hostes arma multiplicia, quibus impugnent fidem et mores christianos: habent aurum, quo animas emant et pervertant, tum heic tum in exteris regionibus, ubi, hoc potissimum tempore, sicuti scitis ex relationibus missionum, nimium abutuntur auro ut miseros infideles, quos e tenebris et regno Satanæ eripere tot laboribus et lacrymis conantur missionarii nostri, ipsi transferant ab uno in aliud pariter noxium diaboli regnum prædicando hæresim, vel potius eos externe mutando et vertendo in homines civilitatis cujusdam humanæ, qui quidem, ut testatur quidam Vicarius Apostolicus, similes redduntur rationalistis, suos congeneres summo despectui habent, et jam sunt ad veritatem inconvertibiles.

Habent hostes et alia arma, quibus seducant animas: omnia nempe illa quibus mundus perversus et Satanas utuntur ad mores corrumpendos, ad sensum religionis minuendum vel et extinguendum,

Atvero si hæc arma nobis desunt et pleraque deesse debent, ipsis hostibus deficiunt omnino arma militiæ nostræ, eaque invicta et semper efficacia: scilicet vita sancta et oratio; quid enim aliud sunt quam Omnipotentia auxilians nobis in manu tradita?

Neque obliviscamur hæc sola arma valere in hostem potentissimum, Satanam, cujus insidias homines hodierni

(1) *Joël*, II, 17.

non satis timere vel non advertere videntur, cum tamen ejus actio in mundo rite inspicienti evidens appareat. Non tantummodo inter populos sedentes in tenebris et umbra mortis adhuc se manifestat suamque tyrannidem in eos sæpe exercet aperte, sed et apud nos et ubique seipsum plerumque occultans per nefarios asseclas suos efficaciter agit: homines enim perversos cujuscumque sectæ vel nominis instrumenta esse vel inconscia, aliquando et conscia nequissimi spiritus, negari nequit. Et ex præconcepto consilio et ratione rite delineata se suos sectatores dirigere, attente inspicienti res et eventus dubium esse nequit; aliquando etiam se transfigurat in angelum lucis ut et bona vertat in mala. Sic, v. gr., dum ab una parte sub prætextu libertatis laborandi et necessitatis progressus in operando requiem diei dominicæ violari instigavit, ab altera parte nunc favet, etiam apud rectores reipublicæ quos jam videt a religione alienos vel et eidem hostiles, otio hebdomadario, nequaquam ut præceptum Domini attendatur, sed quasi homo pro libitu disponat de die ad otiandum, sicuti de aliis diebus ad operandum, et hoc attento, quod pro perversitate morum jam inducta et vacillante fide multorum, non sit dies Domini, sed potius dies ipsius Satanæ, non officio religionis consecrata, sed oblectationibus omne genus malis aut periculo plenis, quibus homines ab ecclesiis frequentandis avertuntur et mores corrumpuntur. Quot eheu! sunt moderna diaboli inventa, quibus et fides ac sensus religionis labefactantur et mores deteriores in dies magis increbrescunt.

Nonne evidens quoque est diaboli actio rite præparata et pedetentim, pro diversis adjunctis seu opportunitate, executioni mandata, in re scholari; ita ut scholæ catholicæ libertas continuo coarctetur et oppugnetur, et in aliquibus jam regionibus pueri et adolescentes priventur omnino doctrina et institutione religiosa, et exsurgant in generationem alienam ab Ecclesia vel et plane impiam.

Sed hæc sufficiant, ut intelligamus audienda esse et nunc temporis monita Apostolorum, Petri dicentis: « Sobrii estote et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide (1) ». Et Pauli, qui ait: « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias

(1) *I Petri*, v, 8-9.

diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei... In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere » (1). Audiamus et Jacobum: « Resistite... diabolo, et fugiet a vobis » (2).

SS. Patres quoque quam sæpe monent fideles ut vigilent et sese defendant a diabolo. Sed et nuper Summus Pontifex Leo XIII orationem præscripsit, quam quotidie recitamus post missam celebratam, in honorem S. Michaelis Archangeli, quem precamur ut nos defendat in prælio, ut contra nequitiam et insidias diaboli sit præsidium, ut Princeps militiæ cœlestis Satanam aliosque spiritus malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, in infernum detrudat.

Quæ cum ita sint, opponamus conatibus Satanæ ejusque asseclarum arma nostra, præprimis vitam sanctam et orationem assiduam, eaque arma sæpe sæpius in concionibus et monitis fideli populo commendemus. Supervacaneum ducimus hæc amplius evolvere, siquidem scitis quam frequenter hortati sumus verbo et scripto dilectum Clerum et gregem nobis commissum, ad vitam ducendam vere christianam atque perfectam. Sufficiat nunc iterato traditam doctrinam ad memoriam revocare sedulo meditandam et ad praxim cum bona voluntate deducendam: et instanter atque instantius compellare dilectum Clerum, ut ad perfectionem vitæ sacerdotalis usque ac in dies ferventius contendat, utque tum in sacrosancto Sacrificio, tum in oratione canonica aliisque precationibus cum omni devotione ac fervore oblatis Deum exoret, non tantummodo ad privatas intentiones, sed memores Communionis Sanctorum, ad Ecclesiæ et Summi Pontificis intentiones: pro publicis patriæ et Ecclesiæ necessitatibus, pro conversione peccatorum, perseverantia justorum, exaltatione S. Matris Ecclesiæ et regressu ad ejus gremium dissidentium populorum, necnon propagatione Fidei in regionibus infidelium. Quod quidem precum subsidium tamquam præcipuam eleemosynam missionarii implorant continuo et Summi Pontifices hisce ultimis annis indesinenter commendant.

---

(1) *Ad Ephes.*, VI, 11-12.
(2) *Epist. cathol.*, IV, 7.

Tandem notemus, quod maximi sane momenti est, tum populo christiano, tum præprimis sacerdotibus cohærendum esse quam intime cum Ecclesia ejusque Pastoribus, præprimis Summo Pastore, Vicario Christi in hisce terris, eorum non tantummodo præceptis sed et monitis ac consiliis fideliter obsequendo. Id hodiedum eo magis necesse est, quod, cum indubie « Non est... potestas nisi a Deo » (1); contra, diabolus ejusque asseclæ res jam eo deduxerunt, ut potestatem esse ab hominibus non verbis tantum sed et re ac facto asseratur in republica fere ubique gentium; ex quo factum est ut reverentia et subjectio erga omnem auctoritatem pessumdetur.

Discipulorum vero Christi est hunc errorem tum verbo, tum præcipue facto oppugnare, reverendo potestatem eique obediende quam fidelissime. Nobis autem sacerdotibus inde optatissimum hoc consequetur, quod in omni actione unicum scopum vitæ nostræ, videlicet Dei gloriam et salutem animarum præ oculis habebimus, missis ac neglectis quæ huic fini non inserviunt, vel et plerumque favent animorum dissidio, cum detrimento necessariæ unionis et fraternæ charitatis.

Cum omni reverentia et docilitate audiamus Supremum Pastorem, qui et Decessoris sui Benedicti XV monitum rursus inculcat: « Persuasum habetis hoc ante omnia esse efficiendum, ut actio Cleri, cujus est fidelem populum ducere in christianarum exercitatione virtutum, usque evadat efficacior. Quamobrem non ii solum qui sacra ministeria jam obeunt, sed etiam qui ad ea suo tempore obeunda in Seminariis instituuntur, vivendi rationem teneant oportet vere supernaturalem, humana omnia, ut infra se posita despicientes, itemque caventes sedulo quidquid discidia affert animorum, ut maxime sunt de rebus politicis deque linguæ et generis varietate quæstiones. Nos equidem hac in re certo scimus semper futura vobis ante oculos ea quæ vos, Episcopos Belgarum, decessor Noster desideratissimus hortatus est datis litteris die X Februarii a. MCMXXI, eaque Nos hortamenta renovamus hic et confirmamus. Quarum præscripta litterarum, uti documento sunt paternæ caritatis qua Jesu Christi Vicarius Belgas prosequitur, ita, si diligenter, ut par est, observentur, magno erunt emolumento nationi vestræ, consensionem concordiamque fidelium inter ipsos

1) *Ad Rom.*, XIII, 1.

adjuvando. Nemo non videt hujusmodi studium conjunctionis prorsus esse bonis necessarium, si velint cum fructu niti pro salute communi. Plane igitur confidimus fore ut vobiscum, valide ipsis inter vos fraterno amore cohærentibus, universi isti et clerici et laici, obsequii pietatisque conjuncti vinculis, quæ filios decent, adhæreant, nullo discrimine nec generis nec linguæ. Ita, florente usque magis istic Ecclesia, Belgarum gens catholicæ fidei professione christianisque moribus elucere perseverabit » (1).

Singulos sacerdotes et clericos dilectissimos compellamus cum Apostolo: « Hæc meditare, in his esto » (2). Hæc enim bona erunt et vobis et omni populo nostro.

Et quod hunc attinet, unum verbulum adjicimus quod omnibus qui curam animarum gerunt, sive in parœciis, sive in scholis, animum addat, et unam alteramve viam ostendat ad religionis sensum moresque christianos servandos et fovendos, et obtinenda de quibus diximus bona.

Et primo quidem, si non paucas atrocis belli sequelas lugendas habemus, aliunde videmus partem electam, in dies numerosiorem, quæ ad vitam interiorem et sanctam anhelat et sane lætam spem ingerit in futurum. Quod sine dubio tribuendum est præprimis sanctæ Communioni frequentiori necnon devotioni succrescenti SS. Cordis, quæ proinde sedulo fovendæ sunt et, Deo sint laudes, a zeloso Clero nostro foventur apud fideles, incipiendo ab ipsa puerili ætate: inter sic dictos « Cruciatos Eucharisticos » in diœcesi jam numerantur ultra triginta millia puerorum.

De universa plebe christiana pariter hinc inde non minore gaudio et gratiarum actione in Deum accepimus nuntium de optimo missionum parochialium successu, quæ ut ubique pro opportunitate et juxta præscripta diœcesana fiant, vehementer commendamus, cum nihil efficacius fieri possit ut fides minime extincta fortior reviviscat in animis. Deus scit quot animæ salutem inveniunt in missione! Si ergo tempus advenit eam celebrandi, prima opportunitate oblata utatur parochus ut ea

---

(1) Epistola SS. D. N. Pii XI ad Episcopos Belgii, de die 16 Novembris 1922; præmissa Actis et Decretis Concilii Provincialis Mechliniensis quarti; et vid. *Collat. Brugen.*, t. XXIII, p. 228.

(2) *I ad Tim.*, IV, 15.

instituatur ; et hoc anno si fiat, memor sit præcepti Summi Pontificis jubentis ut in omnibus parœciis supplicationes fiant per hunc annum, ad diem octavum ac vicesimum mensis Decembris, in honorem S Francisci Salesii, « cum intersit, *ait*, quam maxime, populum de iis diligenter erudiri quæ, Salesio duce, eum ad altiora promoveant (1) ». Si ergo hoc anno missio fiat, præter exercitia solita et conciones missionum, attendant prædicatores ad præscripta Pontificis eaque fideliter sequantur, diligenter prius perlectis et sedulo recogitatis litteris Encyclicis *Rerum omnium* de S. Francisco Salesio (2). Si vero tempus missionis tradendæ non advenit, fiant supplicationes saltem triduanæ, ad mentem eamdem Summi Pontificis.

Faxit Deus ut, duce et intercessore Salesio, animæ nobis commissæ sanctificentur, et quæ sanctæ sunt sanctificentur adhuc atque ad altiora usque promoveantur.

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. votis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes :

I.

Ad mentem Canonis 308 Concilii provincialis Mechliniensis IV, et derogantes Statutis diœcesanis Part. II, art. 1 § 4 necnon decreto III Congr. Prosynodalis anni 1914, præcipimus ut etiam in ipsis festis solemnioribus, sub omnibus missis, *brevis* fiat instructio circa mysterium festi occurrentis ; non tamen ideo omittatur concio tempore pomeridiano habenda.

***

In parochiis ubi, necessitate vera cogente, ad missam dominicalem quæ celebratur pro alumnis scholarum, admitti debent reliqui fideles, omitti nequit instructio pro populo facienda.

II.

Opportunitatem nacti tridui sacri in honorem S. Francisci Salesii celebrandi RR. DD. Parochi multum commendent fidelibus confraternitatem sub vocabulo ejus-

(1) Encycl. *Rerum omnium*, in fine.
(2) V. *Collat. Brug.*, t. XXIII, initio.

dem Sancti olim in universa diœcesi canonice institutam, ad fidei catholicæ in regionibus nostris conservationem et defensionem. Ubi forte sodalitas illa extincta sit, denuo erigatur; alibi adaucto membrorum numero, novum vigorem acquirat. — Minima taxatio a membris annue solvenda in posterum erit 1 fr.

III.

Monemus RR. DD. Parochos ut casualia stipendia tum vicepastoribus suis, tum aliis ecclesiæ inservientibus, tempestive i. e. in fine cujusque mensis fideliter solvant, distincte indicando officia ad quorum honoraria percipienda, juxta ecclesiæ tariffum approbatum, jus habent. — Insuper, quod sacristas aliosque ecclesiarum officiales attinet, renovamus monita et commendationes epistola nostra diei 29 Novembris 1919 contenta. — Tandem in memoriam revocamus Parochorum quæ præscripsimus circa conferentias cantus, libros liturgicos etc., n. XI Epistolæ ad Clerum d.d. 10 Februarii 1914.

IV.

Præter solemnem visitationem quam singulis quadrienniis instituere debent, RR. adm. DD. Decani parochias sui districtus, privatim, saltem semel singulis annis visitent, ecclesiam parochialem et sacristiam perlustrent et parochum de præcipuis officiis suis (signanter de scholarum cura et hebdomadaria confessione sanctimonialium ac conferentia menstrua eis tradenda) atque vicepastores et sacristam interrogent.

***

Decano parochiam *solemniter* visitanti ex ecclesiæ fabricæ deinceps solvetur in omnibus parochiis, præter expensas rhedæ, summa triginta francorum — Eidem occasione conventus annui parochorum districtus, feria 3ª quæ sequitur dominicam 3ᵐ post pascha, solvantur a singulis pastoribus viginti franci, pro expensis variis.

V.

Decanis in districtu suo competit quidem facultas eis per Statuta diœcesana delegata benedicendi novas campanas, non vero jam licet pro benedictione illa uti ritu

Pontificalis Romani qui sacram unctionem importat, sed ritu simpliciori in recentibus Ritualis Romani editionibus descripto.

VI.

Opportunum ducimus ut Parochi majorum paræciarum, ubi bene multæ solent occurrere publicationes matrimoniorum faciendæ, his, ad normam canonis 208 Concilii Mechlin. IV, partim substituant publicam ad valvas ecclesiæ parochialis affixionem nominum contrahentium.

***

In describendis matrimoniis deinceps inscribatur dies *nativitatis* conjugum, loco diei baptismi suscepti.

VII.

Quæ sequuntur facultates 16 Septembris 1922 a S. Pœnitentiaria, ex speciali Sedis Apostolicæ auctoritate, ad quinquennium Nobis delegatas, Canonico Pœnitentiario et Vicariis Foraneis seu Decanis Nostræ diœceseos subdelegamus, quatenus eis uti valeant, ad diem usque 15 Septembris 1927, intra fines diœceseos et in actu sacramentalis confessionis dumtaxat:

I. Absolvendi quoscumque pœnitentes (exceptis hæreticis hæresim inter fideles e proposito disseminantibus) a quibusvis censuris et pœnis ecclesiasticis ob hæreses tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas incursis; postquam tamen pœnitens magistros ex professo hæreticalis doctrinæ, si quos noverit, ac personas ecclesiasticas et religiosas, si quas hac in re complices habuerit, prout de jure, denunciaverit; et quatenus ob justas causas hujusmodi denunciatio ante absolutionem peragi nequeat, facta ab eo seria promissione denunciationem ipsam peragendi cum primum et quo meliori modo fieri poterit, et postquam in singulis casibus hæreses coram absolvente secrete abjuraverit: injuncta pro modo excessuum gravi pœnitentia salutari cum frequentia sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas coram quibus hæreses manifestavit, atque allata scandala reparandi.

II. Absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis eos qui libros apostatarum, hæreticorum aut schismaticorum, apostasiam, hæresim aut schisma propugnantes, aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos defenderint aut scienter sine debita licentia legerint vel retinue-

rint; injuncta congrua pœnitentia salutari ac firma obligatione supradictos libros, quantum fieri poterit, ante absolutionem, destruendi vel Tibi (Ordinario) aut confessario tradendi.

. . . . . .

IV. Absolvendi a censuris et a pœnis ecclesiasticis circa duellum statutis, in casibus dumtaxat ad forum externum non deductis ; injuncta gravi pœnitentia salutari, et aliis injunctis, quæ fuerint de jure injungenda.

V. Absolvendi a censuris et pœnis ecclesiasticis eos qui nomen dederint sectæ massonicæ; aliisque ejusdem generis associationibus, quæ contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur; ita tamen ut a respectiva secta vel associatione omnino se separent eamque abjurent, ac denuncient, juxta can. 2336 § 2, personas ecclesiasticas et religiosas, si quas eidem adscriptas noverint; libros, manuscripta ac signa eamdem respicientia, si qua retineant, in manus absolventis tradant, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda aut saltem, si justæ gravesque causæ id postulent, destruenda ; injuncta pro modo culparum gravi pœnitentia salutari cum frequentatione sacramentalis confessionis et obligatione illata scandala reparandi.

. . . . . .

VII. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis perfectæ et perpetuæ, privatim post completum XVIII ætatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, hujusmodi pœnitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si conjugi supervixerit.

VIII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac injuncta gravi et diuturna pœnitentia salutari.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo pariter sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis ; injuncta gravi et diuturna pœnitentia salutari (1).

† GUSTAVUS-JOSEPHUS, Episc. Brugen.

---

(1) Cfr apud *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 163 s. nonnullas adnotationes circa facultates de re matrimoniali.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis aprilii propositas.

—

I.

In Matth., VI, 25-34.

Q. *Paucis contrahe doctrinam Christi de* anxia solicitudine *circa res temporales* vitanda, *quæ refertur apud* Mt., *VI, 25-34; — et speciatim explica vv. 27 et 34.*

R. In præclara illa doctrina quam circa bona temporalia hujus mundi in sermone montano exponit Christus apud Matthæum, inde a VI, 19, *duo* hæc *capita* distingui facile possunt : *prius*, ne plus æquo inhiemus divitiis thesaurizandis, seu ne *superflua* nobis coacervemus ; *alterum*, ne nimis simus soliciti etiam de illis obtinendis quæ vitæ nostræ *necessaria* esse videntur. Prius illud doctrinæ caput habes in vv. 19-24, et in præcedenti responso expositum reperies (1); alterum jam est explicandum.

Hos verss. legenti et meditanti apparebit hanc paginam Scripturæ merito inter præclarissimas computari, tum ratione doctrinæ altissimæ abnegationis quam inculcat, tum ratione ipsius expositionis et styli : adeo enim suaves sunt comparationes adhibitæ, adeo stylus est vividus, interrogationibus refertus et ardentibus exhortationibus.

Thesim enuntiat (2) Christus in v. 25ª: *Ne sitis soliciti animæ*, i. e. vitæ *vestræ*, *quid manducetis* ad illam vitam

(1) V. supra, pp. 206 s.

(2) Hæc enuntiatio per modum conclusionis ex præcedentibus colligitur: *Ideo* dico vobis...: quia nimirum oportet Deo soli servire, non autem divitiis temporalibus, oportet vitare nimiam hanc circa temporalia solicitudinem, utpote quæ et ipsa species quædam est servitutis erga temporalia.

sustentandam, *neque corpori vestro, quid induamini:* ne ergo circa ipsa necessaria vitæ sitis nimis præoccupati (1) — Et statim variis *argumentis* eam thesim fulcitur :

a/ Deus, qui dedit vobis vitam et corpus, a fortiori dabit vobis res minores quas ipse bene novit ad illa esse necessarias. Jamvero *nonne anima*, nonne vita corporalis *plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum* (v. 25[b])?

b/ Deus qui curam habet de nutriendis creaturis suis vilioribus, a fortiori curam habebit de iis quæ sunt nobiliores et sibi cariores. Jamvero *respicite volatilia cœli*, i. e. aves quæ libere volant per aërem, in oppositione ad aves domesticas, quæ ab hominibus aluntur (2) *non serunt neque metunt neque congregant* messem *in horrea*, — *et Pater vester cœlestis pascit*, nutrit *illa;* — et *nonne vos magis plures estis illis?* Estis enim illis nobiliores, utpote homines, — et estis Deo cariores, nam non illis, sed vobis Deus *Pater vester* est (v. 26).

c/ Illa solicitudo de cibis quærendis est plane inefficax. *Quis vestrum cogitans*, i. e. quantamlibet sollicitam curam adhibeat, quis *potest adjicere ad staturam*, seu melius ad ætatem (3) *suam* vel *cubitum unum?* Quantalibet cura

---

(1) Christus non *omnem* præoccupationem excludere a priori certum est, et nonnisi absurde ex verbis ejus concluderes ducendam esse vitam desidiæ et pigritiæ. An forte, ad modum avium cœli (v. 26) neque serere neque metere debemus? Et revera *nimiam* tantum excludi solicitudinem apparet ex contextu: ex v. 33 ubi suademur quærere *primum* regnum Dei, — et ex v. 34 ubi monemur ne simus soliciti *in crastinum*, i. e. in futurum; — et nonne VI, 11 docemur orare ad Deum pro obtinendo *panem nostrum quotidianum?* — Unde sicut sæpius in sermone montano (v. supra, p. 183), ita etiam hoc v. 25 phrasis quidem absoluta est, ast mens Christi cum debitis restrictionibus est audienda.

(2) *Quoniam* Vulgatæ non intelligimus ut part. rationem dantem, sed ut introducens orationem indirectam: Respicite aves non metere..., vel: quomodo non metant; cfr v. 28.

(3) *Statura*, ἡλικία, a modernis, contra plures antiquos, meritò de *ætate*, de duratione vitæ, non vero de *statura* intelligitur. Patet enim Christum adducere *cubitum unum* tamquam aliquid relate ad illam ἡλικίαν minimum (cfr quoque *Lc.*, XII, 26); revera autem cubitus relate ad staturam humanam valde multum esset, dum contrà, relate ad durationem vitæ, per figuram alicujus viæ propositam, vere nihil est.

quæsieris tibi cibos ad vitam nutriendam et prolongandam, nihilominus puncto temporis a Deo statuto erit tibi moriendum, neque valebis omnibus cibis coacervatis longitudinem vitæ tuæ vel uno cubitu prolongare (1).

d/ Argumentum supra circa cibos expositum, jam applicatur vestimentis : *Et de vestimento quid soliciti estis?* Quid anxie quæritis ea vobis procurare? Deus qui curam habet de vestiendis, et quidem tam pulchre, creaturis suis vilioribus, a fortiori curam habebit de iis quæ sunt nobiliores et sibi cariores. Jamvero « *considerate lilia agri* (2), *quomodo crescunt;* et tamen *non laborant*, gr. non dure laborant, sicut viri nempe, *neque nent*, sicut mulieres faciunt. *Dico autem vobis quoniam*, quòd *nec Salomon* etiam tunc quando erat *in omni gloria sua*, vestitus quam gloriosissime, — *coopertus* erat *sicut unum ex istis* liliis ». Et tamen illud *fænum*, illa herba *agri*, quam vilis est : *hodie est et cras in clibanum, in fornacem mittitur* et ad fornacem calefaciendum adhibetur. *Si* illud *Deus sic vestit, quanto magis*, gr. nonne multo magis *vos* vestiet, *modicæ fidei*, modicæ fiduciæ in Providentiam Patris vestri cœlestis?

e/ Et jam sequitur conclusio practica ex præcedentibus : *Nolite ergo soliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* — et additur duplex novum argumentum, nimirum : Ne Christi discipuli agant sicut ethnici qui nil noverunt de paterna Providentia qua Deus filiorum suorum, hominum curam habet : *Hæc enim omnia gentes*, gentiles *inquirunt;* — et

---

(1) Hoc dicto Christus minime nos ad ignaviam excitat, neque fatalismo indulget. Bene facimus, neque hoc Christus redarguit, dum de rebus nobis necessariis moderatam et rationabilem curam habemus; sic enim unice illud præstamus quod ipsa divina Providentia, intuitu servandæ nostræ vitæ, nos præstare vult. Sed stulte agimus, et hoc Christus increpat, si nimis anxie, vel nimiis curis de illis occupamur, *quasi* nimirum *non esset Dei Providentia*, et omnia a nobis essent ordinanda. Et hoc præcise inculcat ratio a Christo allegata. — Cfr *Lc* XII, 16-21.

(2) Lilia *agri*, sicut aves cœli, sunt illa quæ non ab hominibus coluntur, sed sponte nascuntur.

j/ Confidant in Dei Providentiam cui prælucet Dei omniscientia : *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis*, et illud sciens vobis de iis providebit.

Negativam thesim — quod *non* debeant nimis solicite quærere necessaria vitæ temporali – exposuit et probavit Christus; — *positivam* thesim – quid revera quærant — per modum conclusionis ex dictis deducit : *Quærite ergo primum regnum* [*Dei*] (1) *et justitiam ejus*, Dei; i. e : sit objectum nostræ solicitudinis, præ omni alia re, illud regnum cœlorum quod ab initio sermonis montani Christus edocuit cujusque leges servandas exposuit ; aliis verbis : quærite esse sancti illa sanctitate quam vobis descripsi, ut sitis membrum illius regni messianici quod veni fundare in terra et aliquando consummabo in cœlis. — Hisce adnectit novam considerationem qua demonstratur eadem semper thesis :

g/ Quem Deus ita solicitum viderit de acquirenda perfectione morali, illi *hæc omnia* – cibi, potus, vestimenta — *adjicientur vobis;* — dicitur autem *adjicientur*, sive quia illa omnia tamquam res viliores spectantur, sive, melius ut videtur, quia spectantur tamquam talia quæ etiam illa ad regnum Dei et justitiam obtinendam utilia vel necessaria esse possunt.

k/ Tandem ultima additur consideratio, monens nos ne simus *soliciti in crastinum*, i. e. ne nimis simus hodie anxii de iis rebus quibus futuro tempore forte egebimus. Et ratio quidem hæc esse videtur : divina Providentia, de qua continuo agebatur in præcedentibus, sic disposuit vitam nostram ut singulis diebus habeamus aliquam solicitudinem ferendam ; huic Providentiæ dispositioni nos conformantes, crastino die feremus solicitudinem illo die nobis reservatam, neque illius diei curas inutiliter curis diei hodiernæ superaddamus. A. Vander Heeren.

---

(1) Textus gr. videtur legendus: τὴν βασιλείαν καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ; hoc autem αὐτοῦ referendum est ad *Pater vester* v. 32; agitur de illo *regno*, utique *cœlorum*, de quo totus sermo montanus procedit, et de illa justitia quam Pater noster, Deus, et ipse Christus, illius nomine, a nobis exigit.

II.

Controversia de traditione.

Q. *Accurate indica controversiam, quæ catholicos inter et protestantes de sacra traditione viget.*

R. Missa nunc controversia connexa de regula fidei, quam in præcedenti quadam responsione breviter delineavimus (1), exponere intendimus primo doctrinam catholicam, deinde placita protestantica de traditione orali; post hæc, utramque sententiam paucis verbis opponere et integram disputationem brevi formula contrahere licebit.

1/ Juxta *doctrinam catholicam* existunt traditiones sacræ, seu veritates a Deo revelatæ, quæ fidem vel mores spectant, quæque quasi per manus traditæ et continua successione in Ecclesia catholica conservatæ, ad nos usque pervenerunt.

Jamvero istæ traditiones *a/* vel voce *idipsum* continent quod in Scriptura sacra clare enuntiatur (traditio *inhæsiva*); *b/* vel *aliquid addunt*, scil. *declarationem* ejusdem veritatis, quæ in sacris litteris obscure aut implicite tantummodo pronuntiatur (traditio *declarativa*); *c/* vel *addunt aliquod punctum d ctrinæ* in verbo Dei scripto non consignatum (traditio *constitutiva* seu *mere oralis*), uti in præcedenti jam indicatum fuit (2).

Has autem traditiones omnes « pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur » Ecclesia ac ipsam sacram Scripturam, quoniam in iisdem traditionibus idem verbum Dei continetur (3), neque distinguit inter necessaria ad salutem et mere utilia, sed omnia a Deo

---

(1) *Collat. Brugen*, XXIII, p. 187 s.

(2) *Ibidem*, p. 211.

(3) *Conc. trid.*, sess. IV, *Decretum de canonicis scripturis* (*Enchir.*, n. 783).

revelata fideliter conservat et christianis credenda proponit. Habent igitur istæ traditiones, quoad contentum earum, eamdem dignitatem, eumdem valorem ac litteræ sacræ; aliis verbis, duo dantur fontes, e quibus verbum Dei depromere licet (1), et isti fontes, qua tales spectati, sunt omnino æquales (2).

Unde, quoad veritates istas, quæ etiam in sacra pagina continentur et ita claro modo ut nihil plus cognitionis afferat traditio (scilicet inhæsiva), manet tamen hæc traditio inhæsiva *fons distinctus* a fonte priori, quare et argumentum theologicum ex auctoritate Dei dicentis seu testantis (3 omnino firmum ex hoc *sola* traditione adstruere fas est

Quoad veritates vero, quæ in sacris litteris continentur, sed quarum declarationem addit traditio (scil. declarativa) et quoad veritates, quæ in sacra Scriptura nullatenus enuntiantur, et quarum fidem facit itaque sola traditio (scil. constitutiva), dicendum est hanc traditionem declarativam et constitutivam esse *fontem* a Scriptura *distinctum* et eamdem simul *excedentem*, et nihilominus ejusdem auctoritatis ac verbum Dei scriptum, ita ut ex hisce traditionibus argumentum theologicum stricte dictum eruere pariter liceat.

2/ Juxta *doctrinam protestanticam* unicus datur fons revelationis, nimirum verbum Dei scriptum, inde saltem a tempore, quo Scriptura sacra completa fuit.

---

(1) Advertatur prædicationem Ecclesiæ pariter considerari posse uti fontem et tunc merito vocari regulam *constitutivam*, uti supra, p. 188, notavimus.

(2) Quoad *formam*, seu quantum ad verba quibus verbum Dei enuntiatur, dici potest traditiones orales esse infra Scripturam, quatenus Scriptura est verbum Dei *divinitus* scriptum, uti advertit Van Noort, *Tract. de fontibus revelationis*, p. 108, Amstelodami, 1911². — Alioquin, quamvis aliud omnino sit revelatio, aliud inspiratio, fit tamen vi inspirationis ut quod dicit auctor sacer, id pro verbo Dei habendum sit, itaque *nobis* revelat Deus quod dicit per scriptores inspiratos, etiam si idem non fuerit hagiographis revelatum; cfr Bainvel, *De magisterio vivo et traditione*, p. 34, n. 1, Parisiis, 1905.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, XXII, p. 462 s.

Concedunt enim protestantes: *a*/ traditionem oralem primitus exstitisse, quod ceterum nimis manifestum apparet, siquidem critice constat primis annis christianismi nulla fuisse scripta divinitus inspirata (1); *b*/ non omnia, quæ Christus et apostoli docuerunt et fecerunt fuisse in sacra pagina conscripta, quod rursus et in ipsis sacris litteris affirmatur (2).

Contendunt autem: α/ in Scriptura sacra jam completa prostare omnia, quæ ad salutem scitu sunt necessaria; β/ reliqua vero in divina traditione primitiva contenta ita mox periisse ut jam hæc traditio cum sacra Scriptura veluti in unum fontem confluxerit (3).

Igitur *a*/ non admittunt traditiones ullas constitutivas aut declarativas in sensu exposito, quæ plus aliquid veritatis quam sacra Scriptura proponunt, et quidem cum auctoritate divina, utpote verbum Dei; *b*/ traditiones inhæsivas, quæ idipsum docent quam litteræ sacræ, licet clarius fortasse (4), nullam auctoritatem habere declarant, nisi eam, quam ex ipsa sacra Scriptura potiuntur, *quatenus* et *quia* fideliter referunt verbum divinum in sacris litteris consignatum. Unde tales traditiones ad ad faciliorem interpretationem sacræ paginæ possunt inservire, sed tanquam fons ejusdem valoris ac Scriptura sacra haberi nequeunt.

Uti ex præmissis patet, thesis catholica contra protestantium placita, hac brevi formula apte contrahitur: α/ existit traditio oralis, *fons distinctus* a sacra Scriptura;

---

(1) Prima documenta divinitus inspirata circa annum quinquagesimum fuerint conscripta; cfr *Collat. Brugen.*, XVII, p. 319 et Camerlynck, *Comm. in Actus Apost.*, p. 96 et p. 314, Brugis, 1923.

(2 Cfr *Jo.*, xxi, 25; *Act. Apost.*, i, 3.

(3) Cfr Bellarminus, *Disput. de controversiis christianæ fidei*, t. I, De verbo Dei, lib. iv, cap. 3, c. 163 s., Lutetiæ Parisiorum, 1620; Schiffini, *De vera religione*, p. 543, s., Senis, 1908; Van Noort, *o. c.*, p. 106 s.

(4) Auctores plerique hanc vocant traditionem *declarativam in sensu protestantico*, sed ista distinctio, claritatis gratia, melius omittitur, ne confusio cum traditione declarativa in sensu catholico suboriatur.

β' traditio oralis, saltem quoad quasdam veritates a Deo revelatas, est insuper *fons excedens* sacram Scripturam (1).

H. Lamiroy.

III-IV.

De Successione IV.

Q. *Indicatis praecipuis dispositionibus legis civilis relate ad successionis* acceptationem *a/* puram et simplicem, *b/* sub beneficio inventarii, *expone utrum in primo casu heredes teneantur in conscientia ad solvenda debita et onera successionis etiam ultra vires portionis quam acceperint.*

R. I. **Dispositiones legis civilis.**

a/ *Notiones praeviae.*

Aperta aliqua successione, ut optime exponit Carrière (2), illi qui sive ab intestato sive per testamentum ad eam vocantur facultate gaudent, ad normam legis civilis, illam acceptandi aut repudiandi, modo tamen ad hoc sint habiles : hinc pro uxoribus, minorennibus et interdictis requiritur debita mariti aut tutoris et concilii familiæ licentia.

Porro, *renuntiatio* non præsumitur, sed expresse declaranda est (art. 784) in tabulario (au greffe) tribunalis primæ instantiæ territorii in quo sita est hereditas (3). Semel

---

(1) De Groot, *Summa apol. de Ecclesia catholica*, p. 749 s., Ratisbonæ, 1906³, eamdem traditionem, quam vocamus constitutivam et dicimus fontem excedentem Scripturam, ipse nuncupat traditionem *dictinctam* ; cfr etiam Mazella, *De religione et Ecclesia*, p. 255, Romæ, 1885³. Terminologia et divisio quam elegimus, inde intelligitur et justificatur quod etiam si nullæ essent veritates revelatæ in verbo Dei divinitus scripto non contentæ, maneret tamen problema de valore traditionis oralis et de distinctione ipsius, uti fons est revelationis, a priori fonte qui est Scriptura sacra ; cfr Van Noort, *o. c.*, p. 112.

(2) *De Justitia et Jure*, n. 530 seq.

(3) Exceptio tamen locum habet pro successoribus irregularibus : « la renonciation, de la part des successeurs irréguliers, n'est pas soumise nécessairement aux formes solennelles établies par l'art. 784 ; ... tout acte par lequel ceux-ci manifestent clairement leur volonté de

vero facta, irrevocabilis est, nisi casu quo per dolum aut vim fuerit obtenta; aut etiam nisi adhuc tempus sit eam revocandi: dum scilicet loco repudiantis nondum quis acceptaverit, simulque tempus præscriptionis nondum effluxerit (art. 790). Heres ergo qui renuntiat censetur nunquam heres fuisse relate ad hanc successionem; potest tamen ex art. 845, si simul heres sit ex lege et ex testamento legatarius, retinere legatum ipsi concessum (aut donationem inter vivos ipsi olim factam, si sit heres simul et donatarius) (1).

Acceptatio pariter non præsumitur (art. 778); verum, contingere potest tum expresse tum tacite (2) Expresse quidem: ubi successor in quodam scripto sive authentico sive privato titulum aut qualitatem heredis assumit; tacite autem: ubi circa successionem ponit aliquem actum unde necessario intentio acceptandi deducitur (art. 779 et 780), ut venditionem aut donationem ex bonis successionis et cetera hujusmodi (3), non vero actum pure conservatorium aut simplicis administrationis (4).

---

répudier la succession, suffit pour opérer les effets attachés par les art. 785 et 786 à la renonciation faite par l'héritier ». VAN BIERVLIET, *Cours de Droit civil*, n. 223.

(1) « Juvat notare heic art. 1167 et 788, vi quorum creditoribus competit *actio pauliana*, ut dicitur, contra heredes qui in fraudem creditorum acceptaverint vel renuntiaverint; effectus autem est electionem successionis annulare relate tantum ad creditores, et pro rata crediti ». ILL. WAFFELAERT, *De Justitia*, I, n. 295.

(2) Rursus exceptio datur pro irregularibus successoribus: « à la différence des héritiers, les successeurs irréguliers, n'étant pas saisis de plein droit, ne peuvent accepter la succession expressément ou tacitement de la manière indiquée par l'art. 778; pour eux, il n'y a d'autre manifestation légale de la volonté de rendre définitive leur qualité de successeur, qu'une demande régulière d'envoi en possession, ou une demande en délivrance ». VAN BIERVLIET, *ib.*, n. 223.

(3) Notat tamen art. 796 venditionem hujusmodi nondum importare acceptationem, casu quo agatur de rebus successionis quas statim vendere oportet ne v. g. pereant; modo simul a judice debita obtenta fuerit licentia.

(4) Accidit tamen exceptionaliter ut heres alio modo quam per acceptationem expressam aut tacitam habeatur ut acceptans, et quidem pure et simpliciter: « Cela a lieu 1° lorsque l'héritier, régulièrement

b/ *Acceptatio pura vel sub beneficio.*

Jam age, duplex est secundum legem (art. 774) species acceptationis: altera quæ vocatur *pura et simplex*, altera quæ dicitur *sub beneficio inventarii* quia subordinatur debitæ confectioni inventarii successionis, ut nempe appareant tum vires, tum etiam debita et onera hereditatis. Iterum ille secundus acceptationis modus non præsumitur, verum declarari oportet eodem modo ac repudiatio; adeoque si hoc cautum non fuerit, aut etiam si inventarium fuerit omissum, acceptans heres censetur pure et simpliciter acceptare (art. 793 et 794).

Utrovis generatim modo acceptari licet successio. In certis tamen casibus prohibetur a lege acceptatio pura: ut si minorennes sint successores aut interdicti (art. 461 et 509), vel etiam casu quo ipse heres mortuus sit antequam acceptaret, simulque heredes ejus inter se non consentiant (art. 782). Contra, casu quo heres quædam bona successionis celaverit aut scienter et dolose omiserit in inventario, ipsi non permittitur nisi acceptatio pura et simplex (art 801), quæ quidem ipso facto doloso peracta habetur.

Disputant autem jurisperiti utrum hic sub eadem linea cum heredibus regularibus ponendi sint successores irregulares, et legatarii universales aut titulo universali qui simul heredes regulares non sunt: aliis verbis utrum isti per se censeantur acceptare sicut minorennes, nempe sub beneficio inventarii, etiamsi declarationem in hunc sensum omiserint; an vero censeantur in hoc casu, sicut

---

mis en demeure de se prononcer, ne prend point parti à l'expiration des délais qui lui sont accordés pour faire inventaire et délibérer (art. 800); 2° en cas de divertissement ou de recel des effets de la succession (art. 801). Dans le premier cas, l'effet du jugement qui condamne l'héritier comme héritier pur et simple étant relatif, c'est aussi d'une manière relative (c. a. d. exclusivement vis-à-vis de celui qui l'avait mis en demeure de se prononcer) que l'héritier perd la faculté d'accepter sous bénéfice d'inventaire. Dans le second cas, l'héritier est déchu absolument de cette faculté ». VAN BIERVLIET, *ib.*, n° 204.

heredes regulares, acceptare pure et simpliciter. Res quidem in aperto est quoad legatarios universales ubi desunt simul heredes reservatarii (art. 1006); nam hi tunc ex ipsa lege clare æquiparantur heredibus regularibus. Sed quoad alios ratio dubitandi in hoc est quod lex eos non considerat ut continuantes personam defuncti; et ideo theoretice probabilius videtur illos ut pure acceptantes non esse habendos (1); interim tamen jurisprudentia eos practice tractat sicut heredes regulares, saltem quod attinet ad debita successionis solvenda (2).

Denique notandum est illum qui successionem pure adiit non jam postea ipsam repudiare posse aut sub beneficio acceptare, nisi prior ejus acceptatio per vim aut dolum fuerit extorta, aut etiam nisi postea reperiatur quoddam testamentum defuncti prius incognitum, quo hereditas plusquam dimidia parte imminuatur (art. 783); contra, illum qui prius sub beneficio acceptavit semper posse huic beneficio postea renuntiare adeoque pure acceptans evadere: quæ tunc renuntiatio beneficii expresse vel tacite fieri potest ad normam art. 778 (3).

c/ *Consequentiae utriusque acceptationis.*

Quoad *jura*: « qui acceptat pure et simpliciter statim dominium acquirit in omnia bona et jura defuncti, potestque de iis pro nutu disponere, quemadmodum ipse defunctus. Heres vero qui dicitur beneficiarius suscipit tantum administrationem bonorum, donec successionis status in aperto fuerit positus (la succession ait été liquidée), et satisfactum fuerit debitis et oneribus: interim proinde non potest de bonis disponere vel jura exercere nisi secundum formas a lege præscriptas, et sub obligatione rationis reddendæ creditoribus et legatariis defuncti; art. 803 et seq. Cod. civ., et art. 986 et seq. Cod. proc. civ. » (4).

---

(1) Modo tamen, omissa declaratione, inventarium non omiserint, prout requirunt communiter hujus sententiæ fautores.

(2) Cf. Van Biervliet, *ib.*, n. 72 et 73.

(3) Cf. Van Biervliet, *ib.*, n. 216.

(4) Carrière, *ib.*, n. 534.

Quoad *obligationes:* cum acceptatio sub beneficio separet patrimonium defuncti a patrimonio beneficiarii, nunquam tenetur iste ad solvenda debita et onera successionis ultra vires seu facultates hereditatis acceptæ; insuper si jus aliquod seu creditum habeat adversus defunctum, illud ab ipsa successione exigere potest; tandem facultas ipsi semper remanet portionem suam relinquendi in manus creditorum et legatariorum, sicque ab omni onere se liberandi (art. 802 et 803); quinimo si hoc modo sibi consuluerit, et postea appareat solutis omnibus aliquid superesse, ad suam partem in hoc reliquo probabilius jus retinet (1).

Contra, strictior ex omni parte existit obligatio legalis illius qui hereditatem simpliciter acceptaverit (art. 724). Cum enim habeatur ut continuans personam defuncti, cumque simul patrimonium auctoris cum proprio patrimonio sua acceptatione legaliter permiscuerit, inde pro rata parte sua de oneribus hereditatis jam legaliter tenetur etiam ultra vires portionis acceptæ: aliis verbis, si ad onera successionis ferenda non sufficiant bona defuncti, ipse ad supplendum ex propriis cogitur bonis.

Porro viget hic inter jurisperitos de legis ambitu magna controversia: num et *legata* particularia quæ per testamentum constituerit defunctus debeant in casu etiam ultra vires exsolvi, an tantum *debita* defuncti et alia onera successionis, ut expensæ funeris etc.? Responsio benigna videtur quidem probabilior, theoretice loquendo; sed rursus admittit jurisprudentia imponitque obligationem ultra vires etiam pro legatis (2).

Unde sponte quæstio conscientiæ exoritur, quoties nempe hereditas pure acceptata est, dum passivum ejus, ut aiunt, superat activum: numquid coram Deo etiam adstringuntur heredes ad supplendum ex propriis bonis?

---

(1) Cf. Van Biervliet, *ib.*, n. 214.
(2) Cf. Van Biervliet, *ib.*, n. 69-71.

II. **Quæstio Conscientiæ.**

Profecto si jure tantum naturæ quæstio de obligatione ultra vires dirimenda esset, misso nunc casu raro ubi pietas a filiis defuncti hoc exigere posset, nemo est qui heredem ad tantum onus adigeret : cum ipse obligationem naturalem solummodo contraxerit ratione bonorum quibus succedit ; et proinde, per se loquendo, ad mensuram tantum bonorum illorum. Et quamquam sane lex civilis in casu motivis naturalis æquitatis et prudentiæ nisi debeat ut justa sit, nullæ tamen apparent rationes sufficientes, abstractione facta a vi superaddita ipsius legis, ad naturalem hujuscemodi obligationem asserendam.

Porro, ut de lege loquamur, antiquum jus Romanum singulos primitus adigebat heredes regulares ut etiam ultra vires successionis omnia debita defuncti, non vero legata particularia, pro rata sua parte solverent ; et quidem perinde erat utrum inventarium confecissent aut omisissent ; solummodo ipsis quoddam tempus prævie constituebatur ad deliberandum de acceptatione aut repudiatione hereditatis.

Quæ lex, secundum communem veterum AA. sententiam prout refert Molina (1), conscientiam ligabat jam ante sententiam judicis : « quoniam dispositio illa neque in præsumptione ulla fundabatur, neque in pœnam id statuebat, sed in bonum publicum; atque ad vitandas fraudes et lites volebat, ut qui hereditatem adiret, tacite eo ipso ad id se adstringeret, onusque illud subiret, æqualiter se exponendo commodo aut periculo hereditatis, eaque de causa concedebatur illis tempus ad deliberandum » (2).

Postea vero, anno nempe 531, imperator Justinianus rigorem juris temperavit in favorem heredum qui inventarium debite confecissent, sancivitque ut hi jam ultra vires non tenerentur; verum, omittentes inventarium

(1) Tract. II, Disp. 217, n. 12.
(2) Carrière, *ib.*, n. 563.

obligatos voluit ad solvenda omnia, debita scilicet et legata, etiam ultra vires hereditatis. Jamvero similem dispositionem adhuc nunc in jure nostro civili expressam habemus, nisi quod de legatis jurisperiti utrinque disputent.

Porro de obligatione hujus legis in conscientia non concordant theologi, et in duplicem præsertim sententiam abeunt (1).

a/ Severior quidem opinio, a Molina (2) et Lugo (3) jam olim proposita, docet heredes omittentes inventarium ex stricta teneri justitia, et ante judicis sententiam, ad solvenda defuncti *debita* etiam ultra vires. Rationem afferunt duplicem: alteram ex ipsa lege, alteram ex voluntate seu intentione illorum heredum.

Etenim quoad primum, aiunt, lex ista fundatur in præsumptione periculi universalis: cum enim sæpe de bonis successionis non apte constet nisi per inventarium, cumque insuper hæc bona jam cum bonis heredum permixta sint in casu, sæpius ab illis heredibus patrarentur fraudes, dum nempe partem bonorum defuncti prius celarent, deinque fingerent vires hereditatis ad omnia debita solvenda esse pauciores; quo dolo non tantum creditores, sed et bonum commune pateretur damnum. Quodsi tale sit fundamentum legis, servat hæc plenum suum conscientiæ valorem etiam in his casibus ubi fraus defuerit (4); adeoque erga omnes heredes etiam bonæ fidei qui inventarium (aut debitam nunc declarationem) omiserint, obligatoria manet.

---

(1) Omittimus hic sententiam paucorum intermediam, quæ censet teneri quidem in conscientia heredes illos, sed tantum post sententiam, quia hanc obligationem autumat *pœnalem* ob omissum scilicet inventarium. Quæ sententia in jure saltem moderno non videtur probabilis, quia confectio inventarii conceditur quidem ut favor, sed non imponitur ut obligatio; unde sequitur neminem puniri oportere qui privilegio usus non fuerit.

(2) Ibidem.

(3) Disp. 24, n. 233.

(4) Cf. Van den Berghe, *De Legibus*, n. 98 et 99.

Quoad secundum: « heres, adeundo pure et simpliciter hereditatem, sese obligat ex quasi-contractu ad solutionem ejus quod a defuncto debetur » (1).

De *legatis* vero censet Lugo (2) non teneri heredem hujusmodi ultra vires, saltem ante sententiam judicis; imo nec post sententiam, nisi tamen de facto fraudem adhibuerit. Cum enim hanc dispositionem habeat ut pœnalem, et simul ut fundatam in præsumptione facti, doli scilicet seu fraudis, inde heredes innocentes a dicto onere absolvit, cum pœnam non mereantur; aliosque tantum post sententiam obligat, cum antea pœna nondum debeatur.

Verum, cl. Carrière (3), qui inter modernos AA. severiori sententiæ patrocinatur, etiam quoad legata immediatam pronuntiat conscientiæ obligationem: saltem, ut ait, sat probabiliter; quia censet eodem modo legem hodiernam ad solvendum ultra vires obligare, tum circa debita, tum circa quæcumque onera successionis.

Indubie quidem probabilis est etiam nunc hæc opinio severior, si minus qua parte debitum imponit justitiæ strictæ, saltem quatenus immediatam conscientiæ obligationem tuetur in casu; et ideo, prout in fine dicemus, secure ea uti possunt tum creditores, tum ipsi legatarii particulares

Interim tamen certa dici nequit hæc sententia: nam nec plusquam probabilis est illa legislatoris intentio obligandi propter periculum universale (quæ ceterum intentio, si adesset, nondum ex stricta justitia, sed ex legali tantum obligaret); nec certe demonstratur — multum abest — intentio heredum sese tam severe ex contractu implicito obligandi; nec tandem in jure saltem moderno satis evincitur voluntas legis obligandi hos heredes ad talem contractum (qua rursus voluntate, si adesset, non ligarentur inviti nisi ex obedientia).

---

(1) Carrière, *ib.*, n. 563.
(2) Disp. 24, n. 232.
(3) Ib., n. 564.

b/ Unde probabilis apparet etiam sententia benignior simul et communior, heredes negligentes ab omni obligatione legis eximens ultra vires successionis. Hæc quidem opinio sensit legem in casu sola niti præsumptione *facti*; sed non omnes eodem modo rem explicant.

Antiquiores nempe ejus sententiæ fautores, ut Sanchez (1), Layman (2), Salmanticenses (3), Billuart (4) etc. factum istud particulare censent esse fraudem commissam: legislatorem scilicet adigere heredes qui inventarium omiserint ad solvendum ultra vires, quia præsumit ipsos hoc casu fraudem patrasse contra creditores sive legatarios particulares defuncti. Quodsi hoc sit fundamentum legis, tunc secundum regulas generales, deficiente fraude præsumptio cedit locum veritati, adeoque ipsa deficit lex, utpote jam nitens in falsa facti præsumptione; quinimo deficit ipsa judicis sententia, quippe quæ mere legem applicat.

Unde per se licet heredi qui fraudes non adhibuit, ut sententiam judicis eludat, si valet, v. g. propria sua bona celando; per accidens tamen ad obtemperandum judici teneri posset ne scandalum fiat aut publici ordinis perturbatio. Et hæc quidem sententia a Molina etiam et Lugo ut probabilis habetur et practice tuta; quamvis ipsi, ut ostendimus, severiorem opinionem qua probabiliorem sequantur.

AA. vero moderni plures, ut Marres (5), Ill. Waffelaert (6), Genicot-Salsmans (7), Lehmkuhl (8) etc. alio modo intelligunt præsumptionem facti qua legem fun-

---

(1) *In Decal.*, l. IV, cap. 15, n. 37.
(2) Libr. III, tract. 5, cap. 6, n. 7.
(3) *De Contractibus*, n. 151.
(4) *De Contractibus*, diss. 2, art. 3.
(5) *De Justitia*, I, n. 271.
(6) Ib., n. 331.
(7) *Theol. mor.*, I, n. 669.
(8) *Theol. mor.*, I, n. 1398. Monet tamen cl. auctor jus modernum Germanicum ex alio jam principio proficisci, nempe heredem non teneri ex hereditate ultra vires.

dari dicunt : præsumere nempe legislatorem intentionem eorum qui hereditatem simpliciter adeunt esse præcise solvendi etiam ultra vires, quia in omnibus ratam habent voluntatem defuncti; adeoque concludunt deficere legem ubi deficit, prout sane plurimum contingit, dicta intentio. Ad rem Ill. Waffelaert: « dicet quis, undenam deducis hanc in legislatore facti præsumptionem potius quam fraudis, aut etiam periculi ? Ea manifeste sequitur ex ipso principio generali seu fictione juris qua heres, adiens simpliciter hereditatem, continuat personam auctoris. Quare autem legislator hanc consequentiam sui principii non sustulerit ubi debita et onera superant bona, cum tunc aperte falsa sit illa præsumptio, ratio est partim quia concessit beneficium inventarii, ad quod aliquando (non semper ut dicemus) commode recurrere potest heres : partim vero, ad vitandas difficultates in foro externo, ideo ut regulam in foro externo in casu hanc dispositionem servari voluit: non quod nitatur in præsumptione periculi fraudis aut facti dolosi, sed quod fraus, si sit, in foro externo difficilius detegi possit, lites nimium multiplicarentur, et defectu probationum judicia essent valde incerta » (1).

Sit ergo hæc *conclusio finalis :* cum utraque sententia sit probabilis, possunt quidem in conscientia creditores et legatarii particulares per judicem cogere heredes hujusmodi ad solvenda illa etiam quæ vires successionis superant; possunt vero etiam heredes, si valent, huic oneri se subtrahere, modo per accidens majora non obstent.

E. Hosten.

---

(1) Ib., n. 331. — Apposite Van Biervliet: « il s'agit, pour le législateur, de régler l'étendue de cette obligation juridique. Tenant compte de l'obligation morale des proches parents envers leur parent insolvable, il a étendu l'obligation juridique au delà de la valeur des biens recueillis; il présume que les héritiers, qui recueillent les biens en vertu de leur droit de parenté, entendent remplir les devoirs que cette parenté leur impose ». Ib., n. 68.

V.

Diagnosis et medicatio conscientiæ scrupulosæ.

Q. I. *Quænam sunt signa quibus dignosci potest conscientia scrupulosa?* II. *Indica processum sanationis hujus morbi.*

R. Confessarii, qua medici spiritualis, primum munus est prudenter discernere varios morbos animi, alterum sapienter iis, pro evolutione eorum, apta applicare remedia. Quapropter successive inquiremus I, ex quibusnam symptomatibus confessarius merito statuat diagnosim scrupulositatis, utpote cum ipse pœnitens fere non valeat per se statum suum dijudicare adeoque judicio confessarii sui stare debeat: II, quænam sint stadia præcipua sanationis hujus morbi.

I. *Symptomata.*

Non semper obvia est diagnosis conscientiæ scrupulosæ : multi enim non sunt scrupulosi qui videntur, multi sunt qui non videntur. Ratio est quia plura symptomata huic ægritudini communia sunt cum aliis statibus animæ quibus imprudenter omnino applicaremus regulas scrupulosorum proprias, ni velimus pro medicamine venenum propinare. Itaque cavendum *a*/ ne confundatur anxietas quædam transitoria, seu actualis quidam scrupulus, cum scrupulositate habituali, de qua sola tractamus; *b*/ ne pro scrupulosa habeatur conscientia rationabiliter anxia de restitutione facienda, de integritate confessionis procuranda ac de relapsu in futurum vitando, nimirum post longam vitam in gravibus peccatis, in sacrilegiis, in tepiditate transactam (1); aut conscientia timorata seu tenera, ex amore filiali et ex desiderio perfectionis sollicita expurgare et vitare vel minimam Dei

(1) Hæc anxietas ex qua talis pœnitens sollicite conscientiam examinat, accurate confiteri satagit, proposita sua pro futuro concrete determinat, est effectus gratiæ conscientiam stimulantis ad sinceram conversionem.

offensam (1); aut conscientia inclinata ad partem severiorem semper amplectendam, sed sine perturbatione; aut conscientia simpliciter erronea (2). Prudens igitur confessarius ne præpropere pronuntiet pœnitentem esse scrupulosum, sed generatim post plures confessiones tantum et ex præsentia simultanea plurium symptomatum. Ne tamen diutius cunctetur in judicio suo efformando: maximi enim momenti est ut quamprimum morbus ille discernatur et impugnetur: initio quidem sanatio sat facilis est, ast « sero medicina paratur cum mala per longas invaluere moras ».

1° Sunt signa quædam quæ etiam « in foro externo » produnt hanc animi ægritudinem, ut sunt defectus ponderationis, levitas et dissipatio animi, curiositas, defectus attentionis (3), mutabilitas humorum (veranderlijk gemoed), anxietas depicta in vultu, manifestata in habitu externo, in modo loquendi in ordinato, miri quidam motus aut strepitus (4). Frequenter tamen scrupulosus fallaci quadam specie malum suum humilians occultare omni cura nititur, v. g. sub quadam apparentia jucunditatis, sub multi- aut grandiloquio, sub affectata indifferentia aut laxitate. Unde non raro in confessionali miratur sacerdos quod aliquos detegat esse scrupulosos ubi ex commercio profano ne minima quidem hujus morbi suspicio ingeri poterat.

---

(1) Talem curam vocat Faber, *Progrès de l'âme*, p. 327: « des scrupules raisonnables ».

(2) Cfr *Collat. Brugen*, t. XXII. p. 474.

(3) Una tantum aure audiunt, dimidiata mente et quasi ad superficiem tantum agunt quidquid faciunt, occupati interim ruminationibus suis.

(4) « Il s'est habitué à repousser les tentations par des gestes désordonnés, des grimaces, des haussements d'épaules, des exclamations bizarres, qui lui prouvent à lui-même qu'il ne consent pas: ces sortes de tics et ces paroles plus ou moins articulées lui échappent parfois en public ». Leroux, *Revue ecclésiastique de Liège*, t. VII, p. 403 s. Cfr Eymieu, *Obsession et scrupule*, p. 80: « Les tics pullulent, du moins chez les malades avancés. Ce sont des grimaces, des haussements d'épaules, des contorsions du cou, des crispations des mains, des reniflements, des pirouettes, que sais-je encore... ».

2° Symptomata « in foro conscientiæ » manifestata sunt vel ipsa dubia frequentia, quæ apparent nulla ratione fundata, vel effectus ulteriores horum dubiorum ex quibus tum existentia scrupulorum, tum indoles et causæ illorum deduci possunt. Ita a/ *scrupulosi intellectuales* caracterizantur per suas cavillationes circa minima, per pruritum consulendi libros aut interrogandi novos semper directores disputandi causa (1), per suam obstinationem in proprio judicio et suam hæsitationem in volendo ac agendo (aboulia) (2).

b/ *Scrupulosi sensibiles* numerosiores prioribus, præsertim in sexu femineo, manifestant excessivam quamdam sensibilitatem quæ eos in reflectendo impedit, in agendo impulsivos reddit (3). Hæc autem sensibilitas sequentibus signis apparet.

1° Confessio eorum longa est ultra modum, intricata, plena reflexionibus et conclusionibus impertinentibus, additis circumstantiis plane indifferentibus, agitata (gejaagd) et anxia sine ulla seria ratione. Culpabilitatem ex intento exaggerant (4) ac semper timent ne confessarius insufficienter audierit aut intellexerit.

2° Interrogant iterum iterumque circa actus manifeste honestos, circa quos timorati nullum dubium habent,

---

(1) Perperam ceterum intelligunt quæ audiunt aut legunt, quatenus toti in consideratione unius principii, alia principia simultanee concurrentia ad solutionem dubii non advertunt.

(2) Le scrupuleux intellectuel « aboutit à trop voir en toute chose le pour et le contre. A force de peser des raisons d'agir et des raisons de ne pas agir, il devient inactif ». GILLET, *L'éducation de la conscience*, p. 228.

(3) Quoad hanc « impulsivitatem » in agendo scite advertit cl. VERMEERSCH, *Theologiæ moralis principia*, p. 341: « Fieri quidem potest ut in processu rationum scrupulosarum scrupulosi diu laborent, atque ita ex *pugna lassi* et *perturbati* sint, ut cæco modo in actionem ruant: tunc vero *libertate necessaria*, saltem ad graviter peccandum *destituuntur* ».

(4) EYMIEU, *o. c.*, p. 185: « Outre qu'il exagère toujours dans ses aveux, qu'il s'accuse au delà de ce qu'il croit, il croit contre lui au delà de ce qui est ». LEROUX, *o. c.*, t. VII, p. 404: « Dans sa crainte de taire ce qui doit être dit, il prend le parti le plus sûr et il dit tout »

imo quos et ipsi scrupulosi aliis secure permitterent. In proprio autem judicio de liceitate actionum suarum inconstantes sunt valde, mutantes sententiam ob levissimam quamque apparentiam : unde etiam in agendo inconstantes sunt.

3° Occasione examinis conscientiæ majores tenebræ obscurant eorum rationem ; occasione confessionis novi excitantur angores circa integritatem, contritionem, propositum.

4° Quidam continuo anxiantur circa confessiones anteactas, non obstante judicio confessarii vel etiam confessionum generalium repetitione : hoc signum est alicujus specialis scrupulositatis circa sacramentum pœnitentiæ (1).

Postquam autem confessarius pronuntiaverit pœnitentem affici morbo scrupulositatis, id ille tamquam indubitatum teneat: sed aliquando difficile est id scrupuloso, præsertim intellectuali, persuadere.

II. *Processus sanationis.*

Medicatio (behandeling) hujus morbi non eo spectat ut resolvantur scrupuli: sunt etenim insolubiles, utpote nugæ, umbram tantum rationum continentes; sed huc primum contendit ut tutela confessarii immediatum subsidium ægroto afferat, ultimo vero ut completam sanationem et emancipationem ab hac tutela procuret (2).

1° Immediatum subsidium in eo consistit ut pœnitens ex auctoritate confessarii ponere audeat eos actus ad vitam suam personalem vel socialem spectantes, in quibus per scrupulos suos ab agendo impeditur (3). Voluntas igitur confessarii supplet defectui imperii

(1) Cfr supra p. 152 ss.

(2) Inde statim advertamus sanationem scrupulorum nullam obtineri per hanc vel similem formulam mere sedativam: « ge moogt gerust zijn », « wees toch kalm ». Cfr Eymieu, *o. c.*, p. 257.

(3) Scrupulosus in materia suorum scrupulorum est « puer », « parvulus » : cogitat ut parvulus, sapit ut parvulus, timet ut parvulus, non evacuavit quæ sunt parvuli. Adeoque sub tutore esse et plus minus « agi » indiget.

efficacis in voluntate scrupulosi ad contemnenda dubia sua inania : in hoc enim defectu vidimus essentialiter consistere hunc morbum (1).

2° Pedetentim autem eo adducendus est ægrotus ut jam non indigeat hac ope externa ad spernenda dubia sua, sed ex propria audacia discat judicare et agere juxta sensum suum communem, sui iterum compos factus (2).

« Confessarius scrupulosum ad casus suos per se solvendos paulatim perducet, vetando v. g. ne sæpius quam semel vel bis in hebdomada aut in mense dubia proponat : ne ultra duo vel tria recitet : suggerendo ut agat eo modo quem, in existimatione sua, alii homines communiter tenerent, vel quem animæ rector ipsi indicaret ; et omnem formidinem abjiciat quam alii non viderentur ipsi experturi esse, aut quam pro vana et ridicula haberent » (3).

Ita paulatim, ex constanti contemptu, decrescunt vani timores ; voluntas vero in dies magis recuperat suum dominium naturale in rationem et in passionem timoris ; ratio jam deliberate quiescit in assensu certitudini practicæ a voluntate imperato, nec amplius attendit ad inanes apprehensiones peccati (4).

Non omnes tamen scrupulosi ad hanc completam

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXII, p. 474 sq., p. 500. VERMEERSCH, *o. c.*, p. 341. LEROUX, *o. c.*, t. VII, p. 409 : « Le scrupuleux... intellectuel doute parce qu'il examine trop, parce que sa volonté n'intervient pas pour couper court à la réflexion ». Le scrupuleux « sensible doute parce qu'il ne peut examiner comme il convient, parce que sa volonté n'intervient pas pour mettre en branle l'intelligence et l'appliquer à un calme examen de la cause ».

(2) EYMIEU, *o. c.*, p. 257 : « Le directeur [des scrupuleux], comme tous les éducateurs, a pour métier de se rendre inutile, d'apprendre à ses malades à marcher seuls, à vivre leur vie, à organiser leur moi. Il faut donc qu'il les décide à solutionner leurs cas par eux-mêmes, à manier le principe sauveur pour faire à cette lumière fixe et sûre le départ pratique entre le bien et le mal. C'est de la sorte qu'ils pourront dominer leurs impressions, ... se réadapter à la vie, au lieu de rester des enfants incapables de marcher seuls ».

(3) VERMEERSCH, *o. c.*, p. 343 sq.

(4) LEROUX, *o. c.*, t. VIII, p. 7 : « Par des actes répétés, la volonté s'entraînera progressivement à surmonter la méticulosité de l'intelli-

sanationem reeducari possunt Quidam scilicet sunt insanabiles, sive ratione diuturnæ durationis ægritudinis, quæ inveterata facta est, sive ratione imbecillitatis mentis aut impotentiæ voluntatis in applicando regimine a confessario imposito: ita sæpe scrupulosi ex hæreditate aut degenerescentia. Hisce miseris externum et immediatum subsidium directoris usque manebit necessarium.

Quo magis tempestive medicatio assumitur et quo magis generose ac fideliter regimen præscriptum observatur, eo citius ac certius completa sanatio procuratur, non tamen sine magnis et frequentibus vicissitudinibus. Scrupulosus scilicet plene fidens confessario, quando primum audit regulam suam salutarem, « regulam evidentiæ » nimirum, eam « continuo cum gaudio accipit », securus de sua liberatione. « Non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur » (1). Et revera in sequenti confessione redit magis quam unquam turbatus: pro pace enim quam expectabat, ingens augmentum anxietatis ex applicata regula hausit, eamque tamquam instrumentum supplicii abjicere optat. Animandus est ut audacter pergat sibi hoc supplicium inferre, docendusque est sibi necessario eligendum esse inter « pacem diaboli » quam antea in consentiendo scrupulis quærebat, et « pacem Dei » quam procurabit regula confessarii : prima est momentanea quietatio ex parte tutiore electa, pax in clade (vrede in de nederlaag), ex qua subito pullulant centena nova dubia ac infaustæ sequelæ supra descriptæ (2); altera est pax in

---

gence et à résister aux poussées de la sensibilité. Tout en fortifiant la volonté, la répétition diminuera parallèlement les difficultés: l'intelligence s'habituera à se contenter de la certitude morale, la sensibilité se résignera à être vaincue. Peu à peu, l'harmonie se rétablira entre les puissances de l'âme, et finalement le sujet se trouvera libéré de la tyrannie du doute et de la peur ».

(1) Lege *Mt.*, XIII, 5-6, 20-21 de semine super petrosa cadente.

(2) Est, aiunt quidam auctores, sicut sedatio pruritus ex frictione scabiei, quæ frictio quidem placet sed nocet.

victoria, pax severa sed sincera et solida, quæ non est in sensu sed in testimonio conscientiæ de expleto officio. De hac enim passione timoris haud secus ac de ceteris verum est testimonium Imitationis Christi: « Resistendo passionibus invenitur pax vera cordis; non autem eis serviendo »; et « Tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris » (1).

Transacta tandem crisi scrupulorum, memor sit semper confessarius remanere in anima specialem quamdam « sensibilitatem » relate ad eamdem materiam, quasi stigmata seu cicatricem vulneris antiqui, quam inutiliter ne unquam attingat, juxta medicorum adagium: « quieta non movere ».

A. Legrand.

VI.

De obligatione celebrandi pro grege.

Q. *An obligatio celebrandi pro grege ita affixa est diebus dominicis aliisque festis diebus de præcepto, etiam suppressis, ut nunquam possit in aliam diem differri?*

R. Ante promulgatum codicem jur. can., quæstio hæc multum disputabatur (2). Ex decisionibus S. C. Concilii concludebatur missam pro sponsis vel funus occurrens vel aliam causam id genus non esse legitimum impedimentum nec causam canonicam ut applicatio pro grege citra indultum in aliam diem differeretur: quæ conclusio *certa* videbatur si agebatur de *diebus dominicis* aut *festivis de præcepto; probabilior* autem, si de *diebus festivis abrogatis.*

Censemus hanc quæstionem hodierno jure eodem sensu esse solvendam.

At momentum hujus controversiæ multo imminutum est propter canonem 466, § 3 ubi statuitur: « Ordinarius

(1) *Imitatio Christi*, L. I, c. 6 et c. 25.

(2) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 8, p. 495 ss.

loci *justa de causa* permittere potest ut parochus Missam pro populo *alia die* applicet ab ea qua jure adstringitur ». Nec distinguit textus inter diem dominicam festumve de præcepto et festum suppressum; exigit tantum *justam causam* ut hæc licentia ab Ordinario concedi possit.

Jam vero, attendendo ad documenta Romana hac de re lata, dicendum videtur *justam causam* propter quam permittere possit Episcopus ut differatur applicatio pro grege in aliam diem, esse, servatis tamen rubricis, quoties occurrat applicatio vel pro defuncto vel pro sponsis, quæ anticipari vel transferri aut ab altero celebrari nequeat, nec præterea alius adsit sacerdos cui commode committi possit applicatio missæ pro populo (1). Similiter olim jam Benedictus XIV in const. *Cum semper oblatas*, § 8 (2) concesserat Episcopis facultatem dispensandi cum parochis, qui adeo tenues habent redditus ut fere ex eleemosynis missarum vivere cogantur; eisque permittendi ut, accepta diebus festis eleemosyna, transferre ad aliam diem possint missam pro populo applicandam. Simili indulgentia pro diebus festis suppressis usus est Pius IX in encyclica *Amantissimi*, 3 maii 1858 (3). Nullum dubium est proinde, quin tenuitas redditum etiam sit causa justa differendi de licentia Episcopi celebrationem pro grege in aliam diem (4).

---

(1) Cf. indultum concessum a S. C. Conc , 23 jan. 1858, Episcopo Nanciensi et Tullensi, ap. *Statuts synodaux du diocèse de Nancy et de Toul*, 1902, p. 8 nota 21; *Collect. epist. past. diœc. Brugen.*, t. X, p. 49 s., indultum concessum, 7 sept. 1903, Episcopo Mettensi, ap. *Rev. ecclés. de Metz*, 1903, p. 515. Cf. alia indulta cit. ap. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. 497.

(2) 19 aug. 1744, *Bull. Bened. XIV*, ed. Mechlinien., t. II, p. 304 ss.

(3) *Rev. théol.*, 3e sér., 1858, p. 347 ss. Cf. Decret. congr. prosynod., anni 1859, n. 10, *Coll. epist. past.*, t. X, p. 51.

(4) Cappello, *De Sacramentis*, t. I, n. 652 intelligit causam justam non tantum de occurrente missa exsequiali aut pro sponsis, sed etiam de missa fundata, in die tertia, septima et trigesima, in die anniversaria obitus vel depositionis, imo de missa manuali pro causa urgente. Credimus hanc opinionem nimis alienam esse a praxi Romana hucusque servata ut admitti tuto possit.

Hæc licentia Episcopi tunc tantum *præsumi* potest, cum tempus non suppetat ad ipsum recurrendi (1).

Ut quædam pro praxi addamus, animadvertendum est occurrentem missam exsequialem aut nuptialem non esse justam causam differendi in aliam diem celebrationem pro grege, casu quo præsens sit sacerdos qui hanc missam pro defuncto aut pro sponsis exonerare possit. Tunc enim manet tota obligatio personalis parochi applicandi suam missam populo sibi commisso. Nec præfata causa sufficit ut differatur obligatio celebrandi pro grege, si adsit sacerdos, qui forsan impeditus quin missam exsequialem aut nuptialem celebret, tamen commode possit loco parochi suam missam applicare pro grege. Etenim parochus, si a celebratione missæ pro populo impediatur, *stato die* applicare debet per alium (can. 339, § 4). Quodsi hæ conditiones non verificentur, tunc, obtenta licentia, differri potest obligatio celebrandi pro grege et tunc parochus quamprimum per se ipse, si possit, vel per alium, si ipsemet impeditus existat, alia die applicare debet.

A. De Meester.

---

(1) Cf. Conc. Mechlinien. IV, can. 150.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis maii propositas.

—

I.

In Matthæum IX, 14-17.

Q. *Quænam est objectio quam discipuli Joannis Baptistæ ponunt Christo, apud* Matth., *IX, 14? Explica Jesu responsum*, ibid., *vv. 15-17.*

R. I. *Sensus quæstionis* positæ a discipulis Joannis

a/ certe non est: Quare nos jejunamus? — ipsi enim scire debebant neque ex hoc *suo* modo agendi movere poterant difficultatem aliquam contra Jesum; sed sensus indubius est hic: Quare, dum nos jejunamus, discipuli tui non jejunant? — ita nempe ut modum agendi discipulorum Jesu, ipsi Jesu exprobrent;

b/ neque est: Quare discipuli tui non servant jejunia quæ nos omnes, discipuli Joannis, et Pharisæi, ex generali omnium Judæorum obligatione observamus. Etenim *α/* hujusmodi jejunia omnibus Judæis obligatoria non erat, ut videtur, *nisi una dies,* illa ἡ νηστεία de qua *Act.*, XXVII, 9, dies nempe magnæ expiationis (*Lev.*, XVI, 29); jamvero quæstio posita sensu obvio de frequentioribus jejunationibus videtur procedere (1); — *β/* certum videtur

(1) Revera si de illo magno et unico jejunio agerent, nonne manifeste illud nominassent? — Præterea textus parallelus, apud *Mc.*, II. 18, sic introducitur: Et *erant* discipuli Joannis.... *jejunantes,* ἦσαν νηστεύοντες, et apud *Lc.*, V, 33 sic sonat: Quare discipuli Joannis *jejunant frequenter....*? Equidem etiam apud *Mt.*, V, 14, sic sonat quæstio in Vulgata, sed vox πόλλα quæ vertitur *frequenter*, videtur esse glossa.

discipulos Jesu hoc magnum jejunium non neglexisse neque Jesum hac in re a lege et traditione discessisse.

Neque, ob eamdem hanc alteram rationem, cogitandum est de aliis forte jejuniis ab universis Judæis servatis.

Unde agitur de variis jejuniis libere additis, de talibus nempe quos varii duces scholarum asceticarum imponere poterant suis discipulis : Pharisæi, variarum hujusmodi scholarum institutores vel duces, certas quasdam praxes asceticas, puta certas dies jujunii imposuerant suis sequacibus (1), sicut etiam certas quasdam praxes orationum (cfr *Lc.*, v, 33) ; similiter egerat etiam Joannes Baptista erga suos discipulos (2). — His positis,

c/ quæstio sane non erat: quare discipuli tui non observant jejunia quæ nos, discipuli Joannis, observamus? Responsum enim nimis obvium fuisset: Quia præcise non pertinent ad scholam Joannis. — Sed

Sensus hic esse omnino videtur: Quare, dum nos ex disciplina nostri magistri Joannis certa jejunia servanda habemus, dum etiam discipuli variarum scholarum aliarum, ex disciplina suorum magistrorum, variorum nempe Pharisæorum, talia jejunia servare tenentur, — quare tui discipuli nulla hujusmodi jejunia habent servanda? — Seu: Quare, sicut Joannes fecit erga nos, et alii magistri erga suos discipulos, tu quoque, Jesu, tuis discipulis non præscribis certa quædam jejunia? — Unde objectio, verbis utique contra discipulos Jesu, de facto autem contra Jesum dirigitur: Si scholam instituis et ducis, si discipulos facis, quare non præscribis ipsis certa jejunia et certas preces?

II. *Responsum Jesu* tria habet:

a/ Discipuli Jesu quamdiu præsentia illius in medio sui

---

(1) Quo modo Pharisæus apud *Lc.*, XVIII, 12, jactat se bis de hebdomada jejunare.

(2) Nihil innuit jejunia servata a discipulis Joannis eadem esse ac illa quæ servantur a discipulis Pharisæorum, sed contrà, sensu obvio, diversa sunt intelligenda.

fruuntur, comparantur filiis sponsi seu filiis nuptiarum (1) qui sponsum habent secum. — An potest sponsus hisce invitatis suis imponere jejunia (cfr *Lc*, 34)? An potest velle ut isti lugeant (*Mt*, 15)? – Sic — subaudit Jesus — quamdiu discipuli mei mecum sunt, nolo ego ut lugeant, volo ut gaudeant, adeoque nolo iis imponere talia quæ sint signa luctus, ut puta jejunia (2).

Unde prima ratio fundatur *in significatione symbolica jejunii :* quia symbolizat luctum et dolorem, non vult Jesus illud suis discipulis imponere, quum velit ut de suî præsentia nonnisi gaudeant.

In v. 15b, alludit ad mortem suam futuram, qua ipse, sponsus, a suis auferetur (3): tunc jejunabunt, i. e., juxta dicta statim, jam non aderit tunc illa ratio symbolica, nihilque prohibebit quominus ex tunc praxes luctus, ut jejunia, inducantur.

b/ Alia est *comparatio* qua demonstrat Jesus quare nolit jam nunc discipulis suis imponere hujusmodi jejunia. « Nemo sane vestimento veteri applicat implementum panni rudis »: ubi vestimentum quodam usu tritum est et laceratum, et additamento (4) quoddam (ἐπίβλημα, Vulg. commissura, *Mt.*) est reficiendum, quis hoc additamentum sumet ex panno *rudi*, ἄγναφος, i. e. nondum a fullone sufficienti modo: talis enim pannus, ubi postea lavari

---

(1) *Filii nuptiarum* seu *filii sponsi* gr. οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, i. e. filii thalami nuptialis, (apud 3 syn.), ii erant juvenes qui fuerant ad nuptias invitati, ut sponsum ad domum sponsæ comitarentur eamque simul cum eo ad domum nuptialem deducerent.

(2) Revera apud Judæos, et hoc cæteroquin juxta naturam rerum, jejunium erat signum luctus et doloris.

(3) Hoc v. 15b Jesus ea quæ sponso filiisque nuptiarum contingunt jam non describit eo modo quo contingere solent: non solet enim sponsus *auferri* a suis invitatis, sed discedere; imo non sponsus est, sed *invitati* qui discedere solent; Jesus autem casum ponit quo « *auferetur sponsus ab eis* ». Ratio est manifesta: Jesus jam non solam comparationem enuntiat, sed eam jam *applicat:* quia revera ipse est qui relinquet discipulos, imo qui morte violenta ab iis auferetur, ideo in comparatione sua exhibet sponsum quasi vi a suis invitatis ablatum.

(4) Flandr.: *eén lap.*

vel et pluvia humectari continget, contrahitur et coarctatur; unde ubi assumentum ex hujusmodi panno fuit adhibitum ad reficiendum vetus vestimentum, nonne illud, sese coarctando, lacerabit ipsum vestimentum cui fuit applicatum (1) et sic pejor fiet scissura quam antea?

Porro hæc est a Jesu intenta comparationis *applicatio:* Vetus illud vestimentum discipuli mei sunt; adhuc enim toti sunt imbuti spiritu et praxibus veteris Judaismi; nondum apti sunt nec satis præparati ut ipsis applicetur nova mea lex et disciplina: prius renovandi sunt, mente et spiritu, educandi sunt in mea schola, imo postea actione et influxu Spiritus sancti, — et tunc dari ipsis poterunt præcepta novæ vitæ christianæ. Aliter agere imprudens esset, utpote intempestivum.

c/ Tertia tandem est *comparatio* eodem sensu ac secunda explicanda. Sicut imprudenter ageret qui vinum novum mitteret in utres veteres — esset enim periculum ne ex vini novi æstu et effervescentia, utres illi rumperentur et vinum effunderetur et utres perirent, – sic imprudens agerem si Apostolis meis, adhuc nimis imperfecte præparatis, legem meam christianam applicarem. Et sicut solent homines vinum novum mittere in utres novas, ita ut ambo conserventur, ita etiam discipulis meis non imponetur vita nova christiana, nisi prius fuerint præparati menteque et spiritu renovati (2).

A. Vander Heeren.

---

(1) Textus « Mt. flandrice sic reddi posset: niemand zet een lap nog niet gevold laken, op een oud kleed, want die (opgezette lap) neemt van het kleed zijne heelheid af (doet het uitscheuren), en er ontstaat een nog erger scheur. — Gallice: Personne ne coud une pièce d'étoffe non foulée à un vieux vêtement, car cette pièce emporte une partie de l'habit... etc. » Camerlynck, *Synopsis*, in h. l.

(2) « Similis erat, ut notat s. Chrys., agendi ratio Christi, quando non statim ab initio dogmata sublimia discipulis tradere voluit: J. 16, 12 *Multa habeo vobis dicere*, sed non potestis portare modo ». Vansteenkiste, *Evang. Sec. Mt.*, in h. l.

II.

De traditione, altero fonte revelationis.

Q. *Demonstra traditionem oralem esse fontem distinctum a verbo Dei scripto, etiam pro iis veritatibus quæ in Scriptura sacra continentur.*

Prænotanda. — 1/ In præcedenti responsione, in qua delineavimus controversiam cum protestantibus, ostendimus duplex dari caput disputationis: primum, existit traditio oralis, quæ est *fons distinctus a Scriptura sacra;* alterum, existit etiam traditio oralis, quæ *excedit Scripturam sacram* et quæ simul est a Scriptura distincta (1).

Hæc igitur demonstratio, statim evolvenda, valet tum pro traditione inhæsiva, quum pro declarativa et constitutiva, quatenus omnis traditio valorem habet *independenter* a sacris litteris.

2/ In hoc argumento conficiendo, testimonia referemus ex verbo Dei scripto et ex documentis antiquitatis, imprimis ex scriptis Patrum (2).

Quum protestantes, quos vocant orthodoxos, cum primis reformatoribus adhuc teneant inspirationem Scripturæ sacræ, adversus eosdem ex scriptis divinitus inspiratis arguere licet; adversus alios, quos nominant liberales seu modernos, quum inspirationem jam abnuant, ex sacris litteris ut documentis historicis disputamus.

Quod testimonia spectat ex scriptis Patrum desumenda, quamquam consensus moraliter unanimis Patrum in rebus fidei ac morum exhibet irrefragabile argumentum divinæ veritatis, uti in sequenti quodam responso com-

---

(1) Vide supra, p 273.

(2) Hanc demonstrationem conficimus juxta doctrinam, quam exponit Card. Bellarminus, *Disput. de controversiis christ. fidei*, t. I, De verbo Dei, lib. IV, cap. 1 s., c. 162 s., Lutetiæ Parisiorum, 1620. Ad hunc autorem provocant plerique moderni, quorum quosdam citatos habes in præc. responsis.

probare et explanare intendimus, nihilominus hæc eadem testimonia nunc mere historice considerantur.

Resp. — 1/ Demonstratur traditionem oralem esse fontem distinctum a verbo Dei scripto, ex œconomia veritatis divinæ communicandæ, quam ipse Christus instituit (1).

Et enim Christus Dominus suam doctrinam viva voce et hoc sola ratione annuntiavit. Apostolis suis munus injunxit ut docerent et prædicarent, non autem ut scriberent; et hoc munus apostolicum exercendum mandavit, ubique terrarum, apud omnes gentes, usque ad consummationem sæculi (2).

Praxis Apostolorum huic Christi præcepto fideliter correspondit: « Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis » (3).

Quidam scripserunt, non omnes, quamvis omnes suo munere apostolico perbene functi sint; qui vero scripserunt, non tantum ad scripta sua sed et ad doctrinam oretenus traditam fideles remittunt (4); sæpius ad solam traditionem oralem provocant (5); quin immo s. Paulus, cum tempus suæ resolutionis instare sentiat (6), Timotheum, episcopum, discipulum suum monet: « Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis » (7). « Et quæ

---

(1) Licet *ad hominem* etiam arguere adversus protestantes, qui quum sufficientiam omnimodam Scripturæ, tum in ratione regulæ, quum in ratione fontis, dogmatis instar proponant, eamdem sufficientiam ex sacris litteris probare deberent, ne sibimet contradicerent. Hoc porro non attentant et jure, quum contrarium e Scriptura constet, uti ex argumento statim evolvendo apparebit.

(2) *Mt.*, XXVIII, 19-20; *Mc.*, XVI, 15-16; *Act. Apost*, I, 8; IX, 15.

(3) *Mc.*, XVI, 20; cfr *I Cor.*, II, 1 s.

(4) *II Thess.*, II, 15.

(5) *I Cor.*, XI, 2; *Rom.*, XVI, 17; *Coloss.*, II, 7; *I Tim.*, IV, 1 s.; *I Jo.*, II, 24.

(6) *II Tim.*, IV, 6.

(7) *II Tim.*, I, 13-14; coll. *I Tim.*, VI, 20.

audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere » (1); qui scil. eamdem doctrinam quam ego audivi a Deo et prædicavi, quamque et tu, vice tua, prædicare debes, et ipsi postea prædicabunt.

Scite notat Bellarminus : « Si Christo, et apostolis fuisset propositum verbum Dei coarctandi et restringendi ad Scripturam, in primis rem tanti momenti Christus aperte præcepisset, et apostoli alicubi testarentur, se ex Domini mandato scribere, quemadmodum ex Domini mandato in toto orbe docuerunt : at id nusquam legimus » (2). Contra, videmus quomodo præprimis ad traditionem oralem attenderint et eamdem per magisterium Ecclesiæ vivum et perenne conservandam et semper propagandam inculcaverint (3).

2/ Ex testimoniis veterum invicte constat hanc œconomiam a Christo institutam, ab apostolis primis suis successoribus commissam, fideliter fuisse servatam. Pauca documenta, omni dubio vel tergiversatione majora, afferre sufficiat.

S. Clemens romanus, tertius post s. Petrum supremus pontifex, sæculo primo exeunte, ad Corinthios scribit : « Apostoli nobis evangelii prædicatores facti sunt a Domino Jesu Christo, Jesus Christus missus a Deo.

---

(1) *II Tim.*, II, 2. — Objectiones quasdam ex variis Scripturæ locis afferunt protestantes, sed easdem ex contextu facile dissolvere licet; quod egregie præstat Bellarminus, *o. c.*, cap. 10, c. 190 s.; cfr etiam Murray, *Tract. de Ecclesia Christi*, t. II, disp. 12, sect. IV, p. 557 s., Dublinii, 1862; Mazzella, *De religione et Ecclesia*, p. 269 s., Romæ, 1885[3]; De Groot, *Sum. apol. de Eccl. cath.*, p. 761 s., Ratisbonæ, 1906[3].

(2) Bellarminus, *o. c.*, cap. 4, c. 169.

(3) Hæc demonstratio sub speciali respectu resumit argumentum in tract. de Ecclesia propositum, quo conficitur Christum instituisse magisterium ecclesiasticum ad doctrinam suam, a l consummationem usque sæculorum, ubique terrarum propagandam; et revera hoc magisterium authenticum est medium princeps ad traditionem conservandam, uti in sequenti quadam propositione ex professo explicabitur. Hoc magisterium perenne, semper vivens, *quoad coævos* est simul regula fidei proxima, etiam constitutiva, uti supra jam notavimus, scil. p. 188.

Christus igitur a Deo et apostoli a Christo: et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi plena certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus sancti fiducia egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes prædicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant..... Ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent » (1).

S. Ignatius antiochenus eodem ferme tempore Philadelphenses eamdem veritatem instanter docet: « Cum audirem, ait, quosdam dicentes: Nisi invenero in archivis, hoc est in evangelio, non credo: et dicente me ipsis, quod scriptum est, responderunt mihi hoc esse demonstrandum. Mihi vero archiva Jesus Christus » (2).

Eamdem reverentiam erga traditionem oralem exhibet Papias hieropolitanus, qui narrat: « Quodsi quis interdum mihi occurrebat qui cum senioribus versatus fuisset, dicta seniorum exquirebam: quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus ... prædicarent. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce » (3).

Ita pariter paulo post, circa medium sæculum secundum, Hegesippus (4): quare nec quisquam, qui hanc doctrinam et œconomiam christianam semper in Ecclesia servatam fuisse attenderit, jam recusare poterit testimonium gravissimum s. Irenæi, episcopi lugdunenis, qui per s Polycarpum ad ipsum s. Joannem apostolum

---

(1) S. Clemens, *Epist. ad Cor. I*, cap. 42, n. 1-4 et cap. 44, n. 2 (MPG, I, 292 et 296; apud Funk, *Patres Apost.*, I, p. 152 et p. 154).

(2) S. Ignatius, *Epist. ad Philad.*, cap. 8, n. 2 (MPG, V, 704; apud Funk, *o. c.*, I, p. 270).

(3) S. Papias, Fragm. conservatum apud Eusebium, *Historia eccles.*, III, 39 (MPG, XX, 297; apud Funk, *o. c.*, I, p. 350).

(4) S. Hegesippus, Fragm. conservatum apud Eusebium, *o. c.*, IV, 22 (MPG, XX, 377).

ascendit et qui aperte distinguit « traditionem, quæ est ab apostolis, quæ per successionem presbyterorum in Ecclesia custoditur » ac eamdem auctoritatem huic traditioni atque Scripturæ sacræ adscribit (1).

Adversus hæreticos traditione esse præscribendum adhuc inculcat Tertullianus, circa annum ducentesimum: « Hinc igitur dirigimus præscriptionem: si Dominus Jesus Christus apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius, quam apostolis quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi iis prædicando.... Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis » (2).

Cum latinis concinunt græci. Ita Origenes: « Cum multi sint qui se putant sentire quæ Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita et usque ad præsens in ecclesiis permanens, illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica traditione discordat » (3).

Similiter s. Gregorius nyssenus: « Neque ullus mihi succrepet quod illud etiam, quod a nobis pro confesso habetur, rationibus et argumentis indigeat confirmari et probari: sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem quod habeamus a patribus venientem ad nos traditionem, velut hereditatem quandam per successionem ab apostolis per sanctos sequentes transmissam » (4).

Jam supervacaneum erit testimonia posterioris ætatis

---

(1) S. Irenæus, *Adv. Hæres.*, III, III, 1 s. (MPG, VII, 848 s.).
(2) Tertullianus, *De præscriptione hæreticorum*, 21 (MPL, II, 33).
(3) Origenes, *De Principiis*, Præf. n. 2 (MPG, XI, 116).
(4) S. Gregorius, *Contra Eunomium*, 4 (MPG, XLV, 653).

afferre ad nostram propositionem fulciendam (1); sed hoc in fine observare juvat communem semper fuisse morem agendi hæreticorum omnium temporum, qui ad suos errores stabiliendos, unam Scripturam quasi regulam fidei et fontem revelationis prætextentes, traditionem repudiarunt. Merito concludit itaque Bellarminus: « Præter communem hunc Patrum consensum, idipsum suadet consensus hæreticorum in traditionibus contemnendis. Ut enim ex communi consensu sanctorum Patrum omnium ætatum recipientium traditiones, colligimus eas esse recipiendas: ita ex communi consensu hæreticorum omnium ætatum rejicientium traditiones, colligimus eas non esse rejiciendas » (2).

H. Lamiroy.

III.

De Successione V.

Q. *Quid importat, secundum legem nostram civilem, obligatio* collationis *(obligation du rapport à la masse) in successione?*

R. Distinguenda est primum lex *collationis*, de qua agitur, a lege *reductionis*, qua nempe semper reduci seu minui debent quæcumque liberalitates quibus portio reservata heredum necessariorum læderetur: de qua

---

(1) Multa alia testimonia licet afferre præsertim ex actis et declarationibus Ecclesiæ in antiquioribus conciliis, uti videre est apud Mazzella, *o. c.*, p. 263. — Notetur argumentum etiam *confirmari* ex eo quod pariter sub vetere testamento traditio oralis initio fuit fons revelationis unicus, qui lege scripta non cessavit.

(2) Bellarminus, *o. c.*, cap. 8, c. 186. — Auctor non solum traditiones inhæsivas sed et constitutivas præ oculis habet, et ita pariter quidam Patres, uti Papias, ad locum supra citatum; verum, adnotatio et conclusio hæc Bellarmini, sicut et testimonia Patrum, quoniam *generali* ratione prolata, valent ad demonstrandam traditionem *in genere* consideratam, quatenus omnis traditio est fons a Scriptura distinctus, valorem habens independenter a verbo Dei scripto.

nunc dispositione nihil speciatim pro scopo nostro disputandum occurrit (1).

Porro, obligationem collationis introduxit jus nostrum, seu potius ab antiquioribus legibus et consuetudinibus, quibusdam mutatis, mutuatum est, ob duas præsertim rationes: tum scilicet ad principium æqualitatis inter coheredum jura tuendum, tum etiam ad præsumptam defuncti voluntatem adimplendam; quoties enim ipse defunctus oppositum non manifestaverit, a lege censetur velle ut omnes heredes æquali modo, singuli pro jure suo, partem habeant in hereditate.

Jamvero sic disponit Codex civilis: omnis consanguineus a jure vocatus ad hereditatem et illam acceptans etiam sub beneficio inventarii, referre debet ad massam hereditatis, ut inter omnes dividantur, quæcumque ipse directe vel indirecte ab auctore titulo gratuito acceperit, sive jam antea per donationem inter vivos, sive etiam per legatum: nisi tamen hæ liberalitates ipsi a defuncto expresse concessæ fuerint ultra suam partem seu cum dispensatione collationis, vel nisi lex ipsa dispenset. In casu vero dispensationis, aut etiam si heres ipsam successionem repudiet, tunc dictis liberalitatibus gaudere potest, pro quanto non lædant aliorum forsan partem reservatam (2). Cf. art. 843-845; notenturque sequentia:

a/ *Indirectæ* liberalitates dicuntur illæ quæ quidem non sunt ordinariæ donationes formaliter tales, sed tamen

---

(1) Eodem vocabulo *rapport* utitur lex (art. 843 et 844) ad imponendam tum *collationem* tum *reductionem*; imo etiam ad significandam obligationem referendi *debita* ad massam hereditatis. Hic vero de collatione tantum loquimur, sed tamen latiori sensu: complectendo scilicet tum donationes inter vivos, tum etiam legata quæ sint referenda; etenim stricte loquendo legata referri non valent siquidem nondum re possidentur, sed solummodo reclamari nequeunt, ubi urget lex collationis.

(2) In casu *reprœsentationis*, seu cum filius quidam loco patris sui præmortui veniat ad successionem avi vel avunculi, debet etiam referre liberalitates ipsi patri olim factas: ipsum enim in casu repræsentat. Secus vero est quando non loco patris, seu per repræsentationem, sed proprio nomine seu capite succedit (art. 848).

heredi commodum aliquod gratuitum contulerunt ex liberali intentione auctoris: ut solutio debitorum ejus (1) vel expensæ factæ ad fundandum ipsius statum (frais d'établissement, dot; cfr art. 851); adhuc associationes et conventiones inter ipsum et auctorem initæ ipsique gratuito favorabiles (art. 853-854) etc. De remuneratoriis donationibus dubitatur utrum necne secundum jus civile referendæ sint.

b/ *Dispensatio auctoris* requiritur, ad litteram legis, tum expressa tum etiam legalibus formis vestita: scilicet in ipso solemni actu donationis sive in ipso testamento conscripta, aut saltem in actu quodam posteriore sub forma testamenti sive solemnis donationis inter vivos (art. 843 et 919). Unde stricte loquendo non sufficiunt verba etiam expressa; minus adhuc tacita dispensandi intentio, quamvis ex circumstantiis indubie deducta.

Et revera multi jurisperiti severam hanc tuentur sententiam: at jurisprudentia eos non sequitur: ipsaque practice admittit tum viva voce expressam, tum etiam, si clare deducatur, tacitam auctoris dispensationem: v. g. pro donis manualibus, pro donationibus occultatis sub specie contractus onerosi, pro legatis, vel si quis ex heredibus constituatur legatarius universalis (2), etc.

c/ *Dispensatio legalis* habetur primum quoad liberalitates concessas filiis aut patri sive conjugi illius qui

(1) A collatione tamen excipiunt plures jurisperiti « quæ soluta sunt pro debitis quæ non agnoscit jus civile, ex. gr. per ludum contractis ». (Genicot-Salsmans, *Theol. Mor.*, I, n. 670.

(2) Cf. Planiol, *Droit civil*, III, n. 2229 et 2230. Certe pro *legatis* præsertim mira videtur lex civilis, si ad litteram intelligatur; ideo illi etiam qui severiori opinioni calculum adjiciunt, hanc partem legis plane defectivam pronuntiant. Cf. Van Biervliet, *Droit civil*, n. 285: « Cette disposition heurte les principes sur lesquels se fonde le rapport. Vainement a-t-on essayé de la justifier... Le Code des Pays-Bas, le Code Italien, le Code Allemand, le Code Suisse rejettent le rapport des legs. En France, la loi du 24 Mars 1898 a remplacé la règle de l'art. 843 par la disposition suivante: les legs faits à un héritier sont réputés faits par préciput et hors part, à moins que le testateur n'ait exprimé la volonté contraire, auquel cas le légataire ne peut réclamer son legs qu'en moins prenant ».

successionem adit (art. 847-849) : quamvis enim heres inde commodum indirectum habuerit, *ipsi* tamen reputantur hujusmodi gratificationes cum dispensatione factæ (1).

Deinde, fructus rerum referendarum a collatione dispensantur usque ad diem apertæ successionis (art. 856).

Insuper « les frais de nourriture, d'entretien, d'éducation, d'apprentissage, les frais ordinaires d'équipement, ceux de noces et présents d'usage, ne doivent pas être rapportés » (art. 852) (2)

Conceditur etiam collationis, non sane reductionis dispensatio heredibus in linea recta, relate ad « la valeur en pleine propriété des biens aliénés, soit à charge de rente viagère, soit à fonds perdu, ou avec réserve d'usufruit » (art. 918). Pariter referri non debet bonum immobile quod fortuito jam periit absque culpa donatarii (art. 855).

Tandem dispensatio practice admitti potest pro illis donationibus « quæ dicuntur manuales et pro conditione defuncti minoris sunt pretii, quia prætor non curat minima, et legitima consuetudo ita legem interpretatur » (3).

d/ *Quoad modum collationis faciendæ:* cum in favorem coheredum tantum lex illa lata sit, ut nempe inter eos æqualitas servetur, non obligat collatio relate ad simplices legatarios aut creditores defuncti (art. 857); nisi

---

(1) « Il n'y a plus de *rapports pour autrui*. Même en cas d'interposition réelle de personne, le rapport ne pourrait être exigé de l'héritier; la preuve de l'interposition ne serait pas recevable en principe ». VAN BIERVLIET, *ibid.*, n. 275.

(2) « Quamvis hæc referri *non debeant*, parentes tamen valide et licite, dummodo legitima cujusque filii portio servetur, cum liberis majoribus *contrahere possunt*, ut hujusmodi expensas in illorum gratiam ea tantum conditione faciant, ut debitum exinde profectum ex hereditate illis postea obventura solvatur: hic enim contractus versatur in materia licita, quam parentes concedere aut negare possunt. Contractus cum minore initi robore carent, nisi liberi, postquam majores fuerint, illos ratos habuerint ». MARRES, *De Justitia*, I, n. 278.

(3) MARRES, *ibid.*

tamen pure et simpliciter acceptaverit heres : tunc enim de debitis saltem defuncti personaliter tenetur, adeoque collationem exigere possunt dicti creditores (1).

Peragitur autem collatio donorum : sive ad massam hereditatis referendo ipsam rem donatam, sive singulis coheredibus partem solvendo quæ ipsis in hoc dono legaliter competit, sive valorem ejus deducendo a totali summa ad quam heres donatarius jus habet in successione. Cf. stipulationes art. 858-869. Quoad legata vero quæ conferenda forent collatio fit eo ipso quod lex prohibeat ne a legatario hujusmodi reclamentur (art. 843).

e) Denique, ad *filios naturales* quod attinet, cum hi non quidem heredes dicantur sed tamen consanguinei sint et successores, eadem ipsis in genere applicanda veniunt principia, in vigore tamen manente prohibitione generali art. 908 : ne scilicet plus unquam recipiant quam congruam portionem quæ ipsis secundum Codicem civilem competit. Ideo nequidem si expresse ab auctore dispensentur, nec imo si ipsi repudient successionem, ipsis gratificari licet ultra mensuram filii naturalis ; sed quidquid hanc partem superat erit referendum. Insuper ipsi privilegiis art. 840 et 918 non gaudent ; et tandem si filii eorum ad successionem v. g. avi veniant, dona patri suo olim facta semper referre debebunt.

IV.

Q. *Inde deducas utrum in conscientia teneatur heres donatarius aut legatarius ad faciendam collationem, quoties hæc a lege vel per sententiam judicis imponitur.*

R. Quæstio quidem hæc non habet difficultatem quoties lex simul et ipse defunctus collationem imponunt, dum auctor expresse monuerit donum esse postea referendum,

(1) Similiter *coheredum* creditores collationem semper exigere possunt, si opus sit ; et etiam *defuncti* creditores semper obstare possunt executioni legatorum quæ contra jura sua superarent bona successionis (l'actif net).

aut ita velle certo cognoscatur, prout de dote v. g. communiter casus erit. Nec etiam difficultas est ubi heres nullam probabilem seu seriam rationem habeat conjiciendi absolutam fuisse liberalitatem sibi concessam. In utroque casu ex justitia stricta collatio peragenda est, cum per ipsum donatorem aut per justam legem precaria tantum facta fuerit gratificatio. Nec tunc exspectare potest ille successor usquedum alii coheredes res referendas reclament, sed sponte obligationi suæ satisfacere tenetur. Nisi tamen per accidens — quod raro accidet, — alii coheredes, donationem caducam probe noscentes, simulque jus suum ex lege et conscientia certo intelligentes, de facto ab hujusmodi successore nihil petant dum facile possent : in hoc nempe casu non videtur collatio sponte porrigenda, siquidem tale silentium qua renuntiatio juri tuto haberi potest.

Verum, duplex manet casus difficilior : tum scilicet heredis qui certo se ab auctore dispensatum novit, quamvis aliis coheredibus et tribunali rem demonstrare non valeat : tum illius qui probabiliter quidem dispensationem conjicere potest, at non certo. An enim coram Deo uterque legi civili aut sententiæ judicis obtemperare tenetur ?

1/ Equidem prior casus haud infrequenter contingere natus est. Etenim ex una parte sapienter tribunalia demonstrationem requirunt factæ dispensationis nec meras admittunt heredis affirmationes ; ex alia vero parte facile accidit auctorem indubie sed secreto uni heredi præ aliis favere voluisse : dum v. g. ipsi clam aliquid dederit expresse monens rem non esse postea referendam, vel per verba æquivalentia ipsum implicite dispensans a collatione, ut si dixerit : sume hoc tibi neminique quidquam dixeris ; vel etiam fieri potest defunctum talibus in circumstantiis gratificationem aut legatum concessisse ut heres, quamvis rem demonstrare non valeat, moraliter tamen certo cognoscat tacitam adfuisse dispensationem, præsertim si auctor legem collationis ignoraverit.

Hoc in casu communis est sententia collationem certe ante judicis sententiam non esse imponendam ; simulque alios coheredes, si forte demonstratione non indigeant quia jam per seipsos de concessa dispensatione certiores existunt, ad tribunal appellare non posse nec sententia frui judicis : habent enim in supposito suam probationem (1).

Quid vero si dispensationem nesciant sive de ea dubitent? Profecto tunc judicem adire possunt, defectuque demonstrationis sententiam obtinebunt sibi favorabilem, qua uti poterunt in conscientia; porro an tali sententia coram Deo teneatur altera pars non omnino constat. Probabilius negandum videtur, adeoque heredi cujus interest permittendum ut in casu collationem eludat, si utique subterfugii copiam habeat : etenim secundum art. 843, addita interpretatione jurisprudentiæ, verisimilius est legem nostram hic fundari in præsumptione facti, absentiæ nempe dispensationis; quæ præsumptio cum ex hypothesi falsa existat, ruit per se, simul cum lege, omnis valor judicii (2).

Contra, si probabile tantum motivum habeat heres hujusmodi dispensationis conjiciendæ, quia dubia apparet intentio auctoris, qui v. g. tacuit dum tamen legem noverat, et ita quidem ut inde vera materia sit ambigendi : tunc heres non stricte tenebitur ante sententiam ; sed postea ex justitia stricta referre debebit quæcumque legi collationis obnoxia sunt. Imo jam ante sententiam, ne

---

(1) Supponitur utique pars reservata mansisse integra; secus cfr *Collat. Brugen.*, t. VIII, p. 670 ss.; t. XXIII, p. 193.

(2) Cf. Génicot-Salsmans, *Théol. mor.*, I, editio 8a, n. 670 in nota. — Non tamen improbabilis videtur sententia severior, obligans tunc ad obtemperandum judici, tenensque mancam fuisse in casu translationem juris propter defectum *probationis*; adeo ut fundamentum legis potius in dispensationis demonstratione quam existentia quærendum sit : « Neque hæc lex, supposita voluntate absoluta donandi at non satis manifestata, jus proprietatis domini viventis violat, sed sancit efficacem non fuisse translationem juris, ita ut, ipso mortuo, in ejus hereditate res maneat ». Ill. Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 329.

coheredibus inutiles imponat expensas, ex caritate tenebitur ad referendum, petentibus saltem aliis, quoties judicium damnatorium a priori certum apparet.

E. Hosten.

V.

De confessario scrupulosorum.

Q. *Quænam præcipuæ qualitates apud directorem scrupulosorum requiruntur?*

Ut confessarius cum spe fructus opus reeducationis pœnitentis scrupulosi suscipiat, ante omnia captare debet *absolutam* ejus *fiduciam*, dein provocare debet *plenam* ejus *obedientiam;* utramque autem dispositionem semel obtentam debebit prudenter conservare ac studiose cum ea operari. Atvero non leves difficultates nec paucas objectiones experitur ægrotus quominus ita totaliter proprium sensum ac propriam voluntatem abdicet, et antequam suæ morbidæ « securitati » renuntiare consentiat, alteram securitatem ex dotibus confessarii sui exigit (1).

1° Dotes requisitæ ad fiduciam totalem merendam hæ sunt:

a/ Pietas sincera et sanctitas vitæ.

b/ Scientia tum psychologica de natura scrupulorum, tum theologica de privilegiis scrupulosorum, de sententiis benignioribus ipsis in variis materiis applicandis, de solutionibus et explicationibus ipsorum quæstionibus aut erroribus suppeditandis.

c/ Prudentia ad discernendam conscientiam scrupulosam a statibus conscientiæ affinibus (2), ad dignoscendam materiam scrupulorum ac remedia convenientia.

---

(1) Hæc plena subjectio facilior est obtentu apud feminas generatim quam apud viros, quippe qui « consilia » quærunt quæ discutiant, potius quam directionem efficacem quam dociliter subeant. Dimidiata autem subjectio nunquam ad plenam sanationem perducet. Lege Eymieu, *Obsession et scrupule*, p. 219 ss.

(2) Vide supra, p. 286.

Hanc scientiam ac prudentiam confessarius manifestabit pœnitenti ipsum patienter « auscultando » et methodice interrogando in prima consultatione, ipsi indigitando præcipuam suam anxietatem, sitam nimirum in impossibilitate certitudinis ac securitatis in his aut illis actionibus aut omissionibus, compendiose explicando, pro ingenio ipsius, naturam morbi sui, firmam tandem ingerendo spem sanationis (1). Debet autem hoc nomen scientiæ ac prudentiæ sedulo servare : ideo nil miretur, quidquid effutierit pœnitens, sed constanter securitatem medici experientia periti præ se ferat. Sedulo vitet omnem vanam scientiæ ostentationem (2), excludat omnem fallaciam, devitet omnem suspicionem erroris (3) et nimiæ aut arbitrariæ laxitatis.

d Magna benignitas, misericordia, patientia in excipiendis his miseris qui de se potius antipathiam excitant, et in audiendis semel atque iterum, quoties et quousque vera necessitas id postulat, eorum miseriis (4). Ideo ne confessarius det signa impatientiæ, ne irascatur, ne dure tractet præsertim scrupulosos « sensibiles » (5) nisi

(1) Lege Eymieu, *o. c.*, p. 222 ss. Merito cl. Vermeersch, *Theologiæ moralis principia*, p. 342 monet confessarium ut « abstineat a repetenda expositione quam scrupulosus fecit difficultatis suæ vel casus sui : si enim scrupulosus aliquantisper fuse dixerit, vix fieri potest ut inter suam et medici narrationem non deprehendat diversitatem, unde casum non intellectum ac proin non solutum existimet ».

(2) Ita imprudenter omnino confessarii quidam ut suam experientiam ostentent scrupulis sui pœnitentis graviores opponunt, eos describendo, quos apud alios audierunt : sæpe enim hæc exempla fiunt semen novorum scrupulorum.

(3) « Ideoque sit brevis in explicatione consiliorum suorum, ne inter allegata motiva, scrupulosus unum minus solidum reperiat propter quod de reliquis dubitare incipiat ». Vermeersch, *o. c.*, p. 342.

(4) P. Faber docte scripsit de scrupulosis in *Progrès de l'âme*, p. 301 ss. : sed hæc mansuetudo apud ipsum omnino desideratur ut videre est v. g. p. 300, 311, 315, 326. « Le P. Faber, l'apôtre de « la bonté », se montre terriblement dur contre les scrupuleux.... Et si un saint homme comme le P. Faber est rude à ce point, quelle difficulté ne trouvera-t-on pas à être bon malgré tout ». Eymieu, *o. c.*, p. 227 s.

(5) Duriuscule licebit ipsi agere cum « intellectualibus » quin tamen eos in desperationem adigat, sed oleum cum vino misceat. Cfr Beaudouin, *Tractatus de conscientia*, p. 63.

cum obedire recusent aut pigritentur; ne iis mordendo et humiliando irrideat (1).

2° Utut momentosus, ille affectus fiduciæ non salvabit scrupulosum nisi transeat in obedientiam cæcam promptam et constantem. Ad hanc autem provocandam et conservandam requiritur in confessario animi firmitas et auctoritas.

Confessarius igitur exiget monopolium directionis, i. e. ne scrupulosus ad alios confessarios recurrat (2), nec ipse sibi, libros consulendo, mederi quærat.

In vultu, in tono vocis, in verbis et modo dicendi firmitatem ostendet, nihilque hæsitanter pronuntiabit.

Imperative finem imponet expositionibus inutilibus ac auctoritative normas præscribet, easque paucas, breves, quæ nullum locum relinquant dubiis (3), motivum suarum præscriptionum generatim non addet, neque circa earum legitimitatem disputationem admittet (4). Item ad quæstiones positas ex auctoritate respondeat, sine hæsitatione et sine multa inquisitione.

Ne ipsum tædeat frequenter repetere et constanter inculcare eamdem regulam quam et ipse immutabilem servabit (ne pas se déjuger). Certior fiat pœnitentem ambabus auribus normam suam audivisse, ipsumque jubeat eam repetere.

Exiget ut in praxi regula effective applicetur, secus minetur se pœnitentem ad alium dimissurum, idque

---

(1) « Point de plaisanterie sèche sur ses idées folles: cela ne prouve rien, et le malade, qui se moque assez de lui-même, sait bien qu'il n'y a rien de plus facile, et il sent que son mal en somme est assez sérieux pour que son médecin ait mieux à faire que d'en plaisanter. Qu'on parle de sa folie, quand il y a lieu, sérieusement, ou avec un sourire plein de bienveillance, qui offre à son bon sens une aide sans blesser son cœur; et qu'on se souvienne que les cœurs écorchés par la souffrance reçoivent les moindres chocs sur une plaie vive ». Eymieu, *o. c.*, p. 226.

(2) Quod cum aliis pœnitentibus numquam prudenter faciet.

(3) Vide supra ubi de remediis scrupulorum egimus.

(4) Nullas igitur objectiones doctrinæ admittat: objectiones autem facti audire debet, eas nimirum circumstantias quæ forte unam alteramve præscriptionem reddunt impossibilem effectu.

faciat si defectus obedientiæ id postulet Generatim ne permittat supprimi quasdam actiones in quibus specialem difficultatem experitur scrupulosus : attamen in casibus extremis transitorio modo eum dispensare poterit a quibusdam actibus, v. g. ab oratione, confessione, communione, qui vere vires actuales ægroti excedunt (1).

A. Legrand.

VI.

De octava.

Q. *Quid est octava, quotuplex distinguitur et cujusnam ritus sunt dies ejus?*

R. **Notio**. Octava est alicujus festi celebratio, ad majorem solemnitatem, per dies octo continuos festive prorogata vel saltem in octava die iterata.

Octava est igitur quædam extensio festi, idem objectum celebrans; et, utpote accessorium, naturam principalis sequens. Unde in lingua liturgica tota octava quasi una dies exhibetur (2).

Origo et historia plurium causarum influxu explicatur.

1/ *Judæis* certe sacer erat præ ceteris numerus septenarius (3). Unde plures solemnitates celebrabantur per septem dies continuos (4). Inter quæ tamen festa Tabernaculorum (5) et Templi Dedicationis sub Salomone

---

(1) Cfr Eymieu, *o. c.*, p. 290 s. 8; Dubois, *L'ange conducteur des âmes scrupuleuses*, p. 110 s.; Leroux, *o. c.*, t. VIII, p. 12.

(2) Quare per octavam solent textus diei festo proprii adhiberi sine mutatione verborum, v. g. « hodie, hodierna die, diem sacratissimam celebrantes « (v. g. in Communicantes), quæ tamen supprimuntur extra octavam.

(3) Septima dies hebdomadæ erat Sabbatum; sacer erat septimus mensis, septimus annus erat sabbaticus; post septies 7 annos erat jubilæum.

(4) V. g. dies Azymorum et Paschatis.

(5) *Levit.* xxiii, 36 « *septem* diebus .. Dies *primus* vocabitur celeberrimus atque sanctissimus... dies quoque *octavus* erit celeberrimus atque sanctissimus ».

ejusque purificationis sub Ezechia et Machabæis (1) absolvebantur die octava per solemnitatem specialem, ita ut nostras octavas præfigurare viderentur. Cujus sane influxu solemnis Dedicationis ecclesiarum Hierosolymitanarum a. 335 factæ (2), anniversaria commemoratio s. IV et V celebrabatur per septem (3) vel octo (4) dies continuos.

2/ Juxta *disciplinam baptismalem* antiquam, solemniter baptizati in nocte Paschatis et Pentecostes non ante baptismum mysteriis initiabantur omnibus, sed præcipua edocebantur per hebdomadam subsequentem (5) usque ad Dominicam sequentem, quæ erat « octava » *Paschatis* vel *Pentecostes* (6), qua die « miscendi erant plebi fidelium » (7) Hi dies dicebantur « octo dies neophytorum » aut « octavæ infantium », « octavæ feriæ regeneratorum » (8) Hi « dies paschales » (9) aut Pentecostes celebrabantur per liturgiam festi (10) ab omnibus fidelibus et habebant quotidie -- sicut hactenus habent -- officium et missam propriam: sunt octavæ antiquissimæ (11) et

---

(1) II *Paral.*, VII, 9; I *Machab.*, IV, 56; cf. *Nehem.*, VIII, 18.

(2) Euseb. *Vita Constantini*, III, 43 ss.

(3) Sozomen. *Hist. eccles.* II, 26, qui testatur quod « baptismi quoque sacramenta eo die traduntur ».

(4) *S. Silviæ Peregrinatio ad Loca sancta*, ed. Gamurrini, p. 108.

(5) Recole *Cathecheses mystagogicas* S. Cyrilli Hierosolymitani et libros *De mysteriis* a S. Ambrosio et *De sacramentis* a Pseudo-Ambrosio conscriptos.

(6) Quamquam hodie juxta *Rubr. Gen. Brev.* t. VII, 2 hujus « octavæ officium terminatur in sabbato sequenti ad Nonam », olim octava dies erat Dominica. Cf. S. Aug. *Sermo* 259, n. 2; *Peregrinatio*, p. 100; Sacramentaria et Lectionaria antiqua; Amalar. *De eccl. off.*, IV, 29; 43.

(7) S. Aug. *Sermo* 260, 1.

(8) S. Aug. *Serm.* 259, 2; 260, 1; 353; 376; *Epist.* 34, 3; 55, 32, 33, 35. Cf. Amalar. *De eccl. off.*, IV, 23.

(9) Eucheriæ *Peregrinatio* ed. Gamurrini p. 99; S. Aug. *Sermo* 157 (lect. IV Dom. in albis).

(10) S. Aug. *Serm.* 231 ss.; *Const. Apostol.*, V, 20, n. 14.

(11) Olim etiam cum feriatione si non in populo saltem in foro civili celebratæ.

hodie etiam solæ privilegiatæ I ordinis. — Successit deinde octava *Epiphaniæ*, quo die in Oriente etiam conferebatur baptisma, quæ et ipsa celebrabatur per dies octo (1) et quæ usque ad ultimam reformationem erat sola privilegiata II ordinis. Accessit sæc. VI dies octava *Nativitatis Domini*, qua die speciatim recolebatur divina maternitas B. M. V. et eadem die peracta Circumcisio (2); ad instar priorum octavarum facta est et hæc octava continua, et inductæ sunt decursu temporis aliæ octavæ festorum Domini, notatim Ascensionis et Corporis Christi.

3/ Octava « *mysticum* reserat numerum » ait S. Ambrosius (3). Quam significationem symbolicam a sæculo saltem secundo invenimus applicatam diei Dominicæ. Hæc enim in memoriam resurrectionis Christi celebrata, primis christianis non est tantum, juxta conceptum septimanæ hebraicæ, « prima sabbati » (4), imo « *prima* omnium dierum » (5) sed relate ad hebdomadam præcedentem et « secundum numerum omnium dierum per cyclum decurrentium vocatur *octava* et *prima* esse non desinit » ut ait S. Justinus (5). Unde sæpe dicitur « octava

---

(1) Hierosolymis saltem a sæc. IV : *Peregrinatio*.

(2) Cf. Sacrament. Gel sian., Gregor., Gothic., Liber Comicus, Lectionaria Capuanum et Neapolitanum, etc. — Amalar. *De eccl. off.* IV, 32.

Ideo in festo Circumcisionis non fit commemoratio octavæ Nativitatis quia Circumcisionis festum est de eodem objecto ac Nativitatis, cujus est quasi complementum.

(3) *In Lucam*, V, n. 49 (in Brev. Com. plur. martyr. 3 noct.) ubi agens de octo beatitudinibus seu benedictionibus, dicit octavam esse « spei nostræ perfectionem » et « summam virtutum »; cf. *in Luc.* V, n. 9; *Epist. XLIV ad Horontianum*, n. 5 ss.; *De Elia et jejunio*, LXIX, 70; *Epist.* XXVI, 8; *De Jacob*, II, 50.

(4) Matth. XXVIII, 1; 1 Cor. XVI, 2; Act. Ap. XX, 7; Joan. XX, 1, 19, 26; Marc. XVI, 2; Luc. XXIV, 1.

(5) S. Justin., *Dial. cum Tryph.* n. 41; cf. n. 138; cf. S. Ambr., *De Elia*, 69. Est enim commemorativa primæ diei creationis, productionis nempe lucis: unde poterat sub hoc respectu opponi paganorum « diei solis ». Cf. S. Just., *Apol.*, 67; Euseb. *Vita Constant.* IV, 18.

ad caput redire » (1) et perfectionem quamdam absolutam et christianam significare (2).

Revera octonarius numerus, utpote primus quadratus solidus seu cubus (2 × 2 × 2) (3), antiquis erat omni ex parte completus et plenissimæ perfectionis symbolum. Christianis vero « in octavo numero resurrectionis est plenitudo » (4) quia « octava dies Christus resurrexit » (5).

Octava dies christianorum perfectior est septima Judæorum die requiem temporalem signante (6), et præfigurabat requiem æternam, « vitam novam » quæ resurrectionem subsequetur, « mundum novum », « vitam æternam », « diem judicii » aut etiam resurrectionem corporum (7).

Sub influxu octavarum festorum Domini, magis indies florescente cultu Sanctorum, horum etiam quorumdam festa præcipua interdum cœperunt augeri die octava (8), quam medii ævi scriptores ita interpretantur ut in die

---

(1) S. Aug. *De sermone Domini in Monte*, c. 4 (in Brev. die 7ª infra oct. Omn. Sanctorum) *Epist.* 55 n. 23, 32; Amalar. *De eccl. off.* IV, nn. cc. 29, 32; Durandus, *Ration.* VII, 1, 46.

(2) S. Ambrosius, *Epist.* LXXII, 25.

(3) Clemens Alexandr. *Strom.* c. VI. Hoc idem innuit S. Ambrosius, *De Abraham*, II, 80, sed parvipendit ut insistat « veris mysteriis » christianæ religionis.

(4) *Epist. Barnabæ*, c. 15; cf. S. Ignatius, *Ep. ad Magnes.* c. 9; S. Ambros., *In Lucam* II, (in lect. VII festi Circumcisionis) VI, 80; VII, 6.

(5) S. Ambros. *In Lucam*, VII, 173; cf. *Epist.* XXVI, 8 et sæpius. Christus Jesus « resurrectione sua octavam sanctificavit: cœpit eadem prima esse quæ octava est, et octava quæ prima: habens ex numeri ordine prærogativam et ex resurrectione Domini sanctitatem ». *In psalm. XLVII, Enarratio 1.*

(6) S. Ambros. *Epist.* XLIV, 4: Hebdomas Veteris Testamenti est, octava Novi.

(7) Cf. *Epist. Barnabæ* c. XV; Origenes, *Selecta in Psalm.* (Delarue II, 517); *In Exod hom.* VII, 5; Victorin. *De fabrica mundi* (Routh III, p. 458). August., *Epist.* 55, 23; *Sermo* 259, 2; S. Ambros. *In Lucam*, VIII, 25.

(8) Quædam indicia in Sacr. Leoniano (ed. Feltoe p. 43; 50; 99); in Gelasiano, octavæ dies SS. Petri a Pauli, Laurentii, Andreæ... Cf. Amal. *De eccl. off.* IV, 37.

natali « congratulemur animabus Sanctorum et in octavis eorumdem Sanctorum, resurrectioni coporum » (1).

Sed raræ admodum erant octavæ Sanctorum, et « nulla quotidiana mentio per interjacentes dies » agebatur in liturgia « exceptis de S. Maria et de S. Petro » ait s. XI *Micrologus*, c. 44. Verum a s. XIII, influxu potissimum Franciscalium, cœperunt octavæ augeri numero et celebrari diebus octo continuis et quidem sub ritu duplici, ut onus longioris officii ferialis restringeretur, quam agendi rationem improbat Radulphus Tungrensis noster (2).

Quare reformatio Pii V, pluribus suppressis octavis, ceteras distinxit in octavas festorum Domini plus vel minus vel non privilegiatas, et octavas Sanctorum et Dedicationis: hæ tamen omnes recolebantur per octo dies continuos, servato tamen semper ritu altiori (duplici) pro die octava.

Pius tandem X disciplinam induxit antiquiori praxi magis conformem, hodie vigentem.

III. **Distinguuntur** octavæ in privilegiatas, communes et simplices (3).

1. « **Privilegiatæ** de quibus semper fit aut officium aut commemoratio » « in Laudibus, Missa et Vesperis »; sunt « omnia festa duplicia I classis Domini, quæ in universali Ecclesia cum octava recoluntur ».

Dividuntur in tres ordines:

a/ « *Octavæ I ordinis*, quæ in occurrentia festis quibuslibet præferuntur (4) sunt octavæ Paschatis et Pentecostes ».

---

(1) Amal. *De eccl. off.* IV, 36, 37; Durandus, *Ration.* VII, 1, 42.

(2) *De canonum observatione*, prop. XIX.

(3) Rubr. nov. Brev. tit. III, et Duæ tabellæ (in limine Breviarii). Cf. Decr. gen. 28 oct. 1913.

(4) Singulis igitur diebus fit integrum de octava officium cum missa propria. Tribus prioribus diebus, quum sint duplicia primaria I classis universalis Ecclesiæ, excluditur etiam commemoratio festorum occurrentium; reliquis infra octavam diebus fit commemoratio in Vesperis, Laudibus et Missa, de occurrente festo simplici aut de simplificato semidupl. aut duplici non classico.

b/ « *Octavæ II ordinis*, quæ in diebus infra octavam festis quibuslibet præferuntur præterquam duplicibus I classis; in die autem octava etiam duplicibus I classis quæ non sint Ecclesiæ universalis (1): octavæ Epiphaniæ et Corporis Christi ».

c/ « *Octavæ III ordinis*, quæ in occurrentia iisdem tantum festis præferuntur atque octavæ communes: octavæ Nativitatis Domini et Ascensionis » (2).

Hodie ergo « octava Corporis Domini iisdem gaudet privilegiis quibus [antea jam] octava Epiphaniæ; et octava Ascensionis, in occurrentia tantum (3) iisdem quibus [antea jam] octava Nativitatis (4) ».

Octavarum privilegiatarum officium recitatur ad modum officii « excepti » h. e. « integre ut in die festo, præter ea quæ suis locis adsignantur (5) ».

Per integras octavas privilegiatas prohibentur: octavæ particulares; collecta imperata communis; missa *Requiem* excepta exsequiali cantata aut pro paupere etiam lecta, quæ etiam prohibetur in festis Paschatis, Pentecostes et Nativitatis et SS. Trinitatis; missa votiva privata etiamsi in cantu fiat; missa votiva pro sponso et sponsa permittitur tantum in octavis III ordinis. Etiam prohibetur missa votiva ad instar solemnis SS. Cordis Jesu.

2. « Communes quæ infra octavam præferuntur tantum officiis simplicibus, et in die octava omnibus duplicibus quæ non sunt I aut II classis »,

---

(1) Diebus igitur *infra* octavam celebrari potest festum Patroni loci, Titularis aut Dedicationis ecclesiæ; in ipsa die octava (Corporis Christi) admittitur tantum festum S. Joannis Bapt. et SS. Apost. Petri et Pauli.

(2) Per modum tamen privilegii, octava SS. Petri et Pauli est etiam octava privilegiata III ordinis, sed dumtaxat « pro universo clero in Roma ejusque districtu degente, tam sæculari quam regulari etiam calendarium proprium habente ». (Vide Decr. n. 3581; 10 dec. 1913; 22 maii 1914; 11 aug. 1915; 8 jul. 1922).

(3) In *con*currentia enim habet octava Nativitatis hoc privilegium singulare « quod psalmi diei Nativitatis cum suis antiphonis dicuntur, per totam octavam Nativitatis, in Vesperis cujuslibet officii præterquam in Circumcisione Domini ».

(4) Nov. Rubr. Brev. III, 3.

(5) Decr. Gen. 28 oct. 1913, t. II, n. 1.

Sunt octavæ omnium — præter sex festa Domini privilegiata — festorum duplicium *I classis* quæ cum octava celebrantur (1).

Earum officium, tum in die infra octavam, tum in die octava, celebratur ad modum officii « ordinarii » (2).

3. **Simplices** « de quibus nihil fit nisi in die octava, et quidem sub ritu simplici » (3), et quæ « in die octava festis simplicibus præferuntur et officio B. Mariæ in Sabbato » (4).

Sunt omnes octavæ festorum duplicium *II classis* quæ cum octava recoluntur (5).

Octavæ simplices — ad normam usus antiqui Romani — constant tantum die festo et die octava. Die festo, qui est dupl. II classis, officium recitatur ad modum officii excepti. Die octava, quæ est ritus simplicis, officium est ordinarium; omittenda sunt suffragium et preces et adhibenda est, si saltem commemoratio octavæ facta sit, doxologia propria festi. Sed diebus intercalaribus, quæ non sunt de octava, nihil fit de octava.

---

(1) Enumerantur in limine Breviarii, ad *Duas Tabellas:* Conceptionis Immaculatæ et Assumptionis B. M. V.; Nativitatis S. Joannis Baptistæ; solemnitatis S. Joseph; SS. Petri et Pauli; Omnium Sanctorum; Dedicationis et Tituli tum propriæ ecclesiæ, tum ecclesiæ cathedralis; Patroni principalis oppidi vel civitatis, diœcesis, provinciæ et nationis; Tituli et Sancti fundatoris Ordinis seu Congregationis; aliorum festorum duplicium I classis, quæ alicubi cum octava celebrentur.

(2) Nempe « Antiphonæ et psalmi ad omnes horas et versus nocturnorum dicantur de occurrente hebdomada die, et lectiones I nocturni — nisi habeantur propriæ vel, lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de festo aut de communi — dicuntur cum suis responsoriis de Tempore ». (Decr. Gen. 28 oct. 1913, II, 2).

(3) Decr. Gen. 28 oct. 1913, II, 3. Ergo ratione oct. non dicitur *Credo*.

(4) « Ita ut si occurat in die octava aliquod officium duplex vel semiduplex, etiam repositum vel translatum, aut feria major vel vigilia, de die octava hujusmodi fiat tantum commemoratio juxta Rubricas. Festa vero simplicia occurrentia commemorantur in officio de die octava: cui cedit etiam officium S, Mariæ in Sabbato, in casu omittendum ».

(5) Enumerantur in limine Breviarii, ad *Duas Tabellas:* octavæ Navitatis B. M. V.; S. Joannis Ap. et Evang.; S. Stephani, protomart.; SS. Innocentium Mm.; S. Laurentii Mart.; et aliorum festorum duplicium II classis quæ alicubi cum octava celebrenter.

IV. **Ritus**. In octavis *privilegiatis* et *communibus* dies prima seu festum est duplex I classis ; dies octava est hodie ritus duplicis majoris (1) et prævalet omni alii officio duplici majori. Dies vero infra octavam — si excipias ferias II et III post Pascha et Pentecosten, quæ sunt dupl. I classis sunt ritus semiduplicis. In octavis tamen communibus et privilegiatis tertii ordinis, hi dies ritus semi-duplicis cedunt semper festis semiduplicibus etiam secundariis et inferioris dignitatis (2).

In octavis autem *simplicibus*, dies prima est festum duplex II classis et dies octava ritus simplicis, sed prævalens tamen aliis festis simplicibus.

Ad *qualitatem* quod attinet, dies octava et infra octavam sunt primarii vel secundarii, prout ipsum festum est primarium vel secundarium.

Quoad *præstantiam* relativam « octavæ inter se præferuntur eadem lege, qua festa ipsa ad quæ pertinent » (Rubr. Nov. III, 1) Octava enim sequitur festum sicut accessorium sequitur naturam principalis

C. Callewaert.

---

(1) Sed in die octava Nativitatis Domini et Pentecostes occurrunt perpetuo festa Circumcisionis (dupl. II cl.) et SS. Trinitatis (dupl. I cl.). — « Dies octava communis, etiam Domini, tam in occursu quam in concursu cedit cuilibet Dominicæ ». — Dies autem octava Domini privilegiata, in occurrentia accidentali et in concurrentia Dominicæ minori præferuntur (Notanda post *Duas Tabellas*, n. 10).

(2) Ratio est quia in æqualitate ritus, nobilius est festum quod est principale aliquid, quam dies infra octavam quæ est accessorium alicujus festi et cujus officium pluries repetitur.

Acta SS. Congregationum

Suprema S. Congregatio S. Officii.

DAMNATIO LIBRORUM.

I.

Decreto 4 maii 1923 (1) damnata sunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserta opera:

I. *Historia interna documentada de la Compañía de Jesús*, par Don Miguel Mir, Pbro, de la Real Academia Española. Tomo I et II.

II. *Histoire intérieure de la Compagnie de Jésus d'après les documents adapté par* I. de Récalde *du récent ouvrage espagnol de Don Miguel Mir*: I, « *Les principes* ». Paris, Librairie moderne, rue de l'Échaudé St-Germain, 2, 1922.

II.

Decreto 10 maii 1923 (2) proscriptum fuit et damnatum opusculum: *L'apparition de la très Sainte Vierge sur la sainte montagne de la Salette le samedi 19 septembre 1845. — Simple réimpression du texte intégral publié par Mélanie*, etc. Société Saint-Augustin, Paris-Rome-Bruges, 1922. Mandat S. Congregatio ad quos spectat ut exemplaria damnati opusculi e manibus fidelium retrahere curent.

---

(1) *Act. Apost. Sedis*, 1923, t. XV, p. 287.
(2) *Ibid.*, p. 287 s.

S. Congr. de Disciplina Sacramentorum

FACULTATES MATRIMONIALES.

Beatissime Pater,

Ordinarius Brugen. humiliter postulat a Sanctitate Vestra concessionem specialium facultatum matrimonialium, habita ratione vastitatis diœceseos.

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SSmo Dno Benedicto Papa XV sibi tributarum, attentis expositis, Ordinario Oratori infra scriptas ad triennium communicat facultates, quibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione hujus apostolicæ delegationis ad normam can. 1057:

I. Dispensandi *justa et rationabili ex causa* super matrimonialibus impedimentis minoris gradus quæ in can. 1042 recensentur, nec non super impedimentis impedientibus de quibus in can. 1058 ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

II. Dispensandi *ex gravi urgentique causa* quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur super impedimentis majoris gradus infra recensitis :

a/ consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur ;

b/ consanguinitatis in secundo lineæ collateralis gradu;

c/ affinitatis in primo lineæ collateralis gradu æquali vel mixto cum secundo;

d/ publicæ honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod conjux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

III. Dispensandi tempore et in actu Sacræ Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

IV. Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis minoris gradus si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu hujus sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

In usu facultatum de quibus in præsenti folio præ oculis habeantur quæ in can. 1048 ad 1054 statuta reperiuntur.

Curet Ordinarius in singulis præfatis concedendis dispensationibus ut nupturientes qui pares solvendo inveniantur æquam oblationem juxta vires persolvant in obsequium Sanctæ Sedis. Idem autem Ordinarius quovis anno, a data præsentium computando, referat ad hanc Sacram Congregationem de numero et specie dispensationum quas vigore præsentis indulti Ipse fuerit elargi us et summam oblationum transmittat, salvo præscripto can. 1056.

Pro facultate dispensandi super impedimentis mixtæ religionis et disparitatis cultus sive singillatim sumptis sive cum aliis impedimentis concurrentibus, recurrendum ad Sanctum Officium.

Datum Romæ ex ædibus ejusdem Sacræ Congregationis die 20 mensis Julii anno 1922.

(Sign.) M. Card Lega Præf.
A. Capotosti Ep. Therm. Secret.

Adnotationes: A/ Circa prooemium indulti.

1° Facultates conceduntur ad triennium.

2° Late interpretandæ sunt, adeoque *a/* Ordinarius istis facultatibus uti potest quamvis aliquod impedimentum multiplicetur intra gradus in indulto delineatos, aut quamvis plura impedimenta infra recensita et specie diversa (puta consanguinitas et affinitas) eidem matrimonio obstare contingant (cf. can. 1049); *b/* potestas dispensandi adhiberi potest tam in ordine ad matrimonium contrahendum quam in ordine ad matrimonium contractum convalidandum per viam *simplicis* convalidationis (1); *c/* potestas exerceri potest in *utroque* foro,

(1) Potestas sanandi in radice, nisi expresse concedatur — uti fit sub IV — reservatur S. Sedi.

i. e. *sive* in foro interno, sacramentali vel non-sacramentali (1), *sive* in foro externo, prout impedimentum dispensandum interni vel externi fori esse censetur (2). Quocirca nota consanguinitatem facto occultam vigentem inter prolem illegitimam ex una parte, et patrem ejus naturalem ceterosque consanguineos ejusdem patris ex alia parte, esse impedimentum fori interni Qua de causa et ipsa affinitas, quamvis ratione fundamenti sui (matrimonii rati) semper quoad aliquam partem publica sit, tamen ob consanguinitatem natura et facto occultam inter compartem defunctam et novam sponsam vigentem, aliquando impedimentum fori interni esse potest (3). Facultates tamen sub IV concessæ non sunt late sed stricte interpretandæ, quia quæstio est in his de potestate *sanandi in radice*.

3° Advertamus ultra latæ interpretationis et juris exigentias, adeoque vi concessionis in ipsius indulti procœmio expressæ, omnes istas facultates etiam in peregrinos exerceri posse.

4° Vi can. 199, § 2 et tenore indulti facultates subdelegari queunt.

B/ Circa objectum facultatum.

I. *Facultates concessæ sub I.*

A. Ordinarius brugensis dispensare valet in impedimentis *minoris* gradus, quæ in can. 1042 recensentur. Ista sunt: a/ *consanguinitas* in 3° et b/ *affinitas* in 2° gradu

---

(1) Hoc altero casu, dispensatio adnotetur in secreto curiæ archivo, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit. Cf. can. 1047.

(2) Impedimenta fori externi sunt natura *vel* facto publica, impedimenta autem fori interni sunt natura *et* facto occulta. At in ordine ad matrimonium contractum *convalidandum*, impedimenta fori *interni* censentur, præter impedimenta natura *et* facto occulta, quædam impedimenta natura publica sed facto occulta, videlicet cognatio spiritualis et consanguinitas in 3° gradu æquali, necnon in secundo gradu æquali « si saltem per decennium duraverit occultum (impedimentum) et oratores simul publice contraxerint et uti conjuges legitimi habiti fuerint ». Cf. Desmet, *De Matrimonio*, II, n. 466.

(3) Casus obtinet quando sponsa, quacum viduus matrimonium contrahere intendit, est consanguinea (puta soror vel amita) ex parte patris sui *naturalis* cum uxore defuncta ejusdem vidui. Impedimentum affinitatis est tunc natura et, uti plurimum, facto occultum.

lineæ *collateralis* Si gradus sit inæqualis et 1° mixtus, juxta ipsius congregationis interpretationem, consanguinitas et affinitas impedimentum *majoris* gradus constituunt, super quibus vi facultatis sub I concessæ dispensari nequit. Hæc interpretatio, ob tenorem indulti sub II, necessaria est. Præterea accedunt c/ *publica honestas* in 2° gradu, d/ *cognatio spiritualis* et e/ *crimen* neutro machinante.

B. Ordinarius loci dispensare valet in impedimentis *impedientibus*, de quibus in can. 1058. Ista sunt: vota *simplicia* virginitatis, castitatis perfectæ, non nubendi, suscipiendi ordines sacros, amplectendi statum religiosum.

Adverte: 1° Vi *indulti* (1) in voto dispensari potest *ad effectum tantum matrimonium contrahendi*, i. e. ita ut effectus voti *suspendatur* respectu matrimonii *determinati* quod contracturus est voto ligatus (vel quod ob impedimentum dirimens v. g. minoris gradus convalidandum est) et quoad solum usum *legitimum* hujus matrimonii. Soluto vinculo conjugali, pars voto ligata alteras nuptias absque nova dispensatione inire non potest, nisi interim ipsum votum exstinctum sit, puta: in casu voti virginitatis *stricte dictæ* (quod raro continget), si jam non sit virgo; in casu castitatis perfectæ sed temporaneæ, si interim hoc tempus elapsum sit. In casu voti celibatus, vovens dissolutis nuptiis manet voto ligatus si voverit se *nunquam* (neque nunc, neque postea) nuptias initurum esse.

2° Facultas dispensandi restringitur ad votum *simplex* quod constituit impedimentum *impediens*, adeoque vi indulti dispensari nequit *a*/ super voto *sollemni*, neque *b*/ super voto *simplici* castitatis perfectæ a scholasticis societatis Jesu post biennium novitiatus emisso, quippe quod constituit impedimentum dirimens.

3° Non datur facultas dispensandi votum in religione emissum, quia talis potestas Congregationi de Religiosis deleganda reservatur (cf. can. 251, § 3, coll. can. 249, § 2).

4° Sub his restrictionibus, Ordinarius vi indulti dispensare valet in voto simplici, quamvis forsan reservatum fuerit, uti est votum perfectæ ac perpetuæ castitatis et votum ingrediendi religionem votorum sollemnium,

---

(1) Vi can. 1313, loci Ordinarius vota non reservata justa de causa dispensare valet quod attinet ad omnes subditos atque etiam peregrinos.

emissum absolute post completum decimum octavum ætatis annum.

Causa justa et rationabilis quæ postulatur ut dispensationes, de quibus sub hoc I, concedi queant, fere semper aderit.

II. *Facultates concessæ sub II.*

Hæc pauca notasse juvat :

1° Facultas limitatur ad *casum urgentem*. Casus obtinet, respectu matrimonii *contrahendi* quoties, sine periculo probabili gravis mali, celebratio matrimonii differri nequit usquedum dispensatio a S. Sede obtineatur; respectu matrimonii *convalidandi*, quoties dilatio convalidationis necessaria ut ad S. Sedem recurri queat sine gravis mali periculo tentari nequit. Malum, quod timetur, intelligitur qualecumque, adeoque sub hoc nomine venit non tantum scandalum aut infamia sed etiam incommodum grave alterius speciei (1).

2° Conditio expressa sub *a*/ et *d*/ est conditio *ad valorem*, quia introducitur particula *dummodo* (2). *Admiratio* de qua sub *a*/ supponit pro admiratione quæ non est sine offensione.

Probabiliter timetur sponsum esse patrem naturalem sponsæ si probabile est ipsum, circa tempus conceptionis sponsæ, hujus matrem carnaliter cognovisse. Hæc conditio (sub *d*/) apponitur ad normam can. 1076, § 3.

III. *Facultates concessæ sub III.*

Etiam extra casum urgentem, super impedimentis sub (I et) II recensitis Ordinarius dispensare valet quando in aliqua parœcia suam pastoralem visitationem peragit, aut quando sacræ missiones in aliqua parœcia traduntur, ast dispensare valet cum solis concubinariis (3). Non oportet ut concubinarii sint civiliter juncti.

IV. *Facultates concessæ sub IV.*

1° *Jus* varia de sanatione in radice decernit utiliter hîc recolenda.

a/ Ad sanationem in radice requiritur ut consensus

---

(1) Cf. Desmet, *l. c.*, II, n. 765, necnon in *Nouv. Revue théol.*, 1923, p. 189 ss. in quo periodico optimum dedit hujus indulti commentarium.

(2) Cf. can. 39.

(3) Facultas exerceri nequit nisi *in* parœciis in quibus visitatio actu instituitur vel missiones traduntur, at confessarii subdelegati dispensare valent cum omnibus qui ad pœnitentiæ sacramentum accedunt, etiamsi pœnitentes sint peregrini.

naturaliter sufficiens *præsto sit* (cf. can. 1139). Quare, juxta can. 1140, § 1 et 2: « Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio præstitus, postea fuerit revocatus. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea præstitus fuerit, sanatio concedi potest a momento præstiti consensus ». At, omnino postulatur ut consensus momento sanationis adhuc perseveret (cf. can. 1139, § 1). Quocirca nota α/ scientiam aut opinionem nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludere (cf. can. 1085) et β/ consensum posse vere perseverare quamvis pars nunc impedimenti ignara consensum retraheret, si sciret se esse liberam.

b' Matrimonium contractum cum impedimento juris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti (cf. can. 1139, § 2).

c/ Ex alia parte, « dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest vel una tantum vel utraque parte inscia » (can. 1138, § 3), neque obstat sanationi matrimonium invalidum fuisse sive ob impedimentum juris ecclesiastici, sive ob defectum legitimæ formæ (cf. can. 1139, § 1).

2° *In indulto* quædam pressius determinantur.

a' Duplex circumstantia supponitur et est *stricte* interpretanda ad valorem, videlicet: α/ matrimonium ob aliquod impedimentum minoris gradus *et hac tantum de causa* nulliter contractum esse, atque β/ unam partem impedimenti, adeoque nullitatis matrimonii, insciam esse.

b/ Duplex ponitur conditio et quidem ad valorem, quippe quæ particulis *si*, *dummodo* introducitur.

Prænotandum est in casu simplicis convalidationis matrimonii α/ necessariam (cf. can. 1133, § 1) renovationem consensus importare novum voluntatis actum in matrimonium quod constet pseudo-conjugibus ab initio nullum fuisse (cf. can. 1134); β/ si matrimonium nullum fuerit ob impedimentum *publicum*, consensum ab utraque parte renovandum esse in forma jure præscripta (cf. can. 1135, § 1), at locum esse renovationi consensus per procuratorem (cf. can. 1089); γ/ si impedimentum fuerit occultum et uni parti ignotum, satis esse ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto

renovet, dummodo altera in consensu præstito perseveret (cf. can. 1135, § 3).

His inspectis dicendum est, si conditiones et adjuncta necessaria obtineant, facultatem sanandi in radice concedi pro casu quo convalidatio fieri nequit per novum consensum *utriusque* partis, etiamsi ad normam juris consensus utriusque partis ad simplicem convalidationem non sit necessarius. Casus obtinet quando contractum matrimonium invalidum est ob impedimentum occultum minoris gradus. Tale impedimentum est consanguinitas illegitima, natura (quæ est a latere patris naturalis) et facto occulta in 3° gradu, æquali vel tangente 2^{m}; affinitas in 2° gradu æquali quando inter compartem defunctam et præsentem pseudo-compartem existit consanguinitas illegitima, natura et facto occulta; crimen facto occultum (1).

Ast semper requiritur ut conditiones verificentur. Jamvero :

α/ Prior conditio sic sonat: « *si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus* ».

Incommodum illud raro erit infamia præviæ monitioni (de nullitate matrimonii) adnexa, nam infamia sequitur ex cognita natura impedimenti, jamvero de sola nullitate matrimonii monenda est compars ignara; præterea nullitas hæc in casu impedimenti natura sua et facto occulti et fundati in delicto alterius (2) plerumque dubia erit, adeoque standum erit valori matrimonii, nisi matrimonium ob aliam quoque causam nulliter contractum sit; tandem infamia incurrenda sat raro erit incommodum *magnum*, in conditione requisitum.

---

(1) Quia agitur de matrimonio convalidando, probabiliter nomine impedimenti *occulti* venit etiam cognatio spiritualis et consanguinitas quoties sunt impedimenta fori interni *juxta dicta in nota 3ª* ad proœmium.

(2) Quando agitur de impedimento criminis, pars ignara impedimenti monitione nullatenus infamatur nec etiam pars monens quia impedimentum in delicto utriusque fundatur. Quodsi impedimentum aliquod delicto alterius nitatur et monitio ita caute fieri nequeat ut delictum istius personæ non detegatur, contingere poterit ut magnum incommodum sit novum consensum requirere, puta, si persona delinquens sit valde propinqua vel cohabitet cum pseudo-conjugibus et infamia in ipsum sponsum vel sponsam redundaret cum periculo perturbationis pacis in familia. Casus obtinet si pseudo-conjux sit proles adulterina, idque ignoretur a comparte.

Incommodum magnum erit timor fundatus ne, monita de nullitate matrimonii, compars novum consensum præstare recuset, cum maximo damno alterius partis et prolis. Raro orietur incommodum ex eo quod renovari debeat consensus *in forma*, ob impedimentum publicum, nam renovari potest per procuratorem et de licentia Ordinarii, modo plus minusve secreto, puta in ædibus privatis (1) Quod spectat impedimenti *ignorantiam*, non postulatur ut compars ignoret existentiam vinculi vel facti (v. g. criminis) sed requiritur ut nesciat vinculum illud vel factum constituere impedimentum dirimens.

β/ Altera conditio est *ut absit periculum divortii* (2), a sponso vel sponsa instituendi; quod periculum abesse potest etiamsi pars ignara impedimenti vellet uti sua libertate si cognosceret sui vinculi nullitatem.

c/ *Duplex imponitur obligatio:*

α/ Ordinarius debet monere partem impedimenti consciam de effectu hujus sanationis respectu valoris et usus matrimonii.

β Curare debet Ordinarius ut debita fiat hujus sanationis adnotatio in libro matrimoniorum, *sive* in peculiari libro servando in secreto curiæ archivo (de quo in can. 379) si convalidatio facta est in foro interno non-sacramentali (cf. can. 1047), *sive* in consueto parochiali libro, in margine actus matrimonii (nulliter contracti).

V. Coucke.

Sacra Congregatio Rituum.

DUBIUM

CIRCA MISSAM VOTIVAM SACRATISSIMI CORDIS IESU PRIMA FERIA VI MENSIS (3).

Sacræ Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit : scilicet :

« Prima feria sexta mensis ianuarii incidente in diem

---

(1) At, ratione scandali amovendi, necesse est ut convalidatio matrimonii tempore opportuno divulgetur.

(2) Quoad perseverantiam consensus, cf. supra, sub IV, 1°.

(3) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 379.

« secundam vel tertiam vel quartam eiusdem mensis,
« permittiturne Missa de Sacratissimo Corde Iesu, tam-
« quam votiva solemnis, concessa per decretum S. R. C.,
« n. 3712, *Urbis et Orbis*, diei 28 iunii 1889 ; an potius
« præfatæ Missæ substituenda sit in casu Missa *Puer natus*
« *est nobis* de die 30 decembris, sine Commemoratione de
« Sacratissimo Corde Iesu ? ».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, re perpensa, rescribendum censuit :

Negative ad primam partem, *affirmative* ad secundam, iuxta novam Rubricam specialem Missalis Romani, sub die 25 decembris, et Decreta S. R. C. *Dubium*, 8 iulii 1921 (1), atque *Hildesien.*, 16 iunii 1922, ad XII et XIII (2).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 27 iunii 1923.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen, et S Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. † S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

Adnotanda. Quamvis octava Nativitatis Dni terminetur die 1a Januarii adeoque stricte applicari non possit decret. *Hildesien* dub. XII — dies tamen subsequentes usque ad Epiphaniam adhuc recolunt mysterium Nativitatis, ut apparet ex doxologia propria hymnorum, et responsoriis matutini, quæ sunt de Nativitate. Quare S. Congr. vult ut loco missæ votivæ de S. Corde celebretur missa *Puer natus est nobis*, quæ est missa infra octavam Nativitatis. Dies igitur 2, 3, 4 Januarii æquiparantur diebus festis Christi Domini, notatim diebus infra octavam Nativitatis, sicut feria VI post octavam Ascensionis æquiparatur præcedenti octavæ (decr. 8 jul 1921). Ita cultus SS. Cordis qui videbatur adventitius magis indies penetrat ipsa viscera anni liturgici, qui nihil aliud intendit quam « præcipua in nos charitatis Christi beneficia recolere » ut « formetur Christus in nobis ».

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXI (1921), p. 416.
(2) Ibid., XXIII (1923), p. 72.

Législation civile.

Etablissements d'utilité publique et Associations sans but lucratif.

Arrêté royal du 29 janvier 1923. (1)

Loi du 27 juin 1921. — Établissements d'utilité publique. Objet. Entretien d'une église paroissiale. — Dissolution prononcée par le conseil d'administration. — Avoir attribué à l'Évêque. — Clauses réputées non écrites.

ALBERT, etc..; vu l'expédition de l'acte passé le 7 octobre 1921 devant le notaire Nève, de résidence à Gand, et par lequel Mme la baronne Arthur Verhaegen, sans profession, demeurant à Meirelbeke, déclare fonder un établissement d'utilité publique sous la dénomination « Fondation Verhaegen-Verhulst » et en soumettre les statuts à Notre approbation ;

Vu les statuts de cet établissement insérés dans l'acte et portant notamment ce qui suit :

« Art. II. Objet.

« La fondation Verhaegen-Verhulst a pour objet :

« 1° . . . . . .

« 2° L'entretien de l'église paroissiale de Vyve-Capelle, le service du culte dans cette église et...

« 3° La célébration annuelle dans l'église de Vyve-Capelle d'un service solennel pour le repos de l'âme de Mlle Elisa Verhulst. »

Vu la délibération, en date du 1er octobre 1922, par laquelle le bureau des marguilliers de l'église de Vyve-Capelle, à Sainte Croix, sollicite l'autorisation d'accepter le bénéfice résultant pour cette église des stipulations précitées ;

(1) *Moniteur*, p. 1303 s ; *Revue de l'administration*, 1923, t. LXVI, p. 280 ss.

Vu les avis du conseil communal de Sainte-Croix, de M. l'évêque diocésain et de la députation permanente du conseil provincial de la Flandre occidentale, en date des 14 octobre, 9 et 17 novembre 1922 ;

Vu les pièces de l'instruction d'où il résulte que les immeubles affectés à la fondation de l'établissement susdit sont inscrits au cadastre, commune de Sainte-Croix, section A, nos 535*b*, 535*c*, 536*f*, 533*c*, 537*f* et 536*k* ;

En ce qui concerne les stipulations susvisées de l'article II, 2° des statuts, relatives à l'entretien de l'église de Vyve-Capelle et au service du culte dans cette église :

Considérant que les attributions légales des administrations publiques ne peuvent être modifiées que par la loi ; que les stipulations dont il s'agit ne peuvent, dès lors, être admises que si elles impliquent pour la fondation l'obligation non pas de pourvoir elle-même à l'entretien de l'église et au service du culte qui incombent exclusivement à la fabrique de l'église, mais uniquement de payer à la fabrique toutes les sommes nécessaires à cet entretien et au service du culte ;

Considérant que, si telle paraît bien avoir été l'intention de la fondatrice en ce qui concerne le service du culte, il n'en est pas de même pour ce qui regarde l'entretien de l'église, les termes employés par les statuts démontrant que la fondatrice a voulu réserver aux administrateurs de la fondation le droit d'entretenir eux-mêmes l'église comme ils l'entendent et dans la mesure qu'ils arbitreront ; que, dès lors, la volonté de la fondatrice en ce qui concerne le dit entretien n'est pas susceptible d'exécution et doit être réputée non écrite par application de l'article 900 du Code civil ;

En ce qui concerne l'article 5 des statuts portant que les délibérations du conseil sont constatées par des procès-verbaux sur un registre tenu au siège social :

Considérant que ce terme : siège social, doit être entendu dans le sens de « siège de l'établissement » et qu'il y a lieu de substituer ce dernier terme au premier ;

En ce qui concerne la disposition de l'article final des statuts aux termes de laquelle la dissolution de la fondation pourra être prononcée par décision du conseil d'administration :

Considérant que l'article 41 de la loi du 27 juin 1921 sur les associations sans but lucratif et les établissements d'utilité publique prévoit un seul mode de dissolution des

établissements d'utilité publique et confie exclusivement aux tribunaux la mission de dissoudre ces institutions, si elles sont devenues incapables de rendre à l'avenir les services pour lesquels elles ont été établies ; qu'il ne peut, dès lors, appartenir au conseil d'administration, simple gérant de l'établissement dont il s'agit, d'en prononcer lui-même la dissolution et qu'en conséquence la disposition précitée doit être réputée non écrite par application de l'article 900 du Code civil ;

En ce qui concerne la clause du même article final des statuts, attribuant tout l'avoir de la fondation en pleine propriété à l'évêque de Bruges, en cas de dissolution de l'établissement :

Considérant que cette clause a pour effet de conférer à un tiers le droit de disposer des biens de la fondation dans le cas susvisé ; qu'elle est contraire aux prescriptions de la loi organique qui exige que les statuts mentionnent la destination des biens, au cas où l'institution viendrait à disparaître ; qu'il y a donc lieu de la considérer comme non écrite par application de l'article 900 précité du Code civil ;

Vu l'article 900 du Code civil et le titre II de la loi du 27 juin 1921 sur les associations sans but lucratif et les établissements d'utilité publique ;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice.

Nous avons arrêté et arrêtons :

Article premier. — La fondation de l'établissement d'utilité publique dénommé « Fondation Verhaegen-Verhulst », à Gand, est approuvée.

Art. 2. — Les statuts de cet établissement, annexés au présent arrêté, sont approuvés sous réserve des modifications que comportent les articles 2, alinéa 2, 5 et final, de ces statuts, pour être conformes à la loi.

Art. 3. — La fabrique de l'église de Vyve-Capelle, à Sainte-Croix est autorisée à accepter le bénéfice des stipulations faites à son profit à l'article 2, alinéas 2 et 3, des dits statuts, sauf en ce qui concerne l'entretien de l'église.

Observations. Cet arrêté royal (1) est intéressant à plus d'un point de vue.

---

(1) Voir un autre arr. royal du 1 sept. 1922, *Moniteur*, p. 6641 s.; *Rev. de l'administration*, l. c., p. 44, où il est appuyé sur la nécessité d'avoir

1° Il en résulte d'abord que, quelque large que soit le champ d'action de l'établissement d'utilité publique et surtout de l'association sans but lucratif, ces personnes morales ne peuvent cependant pas se substituer à d'autres institutions reconnues comme personnes civiles et notamment, faire les opérations qui sont propres à la fabrique d'église.

2° Plus important et grave de conséquences est l'arrêté royal rapporté plus haut en ce qu'il considère comme illégale la clause attribuant, en cas de dissolution, à une personne déterminée l'avoir d'un établissement d'utilité publique.

Cette décision semble fondée sur les considérations suivantes :

Les établissements d'utilité publique sont caractérisés par l'affectation d'un patrimoine *à des fins d'intérêt général*, affectation permanente et qui doit demeurer, même en cas de dissolution de l'établissement d'utilité publique. Donner à un tiers le droit de disposer des biens de la fondation et de déterminer la destination de ceux-ci paraît contraire à la notion même de l'établissement d'utilité publique, tel que le législateur le conçoit. Aussi la loi de 1921 prescrit-elle à son art. 2 que les statuts doivent mentionner la *destination* des biens au cas où l'institution viendrait à disparaître ; et cette destination paraît devoir être conforme à celle qui fait l'objet de la fondation. L'art. 41 de la loi confirme cette manière de voir : « Si la dissolution est prononcée, dit-il, le juge nomme un ou deux liquidateurs qui, après apurement du passif, donnent aux biens la destination prévue par les statuts. Au cas où cette destination ne pourrait être réalisée, les liquidateurs à ce autorisés par le tribunal, remettront les biens au gouvernement. Celui-ci leur attribuera une destination se rapprochant autant que possible de l'objet en vue duquel l'institution a été créée ».

Un arrêté royal du 24 mai 1922 (1) approuve un établissement d'utilité publique (L'école apostolique de Turnhout), dont l'article 10 a été sagement rédigé comme

---

égard, dans la détermination de l'objet de l'établissement public, à l'énumération limitative de l'art. 27 § 2 de la loi du 27 juin 1921, et où l'attribution de l'avoir, en cas de dissolution, à l'évêque de Gand est également considérée comme une clause non écrite.

(1) *Moniteur*, p. 5787 ; *Revue de l'administration*, 1923, t. LXVI, p. 40 s.

suit : « Au cas où l'institution viendrait à disparaître pour quelque cause que ce soit, ou serait jugée, par les administrateurs alors en fonctions, ne plus pouvoir rendre suffisamment, à l'avenir, les services pour lesquels elle a été constituée, il sera procédé comme il est prévu à l'article 41 de la loi précitée, le comparant exprimant formellement le vœu, et pour autant que la loi le lui permette, la volonté que les biens de l'institution présentement créée soient, en ce cas, de l'avis des administrateurs alors en fonctions, où, à leur défaut, de l'avis de l'archevêque de Malines, affectés à une œuvre similaire de la religion catholique, de caractère religieux, scientifique ou pédagogique, se rattachant, autant que possible, à celle qui fait l'objet de la présente fondation ».

Il appartiendra aux tribunaux de décider souverainement de l'illégalité de la clause établissant qu'en cas de dissolution l'avoir de l'établissement sera attribué en pleine propriété à une personne déterminée. Car cette illégalité ne s'impose pas d'une manière évidente. Le fondateur n'a-t-il pas le droit de disposer que, au cas où l'affectation de son patrimoine à tel but d'utilité publique serait rendue impossible ou caduque, ses biens reviendront à telle personne capable par lui désignée ? En droit naturel nous répondrions sans hésiter par l'affirmative. Dans le système de la loi, la chose peut sembler douteuse, bien que certains n'hésitent pas à admettre la légalité d'une telle clause (1) et que les arguments tirés du texte de la loi ne soient pas apodictiques. On évitera peut-être toute difficulté en employant une formule analogue à celle que nous avons transcrite plus haut, ou en attribuant en cas de liquidation l'avoir de la fondation à une personne déterminée, qui aura le droit de désigner librement parmi les œuvres d'utilité publique se rapprochant le plus de l'objet de la fondation, celle à laquelle les biens seront dévolus (2).

3° Que dire de la légalité d'une telle clause insérée dans les statuts constitutifs *d'une association sans but lucratif?*

Plusieurs considérations apportées plus haut lorsqu'il s'agissait d'un *établissement d'utilité publique*, sont sans

---

(1) Voir Nève, *Commentaire pratique de la loi du 27 juin 1921*, p. 98, Gand, s.d.; en sens contraire la *Revue de l'administration*, 1922, t. LXV, p. 473-477; 1923, t. LXVI, p 283.

(2) Les statuts détermineront la destination des biens, en conformité avec cette stipulation.

pertinence lorsqu'il s'agit *d'une association sans but lucratif*. Celle-ci, même dans le système de la loi, n'est pas caractérisée par l'affectation d'un patrimoine à des fins d'utilité générale ; elle est une collectivité de personnes physiques, mettant ensemble un capital dont elles sont propriétaires et dont elles peuvent disposer, présidant aux destinées d'une œuvre désintéressée d'utilité générale ou particulière, librement déterminée par elles Ce que la loi lui défend c'est de faire des opérations commerciales et de chercher à procurer à ses membres un gain matériel, un partage de bénéfices, un enrichissement.

Faut-il considérer comme illégale la clause qui stipule subsidiairement qu'en cas de dissolution les biens seront, après apurement du passif, attribués en pleine et entière propriété à une personne capable déterminée ? Avec la plupart des auteurs nous ne le croyons pas (1). L'association en stipulant de la sorte ne fait que disposer de son bien. Aucun article de la loi ne paraît contraire à cette opinion. L'article 2 veut que les statuts mentionnent : 11° *L'emploi* du patrimoine de l'association dans le cas où celle-ci serait dissoute ; et l'article 19 se contente de dire : qu'à défaut de disposition statutaire ou de décision de l'assemblée générale, le ou les liquidateurs donneront aux biens une affectation qui se rapprochera autant que possible de l'objet en vue duquel l'association a été créée (2).

Il nous semble résulter de ce texte qu'en attribuant, en cas de dissolution, les biens de l'association à une personne physique capable, les associés ne font que déterminer l'emploi du patrimoine, et d'après le système de la loi, leur volonté est la loi de la liquidation (3).

Nous considérons également comme légale la clause qui stipule qu'en cas de dissolution forcée les biens seront attribuées en propriété pleine et entière *aux membres associés* au jour de la dissolution (4).

---

(1) Voir Nève, *o. c.*, p. 38; Loncin, *Les associations sans but lucratif*, p. 43 (Modèle de statuts rédigés par feu M. J. Corbiau et d'autres professeurs de la faculté de droit de l'Université de Louvain).

(2) Voir également les art. 20, 22.

(3) Rapport à la Chambre, n. 62.

(4) Voir en ce sens Nève, *o. c.*, p. 39 ; Loncin, *o. c.*, p. 36 et 43; Goedseels, *La personnalité civile des associations sans but lucratif*, p. 153. Bruxelles, 1921. En sens contraire *Revue de l'administration*, *l. c.*, p. 473 ss.

« D'après la saine notion de la personnalité civile, les biens d'une association personne civile sont les biens de la collectivité des associés. « Les personnes morales sont des moyens destinés à faciliter la gestion des propriétés collectives ». La disparition de la personne morale ne peut pas frustrer la collectivité de son bien, mais met simplement fin à cette facilité spéciale de gestion. Il est dès lors logique de faire rentrer les biens d'une association perdant la capacité juridique, dans le patrimoine privé des associés : ils seraient dès ce moment soumis aux règles ordinaires de la propriété indivise. Rien ne semble donc juridiquement s'opposer à ce que les statuts attribuent les biens de l'association dissoute aux associés eux-mêmes qui pourraient, s'ils le jugent préférable, mettre fin à l'indivision par un acte de partage de biens indivis » (1).

Et qu'on n'objecte pas qu'une telle clause fait perdre au contrat son caractère essentiel d'association sans but lucratif.

« Ce reproche pourrait être fondé si les associés mettaient fin à la convention dans le seul but de partager un patrimoine augmenté par des réserves accumulées ; mais en cas de dissolution forcée, cette reprise par les associés, individuellement, des biens collectifs même augmentés en valeur, n'a pas pu être un but poursuivi par eux ; ce serait un accident de la liquidation » (2).

A. De Meester.

---

(1) Loncin, *o. c.*, p. 36.
(2) Loncin, *ibid.*, p. 36 s.

Notæ Bibliographicæ

Poulain A. (S. J.). *Des grâces d'oraison*. 10e édition Paris, Beauchesne, 1922. — In 8, CI-681 p. — Pr. 30 fr.

Le R. P. Bainvel, qui a préparé avec un soin minutieux, presque méticuleux, cette nouvelle édition, la première depuis la mort de l'auteur, n'a pas cru devoir toucher au texte même du P. Poulain, 9e édition: il s'est contenté d'une part d'ajouter à la fin de l'ouvrage un *Appendice* sur le *Discernement des esprits* (1), les indications du P. P. sur ce sujet étant incomplètes, d'autre part d'insérer en tête du livre une *Introduction* de mise au point. Les lecteurs qui possèdent la 9e édition seront heureux d'apprendre que ces deux additions sont mises en vente à part chez M. Beauchesne.

Un mot d'abord de l'œuvre du P. P. Pour plus de détails nous nous permettons de renvoyer à la notice élogieuse parue dans cette revue en 1908 (2). Le *Traité de Théologie mystique* du P. P. a été conçu par lui comme un exposé descriptif et pratique, plutôt que comme une étude strictement scientifique, expliquant les phénomènes mystiques par leurs causes dernières. Ses *descriptions* et *prescriptions* sont en majeure partie empruntées aux saints contemplatifs, surtout s. Thérèse, s. Jean de la Croix et s. François de Sales. Elles sont aussi puisées en partie à l'expérience personnelle de l'auteur, qui a interrogé longuement bon nombre de personnes favorisées de grâces d'oraison mystique et d'autres qui étaient dans l'illusion. Pour lui l'essence de la contemplation mystique consiste dans l'expérience immédiate de Dieu présent dans l'âme, ou dans la « sensation » spirituelle de l'hôte divin de l'âme.

Quant à l'introduction du P. Bainvel elle est intéressante à plus d'un point de vue. Contentons-nous de signaler son exposé de l'état actuel des études mystiques, paru d'abord dans la *Revue pratique d'apologétique*, 1921-1922. Arrêtons-nous de préférence à quelques idées personnelles qui le séparent plus ou moins du P. P. Pour lui l'essence de l'état mystique consiste dans l'expérience toujours croissante de la vie de la grâce. Cette extension surnaturelle de notre conscience, il l'explique soit par des espèces infuses, soit, sans ces espèces, par une lumière intermédiaire entre la *lumen gloriæ* et le *lumen gratiæ*. Le

---

(1) Cet appendice, p. 660 ss., comprend les règles de s. Ignace en cette matière, les avis de s. Thérèse sur les tentations et les illusions, tirés du commentaire sur la sixième demande du *Pater*, et enfin les marques pour discerner l'esprit de Dieu d'après s. Marguérite-Marie.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 348 ss.

P. Bainvel admet le reproche fait à la théorie mystique du P. P. notamment d'avoir trop laissé à l'arrière-plan l'élément affectif ou l'amour, et il préfère la définition de la contemplation donnée par le P. de Maumigny: « un regard simple et amoureux à Dieu, où l'âme suspendue par l'admiration et l'amour, le connaît expérimentalement, et, dans une paix profonde, goûte un commencement de la béatitude éternelle ». D'accord avec le P. P., le P. Bainvel considère la contemplation mystique comme essentiellement distincte de l'oraison ordinaire; elle est le fruit d'une grâce qui, bien que *gratum faciens*, n'appartient cependant pas à l'ordre habituel de la Providènce surnaturelle et qui, pour ce motif, n'est pas le lot de toutes les âmes de bonne volonté, mais est réservée à quelques âmes plus ou moins nombreuses que Dieu y a prédestinées gratuitement sans mérite de leur part.

Le livre du P. P. sera utile à toute personne ayant charge d'âmes, aux hommes d'étude, à toute personne pieuse et instruite, bien assise dans la piété solide et sans aucune prétention mystique. Le directeur peut le conseiller à toute âme saine et judicieuse qui serait déjà dans les voies mystiques ou qui pourrait y être appelée (1).

Signalons pour terminer trois remarques générales qui doivent toujours être présentes à l'esprit du directeur dans la conduite des âmes. 1° Les grâces mystiques n'enlèvent pas les âmes aux conditions ordinaires de la vie chrétienne et de la tendance à la perfection. 2° Les grâces mystiques ne sont pas la sainteté. 3° C'est une dangereuse erreur de passer son temps à rêver les voies mystiques tout en négligeant la fidélité aux devoirs d'état (2).

Hoornaert, R. *Sainte Térèse écrivain.* Son milieu, ses facultés, son œuvre. Université de Louvain. Recueil de travaux publiés par les membres des conférences d'histoire et de philologie. Bruges, Desclée-De Brouwer, 1922. — In 8, XIX-652 p. — Pr. 15 fr.

Cet ouvrage a mérité à son auteur le titre de docteur ès lettres de l'Université de Louvain et lui a valu de la part des critiques les mieux avisés les éloges les plus flatteurs. Ces témoignages si nombreux et si autorisés suffisent abondamment à recommander sans réserve ce livre à nos lecteurs.

Le but que l'A. s'est proposé avant tout est de décrire et d'apprécier les œuvres de s. Térèse au point de vue *littéraire* et de montrer quelle place elles occupent dans la littérature espagnole et dans la littérature en général. C'est avant tout une étude d'art, une explication par les causes naturelles d'un art qui de soi est naturel. Mais à l'adresse de ceux qui seraient tentés de lui objecter que son étude néglige ou réduit à l'ordre purement naturel les phénomènes d'un ordre supérieur qui

(1) Cf. *Introduction*, p. XXVII.
(2) *Ibid.* p. C.

ont concouru à la formation de la sainte, l'A. fait dans sa préface cette déclaration très opportune (1): « Je tiens à déclarer ici, quelle que soit l'interprétation dont mes paroles, en un sujet aussi délicat, puissent être susceptibles, que je ne prétends à aucun moment expliquer les phénomènes et les états surnaturels de sa vie par des facteurs d'ordre purement naturel .. Le talent littéraire de s. Térèse, comme celui de tous les écrivains a subi un développement naturel. Ceci n'exclut nullement l'origine surnaturelle de certaines de ses connaissances. En limitant mon étude aux éléments humains qui ont pétri son intelligence, développé ou atténué sa sensibilité, je ne veux pas écarter l'action des facteurs surnaturels: cela spécialement pour les états mystiques dont Dieu seul est la cause efficiente et directe. Ce sont là des principes que Térèse affirme catégoriquement en plus d'un endroit, et l'on ne peut, sans raisons péremptoires, repousser son témoignage ».

Afin de faire apprécier exactement s. Térèse comme écrivain, l'A. commence par nous dépeindre, et combien vivement, le milieu social où elle est née et où elle a grandi. Ensuite il retrace, avec une érudition remarquable, son milieu littéraire, dont plus loin il étudiera l'influence sur ses écrits. Quelque intéressante que soit cette partie historique et strictement littéraire, nous préférons fixer l'attention de nos lecteurs sur l'analyse de la psychologie et sur l'exposé de la doctrine de s. Térèse. Aux talents dont la nature l'avait si richement douée et qu'elle développa harmonieusement, il faut ajouter les grâces extraordinaires dont Dieu l'a magnifiquement ornée et auxquelles elle répondit avec une générosité admirable. Sa sensibilité naturelle était vive: mais tous ses efforts, au cours de sa vie, tendirent à la subjuguer et à la régler par la raison. Son intelligence était pénétrante: elle la cultiva, sans s'adonner à une formation strictement scientifique, par la lecture et la réflexion, et elle acquit par là les connaissances les plus élevées sur Dieu et sur ses œuvres. Son coup d'œil psychologique naturellement juste acquit par le commerce avec tant d'hommes divers une sûreté remarquable. Quant aux phénomènes et états mystiques que son âme subit, ils n'ont nullement été nuisibles à son activité intellectuelle ou aux qualités de son esprit. Enfin la volonté, naturellement décidée et énergique, cherche toujours davantage la direction d'un jugement serein et s'enflamme de plus en plus d'un amour passionné du Christ et d'un zèle dévorant des âmes: ainsi dans cette vie s'harmonisent magnifiquement la contemplation la plus élevée et l'activité la plus intense.

Quant à la doctrine de s. Térèse, l'A. l'expose longuement et nettement au § 3 du chapitre I et au chapitre III de sa troisième partie, « les grandes idées térésiennes » et « examen particulier des divers écrits ». Bornons-nous à citer quelques textes qui donnent un aperçu sur la doctrine mystique de la grande sainte. L'idée « de l'inhabitation de Dieu dans l'âme [en état de grâce] est pour ainsi dire l'idée centrale de la mystique térésienne... Térèse s'enfonça dans les solitudes de

(1) P. X-XI.

l'âme. Elle y découvrit Dieu. Elle voulut enseigner à d'autres le chemin, et détailla ce mystérieux dédale par lequel on pénètre jusqu'en l'appartement le plus secret de ce mystérieux château où se célèbrent les épithalames divins » (1). Elle distingue sur ce chemin, au delà des degrés de la prière ordinaire, plusieurs étapes.

D'abord à la *voix intérieure* de Dieu l'âme entre dans un *recueillement* où elle se dépouille peu à peu pour arriver à la nudité pure, et franchit ainsi le seuil mystique. Bientôt une *quiétude* irrésistible s'étend sur tout le domaine de l'esprit: c'est une certitude surnaturelle que Dieu est là. L'union commence, irrésistible; les puissances tombent dans un *sommeil* de plus en plus profond jusqu'à l'absorption plénière dans l'*extase*. Puis, un jour, Dieu stabilise l'âme dans la sublimité de l'*union transformante*: entre la s. Trinité et l'âme il s'opère une fusion des deux vies et au centre le plus inexploré de l'être s'achève le *mariage mystique* de l'âme avec Dieu (2). Dans cette succession d'états l'âme se trouve de plus en plus passive ou réceptive sous les largesses de Dieu. Ces grâces mystiques élevées ne sont point nécessaires au salut et bien des saints n'en ont pas été favorisés. Tous pourtant nous y sommes conviés: tous les désirs, même les plus élevés, sont donc légitimes. « Objectivement, tous nous avons la vocation aux grâces mystiques. En fait néanmoins, certaines âmes ne sont pas menées par cette voie. Ceci dépend d'un jugement secret de Dieu et ne supprime point la règle » (3).

A tous ceux qui voudront lire les œuvres de s. Térèse, ce livre offre une introduction de première utilité: d'aucuns cependant s'impatienteront plus d'une fois devant cette abondance de textes espagnols qu'aucune traduction ne met à portée de leur intelligence. Mais il ne faut pas oublier que l'œuvre est originairement destinée à un jury universitaire.

Chan. H. Hoornaert. *La montée du Carmel,* 1re partie (Livres I et II); 2e partie (Livre III); *Sentences et avis, Opuscules divers.* 2e éd. Paris-Bruxelles, Société Saint-Augustin, 1922. — 2 vol. in 12, XXXIV-214 p.; LII-212 p. — Chaque vol. 7.50 fr.

La première édition en trois volumes faite sur l'édition critique de Tolède et publiée pendant la guerre (1915, 1916, 1918) eut un succès considérable. En peu de temps elle fut épuisée. La présente édition, qu'hélas l'auteur n'a plus eu la joie de voir, compte quatre volumes. Elle a été faite après une révision minutieuse sur le texte espagnol. Il est presque superflu de souhaiter même succès à la nouvelle édition.

A. Legrand.

---

(1) P. 286 sv.
(2) P. 289 ss.
(3) P. 284.

Opera ad redactionem missa (1).

Berlière, U. (O. S. B.). *La dévotion au Sacré-Cœur dans l'ordre de S. Benoît.* Paris, Desclée et Lethielleux; Abbaye de Maredsous, 1923. — In 16, VIII-176 p. — Pr. 4.25 fr.

Bouillot (Aumônier). *Livre de prière du soldat belge.* Ed. française et flamande. Turnhout, Brepols, 1923. — Pr. 1 fr. ou 1.50 fr. suivant la reliure.

Ce livre de prière de format élégant et pratique mérite d'être propagé parmi les soldats; il serait utile de le mettre entre les mains des miliciens avant leur départ pour l'armée.

Ciolli, Al. *Directoire pratique du jeune confesseur,* traduit de l'italien par l'abbé Ph. Mazoyer. 2 vol., 11e éd. Paris, Téqui, 1923. — In 12, XVI-447 et 422 p.

Debast, L. (C. SS. R.). *Hemelsche Troost.* Kerkboek met gebeden en overwegingen. Esschen, St Alphonsus-Boekhandel, 1922. — In 16, 248 bl. — Pr. 2.50 fr.

Dehon, J. L. *Études sur le Sacré-Cœur de Jésus.* 2 vol., Desclée, Bruges, 1923. — In 8, 234 et 243 p. — Pr. 10 fr. les 2 vol.

de Montpellier d'Annevoye (O. S. B.). *Deux ans au Katanga.* Desclée-De Brouwer & Cie, 1922. — In 8, 160 p.

Félix (S. J.). *La confession.* 4e ed., Paris, Téqui, 1923. — In 12, 330 p.

Gibier (Mgr). *Le salut par l'élite.* Paris, Téqui, 1293. — In 8, 308 p.

Lamers (O. F. M.). *Het bovennatuurlijk leven.* Teulings'uitgeversmaatschappij, 's Hertogenbosch, 1923. — In 8, VIII-154 p. — Pr. 2 flor.

Lefere, V. *Het heilig kruis.* Luik, Sengier, 1923. — In 12, 274 bl. — Pr. 5 fr.

Een schoon gedicht waarin de schrijver de gansche geschiedenis van het kruis Christi bezingt: zijn voorafbeeldingen in het oude Verbond; het verlossingswerk dat op het kruis werd voltrokken; het teeken van den christen mensch met den invloed van 't kruis op 't christen leven; de kruisvinding en kruisvereering; de rol van 't kruis in 't leven van vele heiligen en in de groote wereldgebeurtenissen. Het boek doet niet enkel het kruis en het 't heil door het 't kruis verworven en gedurig toegepast beter kennen; het doet ook Christus en zijn kruis meer beminnen en geeft tevens nuttige wenken om het kruis beter te leeren dragen en door het kruis ter zaligheid te geraken.

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Libbrecht, M. (C. SS. R.). *Le secret de la vraie piété.* Bruges, Desclée-De Brouwer, 1922. — In-8, 94 p.

Expose à l'adresse des chrétiens vivant dans le monde la notion, les raisons, les éléments, les stimulants et les effets de cette piété qui met le calme et la paix dans l'âme et lui fait rendre à Dieu l'hommage d'une sainte joie.

Lippert, P. (S. J.). *Der Erlöser.* 3e u. 4e Auflage. Freiburg in Breisgau, Herder, 1922. — In-12, VI-164 p. — Pr. 30 Mk.

Dit is 't vierde boekdeel van 's schrijvers algemeen werk *Creïo.* Het bevat diepe en treffende beschouwingen over 't mysterie onzer verlossing.

Id. *Die sakramente Christi.* Freiburg i. B., Herder, 1923. — In 8, 142 s. — Pr. 5 fr.

Marchand, A (Dr). *Les faits de Lourdes et le Bureau des constatations médicales.* Paris, Téqui, 1923. — In 18, XV-169 p. — Pr. 4 fr.

Tous ceux qui s'intéressent aux miracles de Lourdes, tout spécialement ceux qui s'occupent d'apologétique et de médecine s'empresseront de prendre connaissance du beau livre du Vice-président du Bureau des constatations médicales de Lourdes. Ce travail comporte deux parties: les faits de Lourdes exposés scientifiquement et défendus contre les objections modernes, et ensuite l'attitude des médecins en présence de ceux-ci. Écrit avec science et conscience, dans un style clair, précis et élégant, il a pour unique but la recherche de la vérité; mais, en faisant connaître la vérité, il est une magnifique glorification de la Vierge Immaculée.

Monstrey, O. (C. SS. R.). *G. Gezelle en de allerheil. Maagd.* Esschen, St Alfonsus-boekhandel, 1923, 56 bl. — Pr. 1.25 fr.

Pérennes, H. *Les psaumes traduits et commentés.* Saint-Pol-de-Léon (Finistère, France), 1922. — In-8, XXII-320 p.

Prévot, A. (S. C. J.). *Manuel de réparation en union avec les prêtres du S. Cœur de Jésus.* Bruges, A. Verbeke, 1921.

Poppe, E. *Wenken voor het leiden van E. K.- Vergaderingen.* Averbode, Abdij, 1923. — In 12, 39 bl. — Pr. 0,80 fr.

Dit klein werkje zal zeer welkom zijn bij allen die E. K.- bonden te besturen hebben. Het weze hun hier, zooals alles wat uit dezelfde pen kwam, bijzonder aanbevolen.

Id. *Bij den Kindervriend.* 2e druk. Averbode, Abdij, 1923.

Nogmaals ten zeerste aanbevolen.

Le tiers-ordre de Marie. Paris, Téqui, 1922. — In 16, 35 p. — Pr. 0 50.

Ullathorne (Mgr W. B., O. S. B.). *Humilité et Patience.* Paris, Desclée et Lethielleux, Abbaye de Maredsous, 1923. — In 16, 128 p. — Pr. 3 fr.

Van Sull, K. (S. J.). *Leonardus Lessius.* Wetteren, De Meester, 1923. — In 8, VIII-335 bl. — Pr. 7.50 fr.

Collationes Brugenses

Motu Proprio

DE CHRISTIANÆ DOCTRINÆ INSTITUTIONE TOTO ORBE CATHOLICO ORDINANDA (1).

PIUS PP. XI

Orbem catholicum Encyclicis Litteris cum primum alloqueremur, omnium malorum, quibus humana societas laboraret, unum remedium admonuimus illud fore, si pax Christi in regno Christi quæreretur: addidimusque huiusmodi regnum in terris non aliter constabiliri, nisi Ecclesiæ labore et industria, dantis operam hominibus educandis. Id autem tum maxime facit Ecclesia, cum pro suorum sapientia institutorum et legum pueris adultisque doctrinam religionis impertit. Quapropter decessor Noster desideratissimus, Benedictus XV, per litteras a Sacra Congregatione Concilii datas (2), sacrorum Antistites ex Italia interrogavit, num variis de religiosa populi institutione præscriptionibus obtemperaretur, ad quæ illi interrogata, pro sua quisque diligentia et studio, responderunt.

Iam vero quod vigilantissimus Pontifex peropportune inchoaverat, Nos, hanc quoque tamquam hereditatem ab ipso traditam volenti animo recipientes, omnino perficere decrevimus. Eius rei gratia, atque etiam ut huius incepti beneficam virtutem ad cunctas gentes extendamus, placet admodum inire rationem, cum cogitationes ac studia bonorum omnium ad causam saluti communi tam coniunctam revocandi, tum præcipue sacrorum Pastorum toto orbe operam diligentiamque adiuvandi roborandique in re, qua nihil sane pluris interesse potest, idque instituendo apud Romanam Curiam proprio quodam officio,

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1923, t. XV, p. 327.
(2) *Acta Apost. Sedis*, 1920, t. XII, p. 299.

quod dicitur, cuius ope Nos eam quam huic tantæ rei debemus summam vigilantiam et curam in Ecclesia universa, melius ac facilius præstare possimus.

Itaque, *motu proprio* ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Nos apud Sacram Congregationem Concilii peculiare Officium instituimus et per has Litteras institutum declaramus, quo velut instrumento utatur Apostolica Sedes ad urgendam toto orbe terrarum obtemperationem suis legibus de populo christianæ doctrinæ præceptis erudiendo : cuius Officii sit universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari ac provehere.

Equidem confidimus salutares inde perceptum iri fructus, maxime si ad Apostolicæ Sedis auctoritatem ea prompta et alacris Episcoporum ceterique cleri bonorumque laicorum, quam dare solent, opera, quod non dubitamus, accesserit. Sed tamen sinant, quotquot sunt ex utroque sexu consociationes sodalitatesque catholicorum, se a Nobis rogari, ut vel statas de catechismo conciones in sua quæque parœcia ipsæ in exemplum frequentando, vel clero parochiali adiutores ministrando, melius in dies de Ecclesia mereri velint in hoc quidem genere, quo nullum homini catholico nec sanctius nec magis necessarium esse videatur.

Atque eo etiam vehementius rogamus devotas Deo ex utroque sexu familias, ut non modo singulos singularum diœcesium suarum Antistites hac ipsa in re adiuvent, sed etiam curent in suis collegiis alumnos gradatim sic catechismo instruendos ut, cum plenius sapientiusque, quam solent, christianam doctrinam perceperint, et suam fidem contra ea quæ obiici vulgo consueverunt, possint defendere et eandem aliis quam plurimis vel inculcare vel suadere nitantur.

Illud etiam magnopere cupimus in præcipuis quibusque sedibus religiosarum sodalitatum quæ iuventuti instituendæ sunt deditæ, ibi, præsidibus ducibusque Episcopis, scholas aperiri delectis ex utroque sexu adolescentibus, qui accommodato studiorum curriculo formentur iidemque, facto periculo scientiæ suæ, rite renuntientur habiles ad magisterium doctrinæ christianæ historiæque sacræ et ecclesiasticæ obtinendum. Qui igitur quæque religiosis domibus præsunt, curæ sibi habeant e suis sodalibus deligere quos vel eiusmodi scholas velint celebrare vel pueris puellisque religionis præcepta tradere.

Episcoporum vero erit omnibus de religione scholis assidue advigilare ; itemque de opera in hoc genere posita deque rei exitu, maxime quod attinet ad scholas, quas diximus, altiores et collegiorum, tertio quoque anno ad sacram Congregationem Concilii accurate referre. Ita feliciter, speramus, fiet ut maxima illa nationum catholicarum macula eluatur quæ est divinæ religionis ignoratio, increbescente late reditu sitientium animarum ad inexhaustos fontes veritatis et gratiæ, id est *aquæ salientis in vitam æternam.*

Quæ autem his Litteris statuimus, ea semper valida et firma esse iubemus, contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die XXIX iunii, in festo Principum Apostolorum, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI.

Introductio in theologiam mysticam. (1)

Tabula I.

Creatus mundus. Regnum Dei naturale.

Hæc tabula naturæ ordine prima est, siquidem creatio est primum opus Dei ad extra, prima manifestatio divinarum perfectionum ipsi naturali rationi hominis facta, adeoque primus seu imus gradus scalæ ascensionis in Deum, ut loquitur S. Bonaventura : « Quoniam, ait (2), prius est ascendere quam descendere in scala Jacob (3), primum gradum ascensionis collocemus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tamquam speculum per quod transeamus ad Deum, opificem summum ».

Et certe naturæ ordo creatione statutus supponitur ordini gratiæ et gloriæ, qui non concipitur nisi priore illo posito.

Ordo ille naturæ merito dicitur regnum Dei naturale. Regnum quippe audit congregatio entium, potentia et auctoritate ad stabilem unitatem redacta, sapientia ad ordinem seu mutuam relationem composita, bonitate ad nobilem finem bene esse directa. Jamvero cuncta extra se existentia Deus sua omnipotentia creavit et uti unum quoddam condidit, sua sapientia ac providentia disposuit ac porro regit, suo amore et benevolentia dirigit in finem se dignum, nempe gloriæ suæ quam in felicitate creaturarum intellectualium præprimis reponit.

Equidem jam notavimus quomodo divina Providentia omnes etiam naturales eventus et quæ in historia humani

---

(1) Vid. supra pag. 102 et 177.
(2) *Itinerarium mentis in Deum*, cap. I, n. 14.
(3) *Gen.*, XXVIII.

generis etiam naturæ ordinis sunt in finem direxit ac porro dirigit gloriæ Christi Redemptoris, quæ et sua est Dei unius et trini, et simul beatitudo creaturarum rationalium.

Atque heic statim adverte quod maximi momenti est: hoc regnum Dei naturale seu ordinem naturalem considerari posse — ut hic facimus — abstractive a toto ordine quem Deus ab æterno præcognitum præ cæteris omnibus facto elegit et exequitur, et in quo tum naturalis tum supernaturalis ordo continetur: ast nequaquam licere ordinem naturalem habere uti vere abstractum et separatum a toto ordine a Deo reipsa constitutum. Id enim a veritate alienum est, et quicumque idem non attenderit multiplici errori, etiam in fidei dogmatibus, sese exponeret. Hanc igitur animadversionem sedulo retineamus, cujus momentum postea clarius apparebit (1).

***

His positis, jam per mirabilia hujus mundi sensibilis ascendamus ad contemplandum in hoc opere suo Dei perfectiones.

Dicimus: mundi sensibilis, de mundo enim invisibili spirituum, vi hujus primæ manifestationis Dei per creationem, abstrahendo ab altera manifestatione supernaturali per positivam Dei revelationem, de qua infra,

---

(1) Ut omnis confusio vitetur, attende nos heic unice factum spectare, scilicet ordinem a Deo facto statutum, nequaquam vero attingere quæstionem possibilitatis diversorum ab eo ordinum, an v. gr. Deus ordinem mere naturalem decernere potuisset, seu hominem et angelos in statu naturæ, ut agunt, relinquere. Ad hanc quæstionem, si respondere voluerimus, dicemus: Dei omnipotentiam, sapientiam et amorem summopere quidem decuisse ut ordinem præsentem statueret, ast iisdem suis perfectionibus non repugnasse si ordinem mere naturalem elegisset, qui proin possibilis est dicendus.

Alia quæstio aliquando a theologis agitata fuit, an nempe Verbum carnem sumpsisset, si Adam non peccasset. Hanc autem quæstionem fere otiosam dixeris, cum tunc ordo fuisset diversus a præsenti, et quid in eo Deus fecisset plane ignoramus, cum secus ac de ordine naturæ, nullum fundamentum habemus unde deducamus solutionem, quæ a Dei arbitrio mere dependet. Cf. *Collat. Brugen.*, t. XIX, p. 617, cum nota (3).

ubi et de angelis sermo fiet, vix aliquid conjecturando novimus.

Audiamus jam S. Bonaventuram (1): « Hæc autem consideratio (mundi sensibilis) dilatatur secundum septiformem conditionem creaturarum, quæ est divinæ potentiæ, sapientiæ et bonitatis testimonium septiforme; si consideretur cunctarum rerum origo, magnitudo, multitudo, pulchritudo, plenitudo, operatio et ordo.

« Origo namque rerum, secundum creationem, distinctionem et ornatum, quantum ad opera sex dierum, divinam prædicat potentiam, cuncta de nihilo producentem, sapientiam cuncta lucide distinguentem et bonitatem largiter ordinantem.

« Magnitudo autem rerum, secundum molem longitudinis, latitudinis et profunditatis, secundum excellentiam virtutis longe lateque et profunde se extendentis, sicut patet in diffusione lucis; secundum efficaciam operationis intimæ, continuæ et diffusæ, sicut patet in operatione ignis, manifeste indicat immensitatem potentiæ, sapientiæ et bonitatis trini Dei, qui in cunctis creaturis per potentiam, præsentiam et essentiam incircumscriptus existit. »

Hæc generaliter dicta mirum in modum confirmant et illustrant quæ scientia astronomica moderna detexit et docet, nominatim de magnitudine corporum cœlestium, respectu quorum, si lunam excipias, terra nostra, quæ nobis magna apparet, pusillus admodum globulus est (2), item, de distantia ab hac terra astrorum vere stupenda (3)

---

(1) *Itin. mentis in Deum*, cap. I, n. 18.

(2) Ex observatione et computu astronomorum, sol noster jam molis est 1,310,000 majoris quam terra. Quid autem de stellis fixis, quamquam ob immensam distantiam a nobis, sicut puncta luminosa apparent?

(3) Distat sol a terra 149,400,000 kilom., distantia scilicet media, cum non semper æqualiter distet. Stella autem fixa nobis propinquior, ita distat ut adhibita velocitate lucis (300,000 kilom. per secundam seu 3600 partem horæ), insumendi essent ad eam attingendam quatuor anni et centum viginti octo dies; ad attingendam vero stellam polarem plus quam quadraginta sex anni. Inde computa numerum kilometrorum, quem vix exprimeres.

quamquam immensitatem spatii dimetiri nemo valet, deque multitudine stellarum etiam præter eas quæ instrumentis attingi nequeunt, pariter de motu eorumdem corporum cœlestium, et terræ nostræ, qui incredibili celeritate perficitur, et simul ita regulariter ut hunc motum terræ nostræ (1) ne sentiamus quidem.

Nonne mens humana, immensitatem spatii, et innumerabilem astrorum multitudinem in ea quasi arenam etsi tantæ molis, sparsorum manu Omnipotentis, considerans, eorumque motum et ordinem recogitans, in stuporem et quasi extra se rapitur?

« Multitudo vero rerum, ita pergit Seraphicus, secundum diversitatem generalem, specialem et individualem, in substantia, in forma seu figura, et efficacia ultra omnem humanam æstimationem, manifeste trium prædictarum conditionum [perfectionum] in Deo immensitatem insinuat et ostendit ».

Heic rursus interrogemus scientiam modernam. Præter jam dicta de multitudine corporum cœlestium, et omissis spiritibus quorum, testantibus Patribus, innumerabilis est exercitus, mira varietate et ordine distinctus, quot in creaturis visibilibus hujus solius terræ, hujus quasi puncti immensi mundi, scientiarum naturalium periti distingunt genera et species in regno tum minerali, tum vegetali necnon animali, et eorum quæ nunc existunt, et quæ disparuerunt quorum reliquiæ inveniuntur in visceribus terræ! Quis dinumerabit herbas et gramina, virgulta, flores et arbores? Et, præter minima, quæ microbia vocantur, oculo nudo invisibilia, quæ tam miram, mysteriosam, momentosam in regno naturæ operationem habent, species animalium nunc existentium computantur centena millia; inter sola insecta ultra tercenta jam millia investigarunt.

« Pulchritudo autem rerum, secundum varietatem luminum, figurarum et colorum, in corporibus simpli-

---

(1) Terra nostra movetur circa solem cum media celeritate centum et sex millium kilom. per horam.

cibus, mixtis et etiam complexionatis, sicut in corporibus cœlestibus, et mineralibus, sicut lapidibus et metallis, plantis et animalibus, tria prædicta evidenter proclamat. »

Hæc evolvit et illustrat Lessius (1) proportionem et symmetriam partium et membrorum describens in corporibus animalium et in corpore humano, ubi concludit omnia formam et structuram naturæ suæ congruentem obtinere; « adeo ut neque muscæ, neque culices, neque vermiculi ea sint destituti. Quodlibet enim horum adeo juxta suam speciem est perfectum, adeo pulchrum et admirabile, ut tota sapientia hominum, etsi in unum conflata foret, non posset quidquam emendare; imo ne cogitando quidem rationem structuræ assequi...

Deinde pergit seq. num. 37: « Jam quanta est pulchritudo in plantarum genere? Quam decore terram vestiunt? Quam miro modo eas ex sinu suo terra sursum protrudit, et radicibus apprehensas tenet, ne ventorum flatu prosternantur? Quanta in his est varietas, tot arborum, tot virgultorum, tot segetum et leguminum, tot herbarum hortensium, campestrium et montanarum, tot florum, quibus prata et horti renident et fragrant?...

« In floribus autem id tantum spectari videtur, ut sua multiplici forma, colore, odore oblectent, et nos in admirationem tanti artificis rapiant. » Deinde mira dicendi arte formam adeo variam nec minus variantem colorem describit et exclamat: « Quis ista considerans [ad miraculum pulchra, ut supra ajebat] non agnoscat artificis sapientiam, eamque admiretur, laudet et veneretur? »

Porro addit n. 40 et 41, quod notandum sedulo est, omnem illam pulchritudinem visibilem contineri in invisibili substantia res illas animante: in anima vegetante latere rationem structuræ et totius formæ, addamus

---

(1) *De Numine ejusque providentia*, l. I, c. II, 4ª *Ratio: Ex rerum pulchritudine et structura partium respectu totius*, n. 36. Hæc dicta complet 6ª *Ratio: Ex structura animalium et plantarum in ordine ad finem.* Cæterum totum opusculum, in ordine ad hanc rem nostram in hac prima tabula, utiliter legitur, accommodando tamen hic illic dicta ad scientiam modernam.

et operationis, quæ in illis oculos nostros oblectat. In anima sentiente animalium totam rationem fabricæ eorum corporum, sed etiam rationem omnium sensuum, imaginationis, appetitus sensitivi, omnium instinctuum, et morum et operationum cujusque. Unde merito concludit dicendo : « Quanta igitur in animabus istis, quibus singula constant, et in quibus omnia ista simplici modo latent, est pulchritudo ? Quam sunt res istæ mirabiles et stupendæ, quæ uniformi modo tantam dissimilium formarum et figurarum [dicamus et operationum] multiplicitatem continent. »

Profecto pulchritudo hæc est magna, sed et ad plenitudinem rerum referri potest, de qua audiamus rursum S. Bonaventuram :

« Plenitudo autem rerum, secundum quod materia est plena formis secundum rationes seminales, forma est plena virtute secundum activam potentiam, virtus est plena effectibus secundum efficientiam, idipsum (nempe potentiam sapientiam et bonitatem Dei) manifeste declarat. »

« Operatio multiplex, secundum quod est naturalis, secundum quod est artificialis, secundum quod est moralis, sua multiplicissima varietate ostendit immensitatem illius virtutis, artis et bonitatis, quæ quidem est omnibus causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi (1). »

« Ordo autem, secundum rationem durationis, situationis et influentiæ, scilicet per prius et posterius, superius et inferius, nobilius et ignobilius, in libro creaturæ insinuat manifeste primi principii primitatem quantum ad infinitatem potentiæ. Ordo vero divinarum legum, præceptorum et judiciorum in libro Scripturæ immensitatem sapientiæ. Ordo autem divinorum sacramento-

---

(1) Cf. et heic Lessium, de operatione animalium agentem, l. c., n. 41. At præcipue lege de miro instinctu animalium, etiam inferiorum scilicet insectorum, opera lectu jucunda celebris entomologi Henrici Fabre.

rum, beneficiorum et retributionum in corpore Ecclesiæ immensitatem bonitatis; ita quod ipse ordo nos in primum et summum, potentissimum et sapientissimum et optimum evidentissime manuducit. (1) »

Meritissimo jure ibi concludit Doctor Seraphicus suam doctrinam hisce verbis :

« Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, cæcus est ; qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est; qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est ; qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est.

« Aperi ergo oculos, aures spirituales admove, labia tua solve, et cor tuum appone, ut in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas et colas, magnifices et honores, ne forte contra te universus orbis terrarum consurgat. Nam ob hoc pugnabit orbis terrarum contra insensatos, et e contra sensatis erit materia gloriæ, qui secundum Prophetam possunt dicere :

Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo (2). Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua (3). »

***

Hæc doctrina S. Bonaventuræ nobis suggerit aliquam animadversionem utili simul et delectabili doctrina refertam, quam non heic inserere nolumus.

Quæ creaturæ septiformi testimonio de Creatore testantur continuo eligit reducere ad tria, quæ semper referuntur ad immensitatem trium earumdem Dei perfectionum : potentiæ, sapientiæ, bonitatis. Quod quidem

---

(1) Vides heic S. Bonaventuram, secundum supra a nobis notata, ordinem a Deo in præsenti statutum integrum considerare, ordinem autem naturæ abstractive tantum ab eo.

(2) Psalm. XCI.

(3) Psalm. CIII. Lege hunc psalmum, canticum magnificum in honorem Dei, ut omnipotentis Creatoris, sapientis et optimæ Providentiæ universi.

attentum lectorem non fugerit. Operæ autem pretium est rationem inquirere hujusmodi modi exponendi : id enim nos conducet ad profundiorum intellectum illius doctrinæ, et simul ad delectabilem contemplationem divinæ majestatis divinarumque perfectionum in magnifico opere creationis relucentium.

Quare ergo Seraphicus Doctor hunc modum exponendi elegit, et quare imo, semel saltem, dicit : Creaturas manifestare immensitatem potentiæ, sapientiæ et bonitatis *trini* Dei ?

An ideo id facit, quia censet creaturas directe seu immediate et expresse testari Deum esse trinum in personis ? Nequaquam, omnia enim opera Dei ad extra, quorum primum est creatio, sunt a Deo, ut est unus Deus, unus essentia seu natura tribus personis divinis communi, adeoque directe et immediate atque expresse Deum unum manifestant.

Attamen, ut S. Doctor alio loco (1) docet, considerari possunt in Deo : 1/ essentia, tribus personis communis, determinate in seipsa et absolute ; vel 2/ divinæ proprietates, singulis personis propriæ, quæ simul sunt singulæ et omnes tres eadem essentia ; vel 3/ essentia secundum quod præcise comprehendit appropriata seu formaliter cum relatione ad proprietates personales. In primo casu, sumitur essentia omnino absolute absque relatione, i. e. unus Deus, abstractive (non præcisive) a personis. In altero casu, sumitur essentia cum relatione ad personas seu unus Deus trinus in personis. In tertio casu, sumitur essentia cum relatione ad creata, ut eorum causa : Deus enim est causa finitorum per essentiam suam, ratione appropriatorum, quæ sunt essentialia considerata in personis, scilicet quatenus essentia non absolute spectatur, sed prout continet omnipotentiam appropriatam Patri, sapientiam appropriatam Filio, et bonitatem appropriatam Spiritui sancto.

Creaturæ igitur ducunt nos directe ac immediate atque

---

(1) In 1 *Sent.*, dist. 36, p. I, q. II.

expresse ad cognitionem Dei, ut est unus essentia, sed ulterius implicite et mediate nos introducunt ad vestigium quoddam trinitatis in Deo, eo quod manifestant nobis tres divinas perfectiones quæ cæteras omnes comprehendunt et singulis quoque personis divinis appropriantur ratione specialis suæ affinitatis cum proprietate personali singularum. Hoc vestigium detegere et sequi profecto non possumus, nisi postquam divina revelatione SS. Trinitatem noverimus et crediderimus (1).

En ratio cur S. Bonaventura constanter de tribus, iisdemque perfectionibus Dei testimonium creaturarum invocat, potentia, sapientia et bonitate, non excludendo quidem cæteras, quasi non omnes in rebus creatis reluceant, sed, contra, eo quod omnes ad has tres reduci possunt, ut præclare ostendit Hugo a S. Victore (2) :

« Si immensum nominas, si incorruptum dicis, si æternum, si incommutabilem, et quæcumque horum similia : totum hoc potestatis est. Si scientem appellas, si providum, si inspectorem, si scrutantem et considerantem, et discernentem: totum hoc sapientiæ est. Si mitem, si mansuetum, si compatientem et benignum, vel quæcumque hujusmodi similia sunt vocas: totum hoc bonitatis est. »

***

Hucusque mirabilia mundi visibilis consideravimus, omisso propter rationem supra datam invisibili Spirituum mundo, ast considerandus manet ipse homo, qui ad utrumque mundum aliquo modo pertinet, jungens quasi utrumque cum corpore constet simul et anima spirituali seu rationali.

Et in ordine quidem naturæ seu regno Dei naturali, de quo hæc 1ª tabula, præcipuum locum obtinet homo, quippe qui ex mente Creatoris finis proximus est totius mundi visibilis. Hic enim a Deo infinite sapiente creari non potuit nisi ordinatus ad creaturas rationales, scilicet

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, t. III, p. 301, n. 120.
(2) *De Sacramentis christianæ fidei*, l. I, part. II, cap. VI.

ad manifestandum illis seipsum, suas perfectiones suamque gloriam, ut eædam Ipsum cognoscere, agnoscere et laudare possent ac deberent.

Itaque omnis creatura intellectualis, tam spiritus purus quam homo, finis proximus est ex mente Dei mundi corporalis, qui secus fine careret. At, præterea peculiariter propter hominem, corporalem simul et rationalem eumdem mundum ordinavit Deus, cum homo ad finem suum ultimum in Deo attingendum, rebus quoque corporalibus egeat ad vitam suam terrestrem, ideoque et terram hanc Deus specialiter adornavit in habitaculum hominis, quem quasi regem constituit universæ terræ, et in qua tandem ultimo disposuit omnia intuitu adventus Ipsius Dei-Hominis et operis redemptionis.

Igitur, postquam mirabilia circa nos sparsa intuiti sumus, jam intremus ad nos ipsos, ad animam nostram, ubi majora miranda inveniemus, quibus propius et altius ad Deum in opere suo contemplandum ascendamus.

Anima nostra cum sit una, rationalis, spiritualis at simul forma corporis, partes quoque agit animæ vegetantis et sentientis, unde, et altiori quidem gradu, omnem pulchritudinem ac perfectionem continet quam in plantarum et animalium animis mirati sumus.

Sed qua rationalis longe pulchrior, « in qua non solum ratio structuræ corporis, et omnium sensuum, sed etiam facultas intelligendi, recordandi, et libere quidlibet amplectandi vel repudiandi continetur. Per intellectum concipit totum mundum, et omnium rerum in se veluti picturas invisibiles pingit. Per memoriam, omnes illas firmiter retinet, et cum opus fuerit, in usum profert. Quam vasti sunt illi sinus tam innumerabilium formarum, et tot tantarumque rerum capaces? Per voluntatem omnibus uti vel frui, et de omnibus ad suum commodum disponere, imo sibi ipse scopum vitæ statuere potest (1). »

---

(1) Ita Lessius, op. cit., *4a Ratio*, n. 42; et cf. eumdem *De immortalitate animarum* 1a, 2a, 3a, 4a, 6a *Ratio*.

Præclare Sylvester Maurus : « Mirabilis, ait (1), ac plane divina vis intellectus producendi in se actus et habitus, hoc est vivas imagines omnium rerum quæ sunt in mundo et etiam aliarum quæ non sunt in mundo. Cognoscendo vero omnia intellectus quodammodo fit omnia et trahit ad se perfectionem omnium rerum... Mirabilis est etiam vis voluntatis, qua amando omnia bona, præsertim honesta, fit bona omni bonitate. Hinc est, ut homo præcipue per intellectum sit microcosmos, quia quot species rerum sunt in mundo, tot possunt poni intentionaliter in intellectu ; sit etiam imago Dei ; quia sicut Deus est pelagus omnis entitatis et perfectionis, in quo primo est omnis entitas et perfectio ; sic intellectus est pelagus secundarium, in quod a Deo confluunt omnes perfectiones objectorum et rerum. »

Egregie quoque, de libero arbitrio agens, quod intellectum et voluntatem complectitur, loquitur Richardus a S. Victore (2): « Inter omnia creationis bona, nihil in homine sublimius, nihil dignius libero arbitrio... Quid, quæso, in homine sublimius, quid dignius inveniri potest, quam illud in quo ad imaginem Dei creatus est? Habet sane libertas arbitrii imaginem non solum æternitatis, sed et divinæ majestatis. Quantum putamus, in hoc incommutabili æternitati præ cæteris omnibus liberum arbitrium vicinius accedit, ejusque imaginem expressius gerit, quod nulla unquam culpa, nulla demum miseria non dicam destrui, sed nec minui poterit. Vultis et majestatis similitudinem in ipsa [libertate] perspicere, et quomodo ejus imagine impressa sit evidenter agnoscere ? Deus superiorem non habet nec habere potest, et liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati potest, quia violentiam inferre ei nec Creatorem decet, nec creatura potest. Totus infernus, totus mundus, totus denique militiæ cœlestis exercitus in unum concurrat, in hoc

(1) *Quæstiones philosophicæ*, tom. I, Q. IV.
(2) *De statu interioris hominis*, tract. I, cap. III.

unum conjuret, unus ex libero arbitrio consensus in qualicumque re invito extorqueri non valet. »

Suscipe, Domine, universam meam libertatem...

Igitur, dum omnia creata inferiora vestigium quoddam analogicum divinarum perfectionum exhibent, siquidem Deus causa est tum efficiens seu primum principium, et finalis seu ultimus finis, tum etiam exemplaris seu exemplar infinite perfectum omnium rerum: anima rationalis, sicut et omnis creatura intellectualis, merito dicitur et est *imago* analogica summi Dei, quoniam Deum propius imitatur, et analogia quidem directa et immediata Deum, ut est essentia Unus, spiritus infinitus, actus purus intelligendi et volendi; indirecta vero et mediata, posita Trinitatis revelatione, etiam divinæ Trinitatis; ut alio loco (1) exposuimus; quæ quidem utiliter legenda, brevitatis causa heic non transcribimus sed ut inserta habemus.

Conclusio. Jam hanc primam tabulam uno ultimoque aspectu generali intuentes, profecto videbimus Deum, ipsis jam solis rebus creatis, nobis satis et ultra demonstrasse, quo Ipsum cognoscamus et reverenter agnoscamus atque laudemus; satis quoque et ultra reliquisse abscondita, ut cum profunda humilitate Ipsum ulterius inquiramus, nostrumque intellectum æternæ Ejus veritati subjiciamus, et omnimodam ab Eo dependentiam nostram agnoscamus. Satis superque nobis quoque dedit in rebus creatis bona, ad gratias Ei agendas, ad Eum amandum Eique serviendum; satis quoque nobis reliquit infirmitatis et egestatis, ut ad Eum humillime suspiremus et ab Eo omnia exspectemus atque speremus.

Inexhaustam quoque materiam reperiemus ad delectabilem contemplationem divinarum perfectionum, quæ nos conducat et præparet ad contemplandum Deum in se, in septima et ultima tabula exponenda.

Gustavus-Josephus, Episc. Brugen.

---

(1) *Collat. Brugen.*, t. III, pag. 420, n. 123, et t. IV, pag. 12, n. 141.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis junii propositas.

—

I.

In Matthæum, XI, 11-14.

Q. *Explica, attento contextu præcedenti et sequenti*, Mt., *XI, 11-14.*

R. In præcedentibus (vv. 2-6) Jesus non obscure edixerat legatis Joannis Baptistæ se esse Messiam a Judæis exspectatum, provocaveratque ad miracula sua quæ, tum in seipsis, tum qua impletio prophetiarum messianicarum (*Is.*, XXXV, 5 ss., LXI, 1), omnibus manifestum argumentum existere debuissent. Et, jam alludens ad resistentiam sibi a Judæis « a sapientibus et prudentibus » oppositam, addiderat: « *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* »

Ni fallimur, tota pericopa quæ sequitur de hac eadem incredibili Judæorum, signanter Pharisæorum et Scribarum (*Lc.*, VII, 30) aliorumque ducum, pervicacia est intelligenda. Nimirum:

In vv. 7-8 revocat in memoriam ardorem quocum Judæi Joannem Baptistam in deserto adierant, illumque eorum zelum laudat et approbat: erat enim Joannes vir non tantum constantia sua et austeritate vitæ eminens (vv. 7-8), sed et munere suo: erat enim, ad modum prophetarum Veteris Testamenti, *propheta* Dei, imo omnes illos prophetas antiquos munere suo superaverat: fuit *plus quam propheta*, fuit enim præcursor Messiæ (9-10).

Et jam v. 11ª solemni formula: *Amen dico vobis*, proclamat: *Inter natos mulierum non surrexit major*

Joanne Baptista, i. e , Joannes omnes homines, quantumvis eminentes qui fuerant ante ipsum, et signanter omnes prophetas *munere suo* antecelluit (1); et ratio manifesta est: etenim Joannes non solum ipse *propheta* fuerat et, sicut alii prophetæ, nuntiaverat Messiam *futurum*, sed fuerat *plus quam propheta*, Messiam demonstrans *præsentem* (2).

In v. 11b addit Jesus, pergens in eodem ordine idearum: *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo;* si præcellens fuit munus et eximia dignitas *præcursoris* regni messianici, a fortiori eximia est excellentia illius qui ejusdem regni *membrum* est, etiamsi in regno illo infimum aliquem locum occupet infimumque munus exerceat (3).

Conclusio ex hisce verbis Jesu ab ejusdem auditoribus deducenda nimis manifesta iis esse debebat: si tanto

---

(1) Sensus non est, ut voluerunt s. Hier. et Ven. Beda: nemo major fuit Joanne, sed *plures potuere esse æquales*. Etenim solemnis hæc affirmatio man feste Joannem, saltem in uno alterove ordine dignitatis, ut omnibus aliis superiorem edicit; cæteroquin v. 9 explicite ponitur tamquam omnibus prophetis excellentior.

(2) Unde minime agitur de eminentia Joannis ratione *sanctitatis vitæ morumque*, ut quidam voluerunt. Revera *a/* in immediate præcedentibus (v. 9 et 10) non de hac sanctitate, sed de munere exercito agitur; item in sequentibus (v. 13 et 14); *b/* si v. 11a de sanctitate audiretur, etiam v. 11b sic esset audiendus; jamvero hoc esse nequit: quis enim dicet quemlibet christianum esse Joanne sanctiorem? *c/* Et num Joannes sanctior fuit Maria? num sanctior sancto Joseph? *d/* cæteroquin de eminentia muneris agi tenet vixnon communis antiquorum recentiorumque sententia. Hoc tamen non impedit Joannem aliunde probari fuisse virum eximiæ sanctitatis.

(3) « Igitur non ipsemet Joannes spectatur, qualis est in se; non merita ejus considerantur, aut vitæ morumque excellentia; sed conditio ejus theocratica seu publica respicitur, ratione cujus videtur veterem legem referre ejusque vices gerere » (Van Steenkiste, in h. l.); aliis verbis, enuntiatur eminentia Novi præ Vetere Testamento.

Unde hujus v. 11b sensus non est — ut quidam voluere: *a/ Ego, Christus*, qui Joanne junior sum, vel a vobis ut minor habeor, sum major Joanne; — neque *b/ Angeli* vel *sancti* qui sunt in cœlo sunt Joanne excellentiores: *regnum cœlorum* de quo hîc, non cœlum proprie dictum, sed Ecclesia in hac terra intelligitur, illud nempe regnum cujus Joannes præcursor fuit.

ardore adiistis præcursorem regni, quo majori zelo deberetis conari ut in ipsum regnum intretis illiusque membra efficiamini! Huic autem subauditæ conclusioni, sicut supra in v. 6 ita iterum hîc, v. 12, non sine animi amaritudine, opponit tristem realitatem: Nedum *autem* (1) intretis in regnum illud, contrà: *a diebus Joannis Baptistæ*, ab ipso exordio regni messianici, *usque nunc*, usque ad præsens tempus, *regnum cœlorum*, regnum messianicum quod prædico inter vos, *vim patitur*, habet subeundam Judæorum, Pharisæorum nimirum et Scribarum, impugnationem, *et violenti rapiunt illud*, omni qua valent violentia conantur nonnulli regnum illud auferre ab aliis hominibus!

Vs. 13-15 reddunt rationem quare in v. 12 dictum fuerit: regnum cœlorum *inde a diebus Joannis* fuisse impugnatum: illud *enim* regnum quod *omnes prophetæ et lex* — totum proinde Vetus Testamentum — tamquam futurum *prophetaverunt*, illud esse incœpit cum Joanne: etenim *si vultus recipere* — si vellent auditores Jesu intelligere, sed nolunt! — sciretis utique quod *ipse est Elias, qui venturus est* (2), seu fuit præcursor regni messianici. — Quibus verbis clare innuitur mala dispositio animi apud Judæos (3). Porro etiam sequentia (16-19) hanc eamdem absurditatem agendi graphice describunt.

Huic quam præferendam ducimus interpretationi (v. 12) favet tum, negative, quod aliæ quæ proponuntur sententiæ non videntur admittendæ (4), tum hæc argumenta

---

(1) Quam bene ponatur illud δέ, *autem*, initio v. 12, inutile est declarare.

(2) Hac expressione designatur ille quem Judæi exspectant tamquam præcursorem Messiæ.

(3) Hæc hostilitas item innuitur v. 15: « *Qui habet aures audiendi audiat* », et bene sequuntur v. 16 ss.: sed non vultis audire nec intelligere: estis enim pessime dispositi.

(4) V. 12 non raro aliis sensibus intelligitur, potissimum: *vel a)* regnum messianicum *facit vim* (βιάζεται sensu medio), seu magna virtute progreditur, et violenti (βιασταὶ), illi qui sibi vim faciunt, illud acquirunt; — cui *obstat* sensum illum medium verbi βιάζεσθαι, abso-

positiva: *a*/ contextus integræ pericopæ, sicut in præcedentibus (v. 6) et in sequentibus (vv. 14 s., 16 ss., 20 ss.), ita vv. 12 in lucem ponit incredibilem pervicaciam quam Judæi prædicationi Christi opponunt; *b*/ logica progressio idearum quæ in hac interpretatione viget in eadem pericopa, ut apparet ex paraphrasi supra tradita; *c*/ contextus historicus vitæ Christi: nonne enim ab initio prædicationis Joannis inimicitiæ et impugnationes contra novum regnum ortæ sunt apud duces Judæorum? Nonne ita fuit decursu totius vitæ ipsius Christi? *d*/ alia Christi effata quæ hunc v. 12 videntur illustrare: *Mt.*, XXIII, 13: Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare; cfr *Lc.*, XI, 52; *e*/ verbum βιάζεται, quod a Vulg. vertitur *vim patitur*, cum absolute ponatur, magis obvie sensu passivo sumitur, et tamquam verbum passivum semper significat vim *malam* alicui illatam (cfr KNABENBAUER, *o. c.*, pp. 436 s.); similiter verbum ἁρπάζουσιν optime habet significationem: *rapiunt*, *auferunt*, *diripiunt;* — *f*/ tandem favet locus parallelus s. Lucæ, VII, 24-35, ubi v. 30 describitur illa oppositio nonnullorum quæ a diebus Joannis incœpit: *Pharisæi*...

---

lute adhibiti, non probari; — vel *b*/ (quæ est sententia longe communior; cfr LAGRANGE, in h. l.) regnum messianicum *est objectum impetus* hominum (βιάζεται sumitur sensu passivo, eoque bono), quatenus ab hominibus avide appetitur, et magno conatu homines illud sibi acquirere satagunt; — cui videtur *obstare* tum sensus malus quo verbum βιάζεται sensu passivo intelligi debet (supra), tum quod in toto contextu tum totius Evangelii, tum hujus ipsius pericopæ non intelligitur quomodo Jesus notasset hujusmodi Judæorum vehementem ardorem in quærendo regnum messianicum: nonne per totam vitam suam debuit Jesus lugere eorum ignaviam? nonne eamdem in ipso hoc contextu in lucem ponit (cfr vv. 6, 14, 16 ss., 20 ss., 25 ss.)? — *vel c*/ regnum cœlorum *debet expugnari* seu *exigit violentiam* et soli illi qui sibi vim inferunt illud acquirent; cui *obstat* tum hanc ideam, quamvis in se verissimam, esse plane a contextu alienam, tum quod textus minime dicit: *debet* expugnari, tum quod non intelligitur quare Jesus dixisset: *a diebus Joannis regnum cœlorum* exigit bonam hanc voluntatem: nonne etiam ante dies Joannis peccatoribus indicebatur pœnitentia et omnibus bona et strenua voluntas?

et legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo, i. e. regnum Dei sibi a Joanne prædicatum rejecerunt, cum maximo damno suo, quatenus jam ipsum baptismum Joannis recipere recusarunt : — item *Lc.*, XVI, 16 tum in se tum in suo contextu (cfr v. 17) apte intelligitur: *Lex et prophetæ usque ad Joannem; ex eo*, inde a Joanne, *regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit*, i. e. omnes (sensu frequenti apud *Lc.*: tam multi) regnum illud impugnant.

A. VANDER HEEREN.

II.

De traditione excedente s. Scripturam.

Q. *Proba traditionem oralem esse fontem excedentem verbum Dei scriptum.*

R. In præcedenti responsione ostendimus traditionem oralem esse fontem a sacra Scriptura distinctum, quatenus omnis traditio fidem facit, et quidem cum auctoritate divina, independenter a verbo Dei scripto. In præsenti responso comprobare intendimus traditionem oralem excedere Scripturam, quatenus de nonnullis rebus scriptis plus aliquid docet veritatis quam sacra Scriptura atque etiam quædam capita doctrinæ addit de quibus litteræ sacræ nihil omnino habent.

Istæ porro veritates, etiam quando nihil earum scripto consignatur, adhuc pollent auctoritate divina, utpote verbum Dei, cui fide divina est credendum.

1/ Argumentum primum desumimus ex ipsa sacra pagina et quidem *a/* ex indole ipsius Scripturæ sacræ, quando quidem libri novi testamenti ab auctoribus inspiratis sine ulla communi deliberatione et occasionaliter, id est, propter causas aut necessitates speciales conscripti sunt, quin posteriores generatim dici possint compositi ad priores supplendos ; quin immo plerumque

concinnati fuere ut veritates oretenus traditæ in memoriam revocarentur (1).

Alioquin plures apostoli nihil scripserunt; alii paucissima, uti ipse s. Petrus, caput Ecclesiæ, et certo non « credimus, ait Canus, [ipsum] mutum annis septem Antiochiæ sedisse, elinguem Romæ annis viginti quinque. Num nihil aliud verbo docuit, quam quod epistolis duabus scriptum reliquit? » (2).

Adde singulos libros inspiratos non exhibere integram doctrinam; unde, si reapse omnia continent, quæ saltem ad salutem scitu sunt necessaria, uti contendunt protestantes, id fortuito nimis accidit.

Objiciet quis talem perfectionem fuisse intentam a Deo, auctore principali totius Scripturæ; sed talis objectio primo videtur assertio omnino gratuita, quæ nullum fundamentum habet in ipsis litteris sacris; deinde quædam scripta divinitus inspirata fuerunt deperdita (3), itaque non absque ironia sed jure animadvertit Bellarminus: « Viderint ergo hæretici, unde resarcient tam insignem defectum » (4).

Tandem singuli libri habuerunt suos destinatarios, sæpius ecclesiam aliquam determinatam, quandoque episcopum, uti epistolæ ad Timotheum et ad Titum, aut etiam personam privatam, uti tertia Joannis; inde intelligitur quomodo quædam ecclesiæ, etiam post mortem apostolorum quibusdam libris inspiratis diu caruerint aut de eorum origine vel inspiratione dubitaverint. Hæc autem, uti manifestum nimis apparet, non favent sententiæ de sufficientia omnimoda Scripturæ, quam protestantes ceteroquin, ut sibimet consentirent, ex ipsa sacra pagina demonstrare deberent.

---

(1) Cfr Van Noort, *Tract. de fontibus revelationis*, n. 144, p. 114; Bainvel, *De magisterio vivo et traditione*, p. 23.

(2) Melchior Canus, *De locis theologicis*, lib. III, cap. 3, n. 7 (ed. nova, in t. I, p. 167, Romæ, 1900).

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, XXI, p. 331.

(4) Bellarminus, *o. c.*, cap. 4, c. 169.

b/ Jamvero nedum hæc sufficientia Scripturæ sacræ, in ipsis sacris litteris dicatur aut etiam innuatur, contra in evangelio s. Joannis insinuatur multa non fuisse scripta, quæ Jesus Christus, etiam ante mortem suam, docuerat et fecerat (1).

Deinde apud Actus Apostolorum legimus : « Quibus [apostolis] et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei » (2). Sed, uti notat Bellarminus, « de gestis et verbis Domini post resurrectionem paucissima scripserunt evangelistæ. Non autem est ullo modo credibile, apostolos, qui illa viderant et audierant, non tradidisse ecclesiis ». Neque objiciatur, addit : « etiamsi non sint scripta omnia, quæ dixit, aut fecit Jesus, esse tamen scripta omnia necessaria... Multa enim necessaria non sunt scripta, et præsertim de sacramentorum institutione, quæ sine dubio Dominus tradidit in illis diebus quadraginta » (3).

2/ Argumentum secundum deprominus ex modo agendi veterum et ex explicitis eorum testimoniis.

a/ Multoties enim ad confutandos hæreticos non ad Scripturam sacram sed ad traditionem oralem provocant (4).

Ita Origenes in quæstione de libris inspiratis (5) ; idem cum s. Augustino in controversiis de baptismo conferendo pueris aut collato ab hæreticis (6); contra Julianum in

---

(1) *Jo.*, xx, 30; xxi, 25.

(2) *Act.*, i, 3.

(3) Bellarminus, *o. c.*, cap. 5, c. 173. — Objectiones ex Scriptura sacra refutat etiam Bellarminus, *o. c.*, cap. 10, c. 190; easdem ex professo convellunt pariter Murray, *o.c.*, II, p. 557 s.; Mazzella, *o.c.*, p. 269 s.; De Groot, *o. c.*, p. 754 s.

(4) Cfr Bellarminus, *o. c.*, cap. 7, c. 177 s.; Kilber, *o. c.*, p. 76; Mazzella, *o. c.*, p. 259.

(5) Origenes, *In Matth. comm.*, frag. ex t. I, apud Eusebium, *Hist. Eccles.*, vi, 25 (MPG, XIII, 829; XX, 581).

(6) Origenes, *In Rom. comm.*, v, 9 (MPG, XIV, 1047); s. Augustinus, *De baptismo*, II, vii, 12; IV, xxiv, 31 (MPL, XLIII, 133; 174); *De Genesi ad litteram*, X, xxiii, 39 (MPL, XXXIV, 426).

disputationibus de peccato originali rursus episcopus hipponensis (1); sæpius s. Athanasius in defendendo dogmate de ss. Trinitate (2), itaque plures veritates ad fidem pertinentes non alias quam testimonio traditionis practico ab initio receptæ sunt (3).

b/ Verum, hanc doctrinam etiam expressis verbis prolatam legimus.

Ita s. Basilius: « Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus et prædicationibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolorum, quorum utraque vim eamdem habet ad pietatem » (4).

Pariter s. Epiphanius: « Traditione quoque opus est: neque enim ex scripturis peti possunt omnia; idcirco alia in scripturis, in traditionibus alia sancti apostoli reliquerunt » (5).

Similiter s. Joannes Chrysostomus: « Itaque fratres, state, et tenet traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistulam nostram [ait Apostolus]. Hinc est perspicuum quod non omnia tradiderunt per epistulam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam; est traditio, nihil quæras amplius » (6).

Hæc sufficere possunt (7); eo vel magis quod statim ab

---

(1) S. Augustinus, *Contra Julianum*, II, x, 33 (MPL, XLIV, 697).

(2) S. Athanasius, *Epist. ad Serapionem*, I, 28 (MPG, XXVI, 593).

(3) Cfr Canus, *o. c.*, III, 3, n. 2 (ed. cit., I, p. 160). — Nota Patres sæpius non ita distinguere inter traditiones divino-apostolicas et humano-apostolicas aut etiam ecclesiasticas, sed sufficienter ostendere se admittere existentiam aliquarum traditionum dogmaticarum, quæ in Scriptura non continentur.

(4) S. Basilius, *De Spiritu sancto*, XXVII, 66 (MPG, XXXII, 188).

(5) S. Epiphanius, *Adv. hæres. Panarium*, LXI, 6 (MPG, XLI, 1047).

(6) S. Jo. Chrys., *In II Thess. hom.* IV, n. 2 (MPG, LXII, 488); cfr etiam s. Hieronymus, *Dialogus contra Luciferanos*, 8 (MPL, XXIII, 163).

(7) Eamdem doctrinam multum inculcat s. Vincentius Lirin., *Commonit.*, 2 et 20 (MPL, L, 639 et 665). — Quædam etiam sunt difficultates quas refutat Bellarminus, *o. c.*, cap. II, c. 196 s.; eamdem

initio, quando concilia œcumenica in Ecclesia convocata fuerunt, ad hanc traditionem appellaverunt et hoc quidem conscii de valore traditionis. Etenim, ait s. Athanasius in epistola sua de synodis: « quæ illi [patres nicaeni] scripto tradidere, non ab illis inventa, sed ea ipsa sunt quæ docuerunt apostoli » (1).

Hoc idem ceterum aperte declaratur in concilio chalcedonensi, œcumenico quarto, in definitione de duabus naturis in Christo contra monophysitas: « Sequentes igitur sanctos Patres... » (2); item in concilio constantinopolitano secundo, œcumenico quinto: « Cum igitur hæc ita recte confessi sumus, quæ tradita nobis sunt tam a divinis Scripturis, quam a sanctorum Patrum doctrina... » (3); in eadem synodo ex professo auctoritatem traditionis vindicaverunt: « Confitemur fidem tenere et prædicare ab initio donatam a magno Deo et Salvatore nostro Jesu Christo sanctis apostolis et ab illis in universo mundo prædicatam, quam et sancti Patres confessi sunt, et explanaverunt et sanctis ecclesiis tradiderunt » (4).

Nihil itaque innovavit concilium tridentinum, quando traditiones orales et etiam mere orales, quas expresse traditioni scriptæ opponit, pari pietatis affectu atque reverentia, ac ipsum verbum Dei scriptum, suscipiendas esse pronuntiavit (5).

---

confutationem exhibent plerique auctores moderni, jam laudati. — Apud FRANZELIN, *De divina traditione et Scriptura*, th. 19 p. 194 s., videsis principia, quibus plerasque objectiones dissolvere poteris; cfr etiam VAN NOORT, *o. c.*, n. 151, p. 120.

(1) S. ATHANASIUS, *Epist. de synodis*, 5 (MPG, XXVI, 688).

(2) Textum habes apud *Enchir.*, n. 148.

(3) *Enchir.*, n. 228; cfr *Conc. nicaen. II*, œcum. septimum, in definitione de sacris imaginibus et traditione (*Enchir.*, n. 302 s., 308) et *Conc. constantinop. IV*, œcum. oct., can. 1 contra Photium (*Enchir.*, n. 336).

(4) *Enchir.*, n. 212.

(5) *Conc. trid.*, œcum. decimum nonum, sess. IV, in decreto de can. scripturis (*Enchir.*, 783); cfr etiam *Professio fidei trid.* (*Enchir.*, n. 995).

Eamdem doctrinam rursus proposuit concilium vaticanum et signatim declaravit fide divina esse credenda, quæ in verbo Dei scripto aut etiam non scripto continentur (1).

H. Lamiroy.

III-IV.

De contractibus in genere I.

Q. *An* in conscientia *obligant contractus destituti formalitatibus a lege civili præscriptis : sive ad existentiam aut valorem actus, sive ad probationem tantum aut ad rectitudinem instrumenti.*

R. Præsens quæstio unice procedit de his contractibus qui omnes quidem debitas conditiones verificant a jure naturæ requisitas ut validi sint et firmi, sed solummodo legalibus formis carent: seu, ut aiunt, forma extrinseca destituuntur.

Porro, generale principium legislationis civilis in hac materia est: solo jam debito consensu partium, independenter a formalitatibus, reapse iniri valereque contractus (2). Attamen in certis casibus solemnitates aliquas exigit lex ad ipsam contractus existentiam vel etiam ad plenum ejus valorem. Insuper in reliquis casibus, sicubi ad tribunal lis quædam deferatur, evidenter ab actore requirit judex demonstrationem initæ conventionis; jamvero ad legalem hujusmodi probationem non raro oportet ut in contrahendo quædam formalitates fuerint observatæ. Inde plura habemus :

1/ Ad ipsam primo conventionis *existentiam* legaliter requiruntur debitæ formalitates pro his contractibus qui

---

(1) *Conc. vatic.*, œcum. viges., sess. III, *Constit. dogm. de fide cath.*, cap. 2 (*Enchir.*, n. 1787); cap. 3 (*Enchir.*, n. 1792); lege etiam encyc. *Pascendi*, 7 sept. 1907 (*Enchir.*, n. 2083).

(2) Mabille, *Droit civil*, III, p. 9 et 10. — Planiol, *Droit civil* II n. 970 et 973.

solemnes dicuntur: ut sunt donatio non manualis inter vivos (art. 931), conventio de regimine matrimoniali (art. 1394), et constitutio hypothecæ (art. 76 legis 16 Dec. 1851); exigitur nempe essentialiter actus authenticus coram notario. His adde testamentum, quod quidem contractus proprie non est, sed tamen actus solemnis declaratur, talis scilicet qui absque scriptura cum necessariis formis legaliter non existat (art. 893).

Jamvero, si hisce actibus deficiant debitæ solemnitates, discutitur inter theologos utrum jam ante sententiam judicis declarantis inexistentiam, vel postea tantum dicendi sint pro ipsa conscientia inexistentes. Ratio quidem dubitandi non est apud legislatorem defectus sufficientis potestatis (1), sed potius voluntatis: dum nimirum severior probabiliorque sententia tenet legem in casu jam ante sententiam intendere dictis actibus omnem etiam in foro interno denegare existentiam, contra autumatur opinio benignior, utique probabilis, hoc regulariter (2) non constare; adeoque practice post declarationem judicis tantum adimi illis actibus in conscientia valorem seu vitam ipsis de jure naturæ competentem. Stante porro controversia hujusmodi, licite ante sententiam utraque pars contrahentium sibi favebit; et hoc utique applicatur etiam testamento informi (3), relate ad varios heredes sive legatarios quorum interest. Post declarationem vero judicis, omnia quæcumque jam exsecutioni mandata fuerint, in pristinum statum erunt reducenda, perinde ac si actus nunquam exstitisset.

2/ Ubi vero non ad ipsam existentiam contractus requi-

---

(1) Cf. Ill. Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 346 et 354. — *Collat. Brugen.*, II, p. 129; IX, p. 27 ss.

(2) Regulariter: hoc est nisi ex legis materia et fine bonum commune clare postulet ut plenissimus sit effectus infirmationis; tunc enim intentio penitus abolendi virtualiter continetur seria ipsius legis voluntate; vel etiam nisi legislator secus arguendus sit absurditatis. — Ita Vermeersch, *Quæstiones de Justitia*, n. 326 et 331.

(3) In causa profana tantum, non utique pia. Cf. c. 1513 Juris canonici.

runtur formalitates sed potius ad *valorem* ejus, ut nempe firmus maneat: tunc, si formæ fuerint omissæ, actus ad normam legis nullus erit, nullitate aliquando absoluta, aliquando relativa tantum; aliis verbis, nunc ab omnibus quorum interest invocari poterit hujusmodi defectus, nunc vero a determinatis tantum personis.

Jamvero: «sub jure nostro, actus seu contractus proprie nullus, sensu definito, etiam in foro conscientiæ generatim efficax manet, donec per sententiam judicis nullus pronuntietur; seclusis utique dolo, fraude, aliisve viis injustis. Imo ipsa sententia, si nitatur falsa præsumptione facti, non irritat in conscientia » (1).

Itaque contractus hujusmodi validi manent in conscientia et imo coram lege, usquedum judex nullitatem protulerit; hæc est enim mens legislatoris, unico excepto casu art. 27 Legis 15 Aug. 1854 (2).

Sic pone minorennem qui contra art. 457 proprio marte contractum init etiam absque læsione, sed deficiente debita tutoris assistentia cum reliquis formalitatibus tunc requisitis: quamvis hic formalitates non proprie statuantur ad regularitatem actus sed potius ad tuendum ipsum minorem, eadem tamen est nullitas contractus eædemque inde fluunt consequentiæ. Contractus ergo existit, et proinde per se exsecutioni mandandus est saltem provisorie; interveniente vero justa judicis sententia, quæ utique falso fundamento non nitatur, irritus fit actus ac si nunquam exstitisset.

Notandum est hic nullitatem esse relativam tantum, adeoque unice ab ipso minore vel ab ejus curam gerentibus invocari posse, non vero ab altera parte contrahente. Itaque post sententiam, si contractus exsecutio nondum

---

(1) Ill. Waffelaert, ibid., n. 352.

(2) Hæc exceptio Codicis proceduræ civilis respicit casum expropriationis coactæ (saisie immobilière), et sic habet: « le débiteur ne peut, à compter du jour de la transcription de la saisie ou du commandement, aliéner ni hypothéquer les immeubles saisis, ou indiqués au commandement, à peine de *nullité, et sans qu'il soit besoin de la faire prononcer.* »

locum habuerit, nil jam erit faciendum ; si secus, omnia pro posse in pristinum statum erunt reponenda (1).

Seponuntur utrinque viæ injustæ, utpote quæ jam jure naturæ ad reparationem damnorum jus tribuant, et imo per seipsas frequenter contractum rescindibilem ad nutum læsi aut imo inexistentem reddant.

Sed insuper quæritur an in casu teneatur minor ad provisoriam contractus exsecutionem, ante sententiam judicis ; siquidem ad hanc statim appellare possit? Certe ad hoc tenebitur altera pars contrahens, si minor conventioni stare voluerit : nam ipsi nullitatem invocare non permittitur. Verum ipse minor, necnon illi qui eum repræsentant, si jus ex lege cognoscentes tribunal tempestive adire parati sint, in conscientia non obligantur ad inchoandam contractus exsecutionem : ad quid enim illud peragere quod statim per sententiam irritum declarabitur? Ideo etiam altera pars hanc initialem exsecutionem in casu rogare quidem potest, exigere vero non potest ; imo jam exsecutioni mandata debet ipse, petente minore, ultro restituere saltem ex caritate, ne minorenni inutiles expensas et incommoda apud tribunal imponat (2).

3/ Tertio, ubi nec ad existentiam nec ad valorem actus requiruntur determinatæ formalitates, ad *probationem* tamen legalem oportet aliquando ut aliquæ servatæ fuerint, si nempe circa contractum contestatio postea exo-

---

(1) Si vero, re jam non integra, impossibile sit eam in pristinum statum reponere, videndum erit secundum casus utrum sufficiat eam ipsam restituere prout adhuc exstat, vel an in æquivalenti restitui debeat. « Un acte annulé peut avoir donné lieu à des rapports de fait dont il sera impossible de faire abstraction, et d'où résulteront, pour ceux entre lesquels ils se seront établis, des droits et des obligations réciproques..... Enfin l'annulation même d'un acte peut être l'occasion d'une demande en dommages-intérêts, fondée sur un délit ou quasi-délit imputé soit à l'une des parties, soit à un tiers ». AUBRY et RAU, *Cours de Droit civil français*, § 37.

(2) Supponitur utique pars quæ nullitatem invocare potest non dedisse validam confirmationem seu ratihabitionem contractus annulabilis; secus enim evadit conventio definitive efficax; sicut etiam in casu præscriptionis.

riatur. Sic disponit art. 1341 requiri scripturam sive privatam sive coram notario pro omni generatim (1) contractu qui *superat valorem* 150 f.: salvis tamen legibus codicis commercialis (2). Sed hic non est intentio legislatoris extinguendi ullo modo in conscientia ipsam obligationem e conventione ortam; verum denegandi tantum actionem ex defectu legalis demonstrationis, hoc scilicet sensu quod in casu litis non admittat pro hisce conventionibus probationem per testes sive præsumptiones (cf. art. 1353). Sed ideo non repellit alias demonstrationes legales, si quæ sint: ut confessionem (l'aveu) initi contractus ab altera parte coram tribunali factam, vel si ipsi juramentum deferatur de contractu, illaque jurare renuat se non contraxisse. Imo et testes et præsumptiones admittuntur si existat « un commencement de preuve par écrit ». Hæc proinde si actor præstare valuerit, etiam in foro externo contractus stabit. Interim certe obligat in conscientia, et est ille casus frequentis practice applicationis (3).

4/ Tandem, circa eosdem contractus pro quibus lex ad probationem tantum formalitates requirit, accidit ut illæ formæ insufficienter servatæ fuerint: sic v. g. ut *instrumentum* seu scriptura venditionis privatim factæ

---

(1) Generatim dico: nam quædam dantur exceptiones in quibus tum infra valorem 150 f. scriptura exigitur (art. 1715, 2044, 2085); tum contra in quibus supra hunc valorem non exigitur: « La preuve testimoniale est recevable au-dessus de 150 f., et sans limitation de sommes ou de valeurs, dans trois cas qui sont indiqués dans les art. 1347 et 1348: 1° s'il a été impossible de se procurer une preuve écrite de l'acte qu'on demande à établir; 2° si la preuve écrite qu'on s'était ménagée a péri par cas fortuit; 3° s'il existe un commencement de preuve par écrit ». PLANIOL, ibid., n. 1117.

(2) « En matière commerciale, tous les genres de preuves sont admissibles ». (*Cass. b.*, 16 Mars 1876; P., 1876, I, 185).

(3) Bene tamen notandum est ipsos contrahentes aliquando aliter inter se convenire, seu tali intentione contractum inire ut ille obligationem in foro conscientiæ non pariat nisi ad normam legis omnino perfectus vestitusque fuerit; tunc sane ipso jure naturæ decet omnis valor contractui nudo, seu debitis formalitatibus ad probationem destituto.

existat quidem, sed modo legaliter vitioso. Nam ex art. 1325 oportet ut scriptura privata, in contractibus synallagmaticis, duplici exemplari exaratur vel adhuc amplius, pro numero scilicet partium: et ex art. sequente specialis iterum imponitur forma instrumenti privati pro contractibus unilateralibus.

Jamvero lex, in his casibus, exclusive respicit instrumentum conventionis, illudque in casu vitii declarat nullum (1), sed nullatenus irritatione sua contractum ipsum attingit. Unde idem dicendum venit pro foro interno ac sub 3°: manere scilicet obligationem contractus totam in conscientia, quamvis ejus instrumentum post sententiam irritetur; imo et coram tribunali copiam manere supplendi alias probationes a lege admissas, ut confessionem et juramentum; vel et testes pro summa non excedente 150 f. aut etiam pro majore summa si simul inchoata demonstratio scripta ostendi valeat.

E. Hosten.

V.

De vicario œconomo.

Q. *Quænam sunt jura et obligationes vicarii œconomi?*

R. Vicarius œconomus ille est, qui *vacante* qualibet ex causa parœcia, ad hanc regendam deputatur, donec novus parochus constituatur. Dicitur etiam apud nos *deservitor*, alibi *administrator*.

I. **Jura** quæ ipsi competunt sunt vel *temporalia* vel *spiritualia*.

1° *Jura temporalia*. *a*) Vicarius œconomus non gaudet jure percipiendi omnes fructus beneficii, sed ei assignanda tantum est *portio congrua* fructuum pro honesta susten-

(1) Hæc tamen nullitas invocari non potest ab illis qui pro sua parte contractum hujusmodi jam exsecuti sunt vel illi exsecutioni partem sumpserunt.

tatione (can. 472, § 1). Hæc congrua taxatur « ratione habita, ait Benedictus XIII (1), reddituum et emolumentorum ecclesiæ parochialis... necnon inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris et quantitate impensarum, quam commissi officii necessitas postulaverit ».

Ceteri fructus beneficii vacantis, « deductis cujuslibet generis impensis, pro altera dimidia parte accrescunt doti beneficii vel massæ communi, pro altera parte cedunt fabricæ ecclesiæ seu sacrario, salva legitima consuetudine qua fructus omnes in bonum commune diœceseos erogentur » (can. 1481). Hæc juris communis præscriptio nostris regionibus haud applicanda est, cum loco fructuum beneficiorum venit pensio parochis a Gubernio soluta.

In Belgio juxta decretum regium 30 martii 1836, deservitoribus solvitur pensio titularium, a prima die mensis qui sequitur vacationem (2).

b) Præter hanc congruam portionem, deservitori competunt *oblationes* tum liberæ tum justitiæ, quæ tempore administrationis suæ, in parœcia fiunt.

2° *Jura spiritualia*. Principium est: vicarius œconomus iisdem juribus gaudet ac parochus, in iis quæ animarum curam spectant (can. 473, § 1).

a) Potiori jure dicitur jurisdictionem vicarii œconomi esse *ordinariam* (3). Etenim adnexa est ipso jure officio stricte dicto, objectiva stabilitate dotato, quod certis in adjunctis conferri debet (4). Ceteroquin ipse codex hanc sententiam egregie confirmat dicendo can. 873, § 1: « *ordinaria* jurisdictione ad confessiones excipiendas

---

(1) Const. *In supremo*, § 11, 23 sept. 1724.

(2) Gubernium solvit pro tribus prioribus mensibus integram pensionem vacantis officii, et pro sequentibus mensibus dimidiam partem, si œconomus jam aliunde pensionem a Gubernio obtinet.

(3) Cf. de hac controversia circa qualitatem jurisdictionis œconomi, De Meester, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, t. II, n. 869.

(4) Cf. De Meester, *o. c.*, t. I, n. 394.

potiuntur... parochus aliique qui loco parochi sunt ». Jamvero ex can. 451, § 2, loco parochi veniunt *vicarii parœciales* si plena potestate parœciali præditi sunt; inter quos recensendi sunt *vicarii œconomi* (1).

b) Proinde vi muneris habent vicarii œconomi potestatem audiendi confessiones quin ulteriori delegatione Ordinarii loci indigeant; valide etiam intra limites sui territorii matrimonio assistunt.

c) Vicarius œconomus administrat etiam ordinarie temporalia ecclesiæ vacantis sibi commissæ, quod præterea codex ipse clare innuit (2).

d) Attamen cum potestas sua indole sit transitoria et provisoria, « nihil ipsi agere in parœcia licet, quod præjudicium afferre possit juribus parochi aut beneficii parœcialis » (can. 473, § 1).

II. **Obligationes.** Sicut quoad jura ita quoad obligationes parochis æquiparantur vicarii œconomi (can. 473, § 1). Tenentur enim et ipsi celebrare pro grege (3), populum pascere prædicatione et sacramentorum administratione, in parochia residere (4), etc.

Cessante munere, tenetur vicarius œconomus novo parocho vel œconomo successori, coram vicario foraneo vel alio sacerdote ab Ordinario designando, tradere clavem archivi et inventarium librorum ac documentorum aliarumque rerum quæ ad parœciam pertinent et rationem reddere accepti et expensi tempore administrationis (can. 473, § 2).

A. De Meester.

---

(1) In eumdem sensum scripserunt Vermeersch-Creusen, *Epitome jur. can.*, t. I, n. 422, Mechliniæ, 1921; *Rev. ecclés. de Metz*, 1922, t. XXIX, p. 283 ss.; Fanfani, *De jure parochorum*, n. 433, Taurini, 1923.

(2) Cf. can. 473, § 1 et § 2. Cf. *Rev. ecclés. de Metz*, 1921, t. XXVIII, p. 469.

(3) Si plures parœcias tempore vacationis regit œconomus, unam tantum missam pro populis sibi commissis debet applicare (can. 466, 473), resp. Commis. ad interpret. can. cod., 14 jul. 1922, ad VI, *Act. Apost. Sed.*, t. XIV, p. 526 s.

(4) At si jam possidet aliam parœciam regendam, ab hac obligatione in parœcia vacanti, cujus est deservitor, dispensatur. Cf. *Nouv. rev. théol.*, t. XXVIII, p. 254; *Rev. ecclés. de Metz*, *l. c.*, p. 469.

VI.

De octava Patroni loci.

Q. *Confice ordinem octavæ Patroni loci, notando præcipuas regulas applicandas.*

R. « Festa patronorum principalium [loci, h. e.] oppidi vel civitatis, diœcesis, provinciæ et nationis, clerus sæcularis et regularis ibi degens et kalendarium diœcesanum sequens, sub ritu duplici I classis cum octava celebrabit... » (Miss. *Add. et Var.*, IX, 3).

Enumeratur autem hæc octava inter octavas communes.

Quoad regulas et modum hanc celebrandi, distinguamus : I. ipsum festum ; II. dies infra octavam ; III. diem octavam.

I. Ipsum festum patroni principalis loci.

Est duplex I classis (1); quum celebretur cum octava præstat omnibus dup. I classis quæ non gaudent octava, « cauto semper quod festa duplicia I classis primaria universalis Ecclesiæ præferuntur cuilibet festo particulari, et quod festa Dedicationis et tituli ecclesiæ propriæ et patroni principalis loci, necnon tituli et Sancti fundatoris Ordinis seu Congregationis cedunt tantummodo prædictis duplicibus I classis [primariis] universalis Ecclesiæ » (2).

Venit inter festa *primaria* adeoque præfertur duplici I classis secundario, notatim festo SS. Cordis Jesu. — Est festum, non Domini, sed *Sancti*, nempe B. Mariæ Virginis, Angelorum, aut alicujus Sancti canonizati (3). — Non est festum universalis Ecclesiæ (qua festum Patroni), sed

(1) Etiamsi in calendario universali vel diœcesano sit inferioris ritus.

(2) Breviarii *Additiones et Variationes*, tit. II, n. 1.

(3) Quia persona divina aut mysterium aliquod potest quidem esse titulus ecclesiæ, non autem *patronus loci*.

particulare et *vere proprium* loco cujus Sanctus est patronus seu apud Deum intercessor peculiaris (1).

Impeditur igitur festum patroni tantum si occurrat :

1/ *Dominica* major I classis : 1ª Adventus, dominicæ a prima Quadragesimæ ad dominicam in albis, dominica Pentecostes (*Duæ Tabellæ*).

2/ *Feria* privilegiata (fer. IV Cinerum, fer. II, III, IV hebdomadæ Majoris), *vigilia* privilegiata I classis (Nativit. Dni et Pentecostes), tota *octava* privilegiata I ordinis (Paschatis et Pentecostes), aut dies octava II ordinis (Epiph. et Corporis Christi) (*Duæ Tabellæ*).

3/ *Festum* duplex I classis primarium universalis Ecclesiæ: vide in limine Breviarii (*Duæ Tabellæ*) eorum elenchum, usque ad : Festum Omnium Sanctorum inclusive.

4/ *Circumcisio Domini*, dupl. II clas., quæ « præfertur in occurrentia cuilibet festo etiam duplici I classis » (2).

5/ *Commemoratio omnium fidelium defunctorum* quæ « excludit tum festa occurrentia tum festa transferenda cujusvis ritus. Si tamen inciderit in Dominicam, iisdem cum juribus in sequenti feria secunda celebratur, translato (3), vel penitus omisso, juxta rubricas, quolibet alio festo » (4).

Alias ipsum Patroni festum semper sua die agitur (5). Et si simul occurrat aliud festum dupl. I classis minus nobile, vel dupl. II classis, h c transfertur in primam diem liberam juxta rubricas.

---

(1) Si Patronus loci « descriptus sit in calendario cum aliis Sanctis », ut S. Cornelius cum S. Cypriano, quid agendum sit vide Brev. *Addit. et Var.*, IX, 4.

(2) *Notanda in Tabellas*, n. 13.

(3) V. g. si S. Hubertus sit patronus et dies 2 Novembris sit Dominica, Commem. omn. fid. defunct. agitur feria II, 3 Nov., festum vero S. Huberti 4 Nov.

(4) Rubr. nova Breviar. ad diem 2 Nov., ex decr. S. R.C. 10 Mart. 1917.

(5) Festum Patroni, quia celebratur cum feriatione in populo, præfertur ceteris festis particularibus dupl. I classis, notatim dedicationi ejusve anniversario ecclesiæ propriæ vel cathedralis (v. g. ubi S. Margarita VgMr. est patrona loci) et festo Titularis ecclesiæ propriæ vel cathedralis.

Si festum patroni impediatur, debet transferri « in proximiorem insequentem diem quæ libera sit ab alio festo duplici I vel II classis, a Dominica occurrenti, a vigilia privilegiata, et ab aliis officiis quæ hujusmodi festa respective excludunt » (1).

Quodsi ipsum festum ita accidentaliter sit transferendum, sedulo animadvertendum est diem octavam et octavam integram non transferri, sed agendam — post festum translatum — ac si festum non fuisset translatum (2).

Si v. g. festum S. Bonifatii patroni occurrat in die octava SS. Corporis Christi, transfertur in diem sabbati post festum SS. Cordis : dies dominica habebitur ut dies *quarta* infra octavam, et dies octava agenda erit feria quinta, non sabbato.

Sunt quædam tempora quibus Ecclesia adeo occupatur celebrandis præcipuis mysteriis anni liturgici ut prorsus excludat octavas his mysteriis extraneas ecclesiis particularibus proprias. Unde « de octavis quæ non sunt in breviario romano [v. g. patroni loci] nihil fit: *a*/ a die 17 decembris ad vigiliam Nativitatis Domini; *b*/ a feria IV Cinerum ad Dominicam *in albis; c* a vigilia Pentecostes ad festum SS. Trinitatis, semper inclusive » (3).

Unde, si festum Patroni occurrat paucis diebus *ante* tempus prohibitum, de octava jam *nihil* fit post Vesperas et Completorium quæ immediate præcedunt tempus prohibitum v. g. feriam IV Cinerum (4). — Si autem festum occurrat et celebretur ultimis diebus *in* tempore prohibito, notatim a 19 ad 23 decembris, de octava nihil fit durante tempore prohibito, sed hoc elapso, reviviscit octava et de ultimis ejus diebus fit juxta rubricas (5). — Si tandem ipsum festum transferri debet *post* tempus prohibitum, agendum ut supra diximus de translatione festi cum octava.

---

(1) Breviarii *Addit. et Variationes*, t. IV, n. 3.

(2) Brevairii *Addit. et Variat.*, IV, 8.

(3) Ibid. III, 5.

(4) Breviarii *Rubr. Gen.* VII, 1. Si ultima dies non impedita esset dies septima, Vesperæ, vel commemoratio de octava essent faciendæ de septima die, ut ex *secundis* Vesperis festi.

(5) P. Piacenza, *Regulæ pro recitando divino officio*, n. 82; Decr. S. R. C.

Officium festi persolvitur ad normam officii « excepti », prout assignatur vel in Breviario vel in Proprio Diœceseos vel Instituti, sumendo omnia, etiam lectiones (1) et responsoria quæ ibi non sunt propria, de communi. Nona lectio historica nulla est facienda sed tantum de homilia Dominicæ (minoris aut majoris II classis) aut feriæ majoris habentis missam propriam, aut vigiliæ.

In I Vesperis fit commemoratio præcedentis Dominicæ cujusvis (2) non anticipatæ, octavæ privilegiatæ, aut duplicis I classis minus nobilis (3) aut II classis, aut feriæ Adventus aut Quadragesimæ (4).

Ad Laudes fit commemoratio de Dominica etiam anticipata, de octava privilegiata, de vigilia Epiphaniæ et de feria majori, necnon de festo duplici sive minori sive majori aut semi-duplici (Brev. *Add. et Var.* VII, I; *Notanda post Tabellæ*, n. 5).

In II Vesperis fit commemoratio *sequentis* etiam impediti, Dominicæ etiam anticipatæ aut festi cujusvis, nisi sit de octava aut festi simplicis ; dein commemoratio *occurrentis* Dominicæ non anticipatæ, aut feriæ majoris non vero festi dupl. aut semid. (Brev. *Add. et Var.*, VII, I).

In missa fiunt *commemorationes* eædem ac supra in Laudibus, sed de festis simplificatis fit commemoratio in missis privatis tantum. Dicitur *Credo* per totam octavam tam in missis de octava quam in missis festivis ritus non simplicis. Si festum gaudeat *præfatione* propria, hæc dicenda est in omnibus missis de festo, et etiam in omnibus missis de octava, nisi missa gaudens propria præfa-

---

(1) Si inde omittendum esset hac die alicujus libri initium, hoc sequenti die libera legendum esset cum suis responsoriis.

(2) Etiamsi esset Dominica privilegiata I classis, faciendæ essent primæ Vesperæ de festo, cum sola commemoratione Dominicæ (Brev. *Add. et Var.*, VI, I).

(3) Si die præcedente occurreret unum ex festis supra sub n. 3-4 enumeratis, hujus celebrandæ essent II Vesperæ cum com. sequentis festi Patroni.

(4) Brev. *Add. et Var.*, VII, I.

tione (v. g. Dominicæ) aut celebretur aut saltem commemoretur ante commemorationem octavæ.

II. Dies infra octavam.

Sex illi dies sunt minoris nobilitatis, quia sunt extensio tantum ipsius festi. Quare merito statutum est : *a*/ ut officium eorum sit celebrandum ad modum officii « ordinarii » (infrà p. 382) ; *b*/ sunt ritus semiduplicis et quidem inferioris ordinis, adeo ut debeant cedere omni alio officio semiduplici.

Impeditur officium diei infra octavam cum missa ipsius festi, quoties occurit :

1/ *festum dupl. I aut II classis.* In hoc nulla est facienda commemoratio octavæ in missa aut officio. In missa tamen inclinandum est caput ad nomen Patroni, si hic nominatur in canone (v. g. S. Laurentii) ; in officio adhibetur doxologia forte propria (puta B. Mar. Virg.) si festum occurrens non gaudeat doxologia sibi propria.

2/ *festum duplex aut semiduplex :* in quo facienda est commemoratio octavæ in missa, Laudibus et Vesperis, post commemorationem festi duplicis aut semiduplicis simplificati forte occurrentis, sed ante commemorationem vigiliæ communis aut feriæ majoris aut festi simplicis, si occurrat.

3/ *dies dominica* (aut officium dominicæ anticipatæ) : de qua fit a Vesperis die sabbati et tota die dominica, cum commemoratione octavæ ut sub 2°. Notandum quod in missa Dominicæ omittitur oratio communis pro tempore assignata ; præfatio erit de Dominica h. e. de SS. Trinitate vel de Tempore (1) ; in officio omittitur symbolum *Quicumque.*

4/ *dies infra octavam festi nobilioris.* Ex. gr. infra octavam S. Nicolai patroni, diebus 9 et 10 Decembris officium et missa erunt de octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. cum commemoratione octavæ S. Nicolai et feriæ.

---

(1) Cf. C. Callewaert, *Cæremoniale*, n. 128, not. 22.

5/ *vigilia privilegiata :* de qua fit officium et missa cum commemoratione octavæ et aliis commemorationibus forte occcurrentibus.

Si autem occurat *vigilia communis*, feria quatuor Temporum aut feria II Rogationum, officium quidem debet esse de die infra octavam cum commemoratione vigiliæ aut feriæ, missa vero regulariter erit de vigilia aut de feria (1) (quia habent missam propriam), sed juxta novas Missalis rubricas, missæ privatæ possunt etiam esse de octava cum commemoratione vigiliæ aut feriæ (2).

Faciendum erit officium de die infra octavam quoties in calendario diœcesano indicatur officium :

a/ de feria non privilegiata,

b/ de festo simplici,

c/ de die octava simplici festi dupl. II classis.

Item missa erit de octava, cum restrictione tamen facta sub 5/.

Ad **ordinandum officium** « infra octavam » nota :

Est officium festi sed quod recitatur ad modum officii « *ordinarii* » : « antiphonæ et psalmi ad omnes horas et versus nocturnorum dicantur de occurrente hebdomadæ die », cetera vero (initium Matutini, et a capitulo ad Laudes, Vesperas et Parvas Horas) ut in die festi.

Lectiones I nocturni sunt de scriptura occurrente, cum suis responsoriis de tempore ; si essent propriæ, dicendæ essent, cum suis responsoriis ; si, v. g. in feriis IV Temporum vel feria II Rogationum deficiant, et non sint resumendæ quæ omittendæ sunt alia hebdomadæ die (3), sumantur lectiones de communi cum respectivis responsoriis. — In II nocturno, convenientius sumuntur ex Octavario romano (4), secus dicantur lectiones de com-

(1) Miss. *Rubr. Gen.*, III, 2.

(2) Missalis *Add. et Variat.*, I, 1.

(3) Si festum Patroni celebretur v. g. feria II hebdomadæ IV Temporum, lectiones feriæ III recitentur feria III cum responsoriis feriæ III; et lectiones feriæ II recitentur feria IV cum responsoriis feriæ IV.

(4) Est liber auctoritate S. Cong. Rituum editus, continens « lectiones II et III nocturni singulis diebus recitandas infra octavas titularium, vel tutelarium ecclesiarum aut patronorum locorum ».

muni Sanctorum, et quidem, ad varietatem, alternatim ex primo et secundo loco, cum responsoriis de festo (1), vel de communi. — In III nocturno etiam sumantur de Octavario vel de communi, et varientur, si plures præsto sint, sed semper de eodem evangelio festi (2).

Omittuntur preces, suffragium et symbolum *Quicumque*. Si festum habeat versum proprium ad Primam, idem dicitur etiam infra octavam, et quidem in officio festorum occurrentium, qui versu proprio carent.

In vesperis sedulo servandæ sunt regulæ de concurrentia (vide Tabellam concurrentiæ in limine Breviarii). Nota autem in concursu duorum officiorum ejusdem ritus et objecti vesperas esse de præcedenti sine commemoratione sequentis (D. 2514), nisi præcedens sit simplificatum et sequens habeat officium integrum. Unde : *a*/ de die festi agendæ erunt Vesperæ et primæ et secundæ ; *b*/ diebus infra octavam, generatim Vesperæ aut earum commemoratio desumendæ erunt ex II Vesperis festi; si tamen hodie celebretur festum novem lectionum in quo commemoratur dumtaxat octava et crastina die faciendum sit officium integrum octavæ, in Vesperis commemoratio erit ex I Vesperis festi. *c*/ Similiter die septima: erunt enim Vesperæ primæ diei octavæ quæ est duplex majus; nisi tamen officium diei septimæ fuerit integrum et officium diei octavæ sit ad modum simplicis redactum ob occurrentiam officii nobilioris (Brev. *Add. et Var.* VII. 3).

Ad **Missam**, repetitur missa festi (3), cum *Gloria* et *Credo* et præfatione festi (4), et tribus saltem orationi-

---

(1) V. g. S. Martini Thaumaturgi.

(2) Decr. S. R. C. 16 jun. 1922, ad I; ap. *Collat. Brugen.*, supra p. 70 et 73. « Sed, quando non habeantur lectiones de homilia festi, tam infra octavam, quam in die octava, lectiones III nocturni dicuntur ut in festo » (Brev. *Add. et Var.*, I, 7).

(3) Si festum Patroni incidat in dominicam, missa hujus dominicæ impeditæ resumenda erit prima die qua occurrit officium de infra octavam. Cf. supra p. 67.

(4) Si est præfatio communis vel de tempore Paschali, aut Nativitatis (2-4 Jan.) vel feria VI post Oct. Ascens., et esset facienda commemoratio missæ habentis præfationem propriam, hæc dicenda esset; v.g. die

bus, non computatis orationibus votivis late dictis (1).

Orationum *prima* erit de octava, h. e. oratio festi. Deinde *commemorationes speciales*, nempe vigiliæ communis, feriæ majoris non privilegiatæ (v. g. in adventu) vel diei octavæ simplicis, aut festi simplicis si occurrant (ordine quo indicantur in calendario). Si nulla commemoratio est dicenda, addi debent ambæ *orationes communes pro tempore octavæ assignatæ ;* si vero unica adsit commemoratio specialis, sola prima ex orationibus pro tempore assignatis addenda erit pro tertia oratione. Tandem addendæ sunt orationes votivæ late dictæ, notatim imperata, quæ tamen omitti debet, si jam quatuor dictæ sint orationes.

Sedulo heic notandum orationes communes non esse illas quæ in calendario indicantur sed esse assignatas specialiter pro octavis, nempe pro missis ritus semiduplicis quæ sint de octava, vel in quibus « de octava fiat saltem commemoratio » (2) :

a/ prima est de B. Marg. Virg. : generatim est oratio *Concede nos ;* tempore Adventus, oratio *Deus qui beatæ;* a Nativitate Dni ad diem 2 februarii inclusive, oratio *Deus qui salutis*. Si tamen octava ipsa est alicujus festi B. Marg. Virg. — ne bis dicatur de eadem — oratio erit de Spiritu Sancto, *Deus qui corda*.

b/ altera est contra persecutores Ecclesiæ, oratio *Ecclesiæ*, vel pro Papa, *Deus omnium fidelium ;* quarum alterutra libere eligi potest, sed non semper eadem eligi convenit. Si eligatur oratio communis pro Papa, eo ipso satisfit præcepto recitandi imperatam pro Papa.

Per totam octavam impeditur oratio *Fidelium*, quæ forte in calendario diœcesano assignatur (ut fieri potest v. g. in festo S. Blasii) : si injuncta sit ratione feriæ II liberæ, simpliciter omittatur ; si autem præscripta sit ratione primæ feriæ liberæ in mense, dicenda erit post

---

3 Jan. in missa de octava S. Silvestri esset dicenda præfatio de Apostolis.

(1) Cf. C. Callewaert, *Cæremoniale*, n. 158 ss.

(2) Cf. Missalis *Additiones et Variationes*, t. VI, n. 4.

octavam, prima feria quæ adhuc libera erit in eodem mense (1).

III. Dies octava.

Est duplex majus et quidem altioris gradus ita ut « præferatur omnibus duplicibus quæ non sunt I aut II classis ».

Impeditur ergo — tam in concurrentia quam in occurrentia — solummodo si occurrat :

1/ duplex I classis : et in hoc nihil fit de die octava, si sit festum primarium Domini universalis Ecclesiæ ; secus fit com. diei octavæ in Laudibus et missis privatis tantum (Brev. *Add. et Var.*, VII, 1).

2/ duplex II classis : in quo facienda est com. diei octavæ in utrisque Vesperis, in Laudibus et Missa (2).

3/ *Dominica* (3) major aut minor (non anticipata), *vigilia* Epiphaniæ, aut *dies octava* festi I classis nobilioris.

« Dies octava cujusvis festi accidentaliter impediti [aut ipsa impedita] *non transfertur*, sed sua die celebratur aut omittitur juxta rubricas » (Brev. *Add. et Var.*, IV, 8).

Celebratur ad tramitem officii ordinarii (cf. suprà p. 382).

In I Vesperis post psalmos de currente die, fit ut in I Vesperis festi — nisi quædam propria habeantur — cum commemoratione officii præcedentis, nisi sit de octava (4), aliisque commemorationibus in calendario notatis.

Ad Matutinum, lectiones, nisi sint propriæ, sumuntur : in I nocturno de scriptura occurrente cum responsoriis

---

(1) Qua de re cf. ibid. t. III, nn. 2-3; *Collat. Brugen.*, XXI (1921), 64 s.

(2) De die octava nunquam fit lectio nona in alio officio.

(3) Si in die octava Patroni aliquod festum Domini est recolendum ad instar simplicis (v. g. festum Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli, 18 Novembris, in die octava S. Martini), et occurrat in Dominicam (ut anno 1923), videtur dicendum, loco officii Dominicæ, officium præfati festi Domini (Dedicationis) cum commemoratione Dominicæ et diei octavæ.

(4) Quum dies septima infra octavam sit ritus semiduplicis, dies autem octava sit duplex majus, necessario faciendæ Vesperæ de die octava; et quidem sine commemoratione diei septimæ quia non fit bis de eodem. Cf. supra p. 383, *c*.

de tempore (qua deficiente, ut in festo) ; in II et III nocturno, ex Octavario, et in ejus defectu, ut in festo (1), cum responsoriis de proprio vel de communi.

Ad Laudes fiunt commemorationes duplicis aut semiduplicis simplificati, alterius octavæ occurrentis, vigiliæ, feriæ majoris et simplicis, quæ in calendario notantur.

Ad II Vesperas, ut in II Vesp. festi, fit commemoratio officii sequentis (nisi sit de feria communi) et officiorum quæ indicantur in Calendario diœcesano.

In Missa, ut in die festo (nisi sit propria), fiunt commemorationes ut in Laudibus.

C. Callewaert.

(1) Rubrica ante Proprium Sanctorum.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis julii propositas.

—

I.

In Matthæum, XI, 25-27.

Q. *Interpretare effatum Jesu relatum apud* Matth., *XI, 25-27, ejusque vim demonstrativam in divinitatem Jesu determina.*

R. I. **Interpretatio.**

Celebre effatum Jesu quod invenitur apud *Mt.*, XI, 25-27, refertur etiam apud *Lc.*, X, 21-22. Apud *Lc.* quidem legitur post reditum discipulorum quos miserat ad prædicandum, et paucis vv. post maledictionem Jesu in civitates incredulas (vv. 12-15); apud *Mt.* vero immediate sequitur post hanc eamdem maledictionem et generalius loquendo, post eum sermonem in quo Jesus ostendit majorem partem Judæorum renuisse in regnum messianicum ingredi (XI, 2-24). Non conveniunt interpretes quisnam evangelista verba hæc in suo historico contextu retulerit; neque habet hæc quæstio ad intentum nostrum magnum momentum; ex dicendis enim apparebit hanc Jesu sententiam optime in contextum quadrare, nec immerito dici potest Matthæum ideo præcise hunc contextum elegisse.

Obvius enim est *contextus loci.* In præcedentibus, inde a v. 7 (cfr etiam v. 6), egerat Jesus, primo generali modo (vv. 7-19), deinde modo magis determinato (vv. 20-24) contra eos Judæos qui superbia sua ducti regno messianico adhærere recusabant (1); nunc autem, vv. 25-27, exaltat

(1) Vide supra, pp. 360.

Dei admirabilem Providentiam dum superbis mundi denegat gratiam fidei, quam largitur humilibus et simplicibus; unde, per modum conclusionis sequetur, vv. 28-30, instans Jesu invitatio ad eos qui laborant et onerati sunt ut ad se, benignissimum magistrum accedant, suumque regimen et doctrinam suscipiant. His præmissis, textum interpretamur.

Vers. 25. — *Confiteor tibi*, i. e. laudo te, exalto te (1). — *Pater:* Jesus Deum vocat Patrem simpliciter, proprio sensu, quatenus ut ex dicendis patebit ipse in divinitate consubstantialis est illi. — *Domine cœli et terræ:* cujus additionis hæc videtur posse assignari ratio, quia in contextu in lucem ponitur dispositio quædam divinæ Providentiæ, quasi nimirum diceret Jesus; Tu, Pater, qui in providentia tua omnia, cœlum nempe et terram, regis et gubernas, etiam hanc distributionem gratiæ tuæ ordinasti ut superbis recusares, humilibus dares fidem. — *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* Sapientes, σοφοί, et *prudentes*, συνετοί seu intelligentes vocantur ii de quibus in superioribus dictum est, Pharisæi nempe et Scribæ (2), qui, — calleant quadam sapientia necne, parum refert, — sibi sapientes videntur, adeo nimirum ut doctrina et institutione Jesu indigere sibi non videantur; — *parvuli* vero, νήπιοι, etym. infantes, nondum valentes loqui, ii sunt qui sicut parvuli nihil de se præsumunt et facile doceri se sinunt. — *Hæc*, ταῦτα et αὐτα, ea sunt quæ in præcedentibus superbi illi rejecerunt, ea quæ in sequentibus Jesus dicit se revelare; est ergo doctrina a Jesu proposita, sunt mysteria salutis. Hæc Deus dicitur *abscondere* superbis, quatenus nempe — ut alibi explicatur — non tantum *permittit* eos lumen veritatis a se repellere, sed imo, in punitionem superbiæ et primæ resistentiæ, concesserit quidem auxilia *sufficientia*

---

(1) *Confiteor*, ἐξομολογοῦμαι, hîc occurrit eo sensu quo sæpe in versione LXX et in Vulg. Veteris Testamenti.

(2) Cfr *Lc.*, XVII, 29 s.

quibus ad fidem pervenire potuissent, sed denegaverit eis auxilia *abundantiora* et efficacia quibus ad fidem certe devenissent. — Eadem mysteria Deus *revelat* parvulis, quatenus non tantum eis dat auribus percipere doctrinam Jesu, sed insuper gratia sua interna efficaciter eos ad fidem in eamdem adducit. De hac præelectione parvulorum, cfr *I Cor.*, I et III.

Vers. 26 est brevis dictorum repetitio : *Ita, Pater*, utique, Pater, laudo te, *quoniam sic fuit placitum ante te*, quia providentiæ tuæ placuit sic gratiam fidei distribuere (1).

Vers. 27 est maximi momenti. In eo Jesus jam non Patrem, sed auditores suos alloquitur. In præcedentibus, vv. 25 s., dixerat Patrem mysteria salutis revelare; hîc vero dicit Patrem hanc revelationem non facere quasi immediate et per seipsum, sed per intermedium Jesum : *Omnia mihi tradita sunt a Patre : omnia*, i. e. mysteria illa fidei, *tradita sunt* Jesu : ipse Jesus, ipseque solus ea revelare valet (2). — Exinde sequitur quod a Jesu subjungitur : Et ideo *nemo* mysteria illa salutis *novit* nisi ille *cui voluerit* Jesus *revelare ;* — unde concludet in vv. 28 ss., compellando auditores suos humiles : Siquidem ego unicus revelator sum a Patre constitutus, *venite* ergo *ad me..., tollite jugum meum super vos* (3).... *discite a me...* —

---

(1) Aestimant quidam Jesum Deum laudare non de absconsione fidei quæ fit superbis, sed de sola revelatione quæ fit parvulis, verbaque Jesu sic audiunt : Laudo te quia, dum abscondis fidem superbis, eam revelas parvulis. — Ast, si justum est Deo superbis fidem abscondere — sensu explicato —, nonne jure gaudet Jesus etiam de hac dispositione Providentiæ divinæ ?

(2) Nihil impedit, contra suademur admittere Jesum hæc verba : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* sensu multo generaliori intellexisse, ut puta : non sola revelatio fidei, sed universum negotium salutis mihi fuit concreditum, — vel imo : Pater mihi, Filio suo consubstantiali sibi, suam ipsam naturam divinam transmisit, et homini facto commisit universam œconomiam salutis. — Ast hi ulteriores sensus ægre ex progressu logico hujus pericopæ demonstrarentur exigi.

(3) *Tollere jugum alicujus* expressio erat rabbinis usitata pro : accipere auctoritatem et doctrinam alicujus.

Sed an Jesus habet cognitionem de illis mysteriis divinis? Certe, et ipse quidem solus; etenim ipse novit Patrem, et quidem ipse solus: *nemo Patrem novit, nisi Filius;* et hæc cognitio Jesu de Deo est perfecta (1): etenim cognitioni quam ipse habet de Deo juxtaponit Jesus et æquiparat cognitionem quam Pater habet de ipso: sicut *nemo novit Filium, nisi Pater*, sic quoque *nemo Patrem novit, nisi Filius.*

II. **Divinitas Jesu.**

Ut determinetur hujus textus vis demonstrativa in favorem divinitatis Jesu, duæ quæstiones essent tractandæ: Prior quæstio hæc esset: num Jesus vere hoc effatum edixerit; et hæc ipsa quæstio a duobus penderet: *a*/ num textus ille pertineat ad textum authenticum primi evangelii, seu num auctor hujus evangelii etiam hunc textum scripserit; *b*/ num idem effatum fuerit prolatum a Jesu, seu num auctor primi evangelii, ubi affirmat Jesum illud dixisse, gaudeat auctoritate historica. — Iis examinandis supersedemus, illud tantum notantes utrumque tum historice, tum dogmatice (spectata nimirum inspiratione evangeliorum) ut indubium demonstrari, et nonnisi argumentis labilibus illudque ex præjudicatis opinionibus a nonnullis rationalistis in dubium revocari (2).

Altera quæstio hæc est: num illud effatum divinitatem Jesu importet. — Et etiam hæc quæstio sine ullo dubio in sensum affirmativum est solvenda. Etenim:

a/ Affirmat Jesus solum Patrem cognoscere Filium, i. e. Jesum; unde ad cognoscendum Jesum, seu ut clarius dicit *Lucas*, x, 21, ad sciendum *quis sit* Jesus seu naturam ipsius, requiritur scientia Patris, scientia divina; quod falsum esset nisi Jesus etiam ipse esset Deus;

---

(1) De cognitione *perfecta* agi quidam desumunt etiam ex forma composita verbi græci: ἐπι-γινώσκει; alii tamen (Lagrange, in *h. l.*) censent verbum illud ad usum communem pertinuisse eodem sensu ac forma simplex γινώσκει.

(2) Cfr Van Crombrugghe, *Tract. de Verbo incarnato*, pp. 8 ss.; — *Collat. Gand.*, II, pp. 108 ss.; — Tobac, *Vie diocésaine*, pp. 160 s. — Lagrange in h. l. *Mt.* et *Lc.*

b/ Affirmat ad cognoscendum Patrem requiri scientiam Filii, i. e. Jesu: Jesus ergo solus capax est ad cognoscendum quis sit Pater; quod falsum esset nisi Jesus haberet cognitionem divinam, adeoque ipse esset Deus.

c/ Cæteroquin natura et scientia Filii ponuntur in perfecto parallelismo cum natura et scientia Patris, adeoque qua æquivalentes exhibentur (1).

d/ Addi potest Jesum Deum vocare *Patrem* simpliciter, seipsum *Filium* simpliciter; qui modus loquendi jam per se importat singularem relationem Deum inter et Jesum vigentem, qualis non viget Deum inter et alium quemlibet hominem; eum autem modum loquendi importare paternitatem et filiationem proprie dictam, in divina nimirum natura, ex præcedentibus desumitur.

e/ Textum nostrum præbere argumentum in favorem divinitatis Jesu desumi potest etiam ex modo agendi auctorum acatholicorum: alii enim ingenue agnoscentes, textum de divinitate Jesu esse intelligendum, omni conatu allaborant ut textum nostrum vel qua non authenticum, vel qua non prolatum a Jesu explodant (ita Loisy); alii vero, authentia admissa, ad contortas et violentas explicationes refugere coguntur ut divinitate Jesu textum evacuent (ita Harmack) (2).

Ex dictis apparet hoc Jesu effatum apud synopticos relatum perfecte convenire cum pluribus Jesu effatis qualia apud Joannem referuntur, adeoque inanem esse clamorem rationalistarum qui contendunt alium Christum a synopticis, alium a Joanne describi et ab hoc solo eum divina natura præditum annuntiari (3).

A. Vander Heeren.

---

(1) Ne ergo dicatur forte agi de Jesu ut Messia cujus dignitatem messianicam solus Deus intelligit et qui vicissim, sicut nullus alius, Deum cognoscit. — In hac enim explicatione pessumdaretur omnino parallelismus quo duo membra v. 27 juxtaponuntur: scientia Patris de Filio est sane infinite perfecta, dum scientia quam Messias-homo habet de Deo est necessario finita et imperfecta.

(2) Cfr Van Crombrugghe, *ll. cc.*

(3) Knabenbauer, *in Matthæum, h. l.*

II.

De mediis traditionis conservandæ.

Q. *Explica hanc propositionem : medium princeps ad traditionem conservandam est magisterium Ecclesiæ vivum et perenne.*

R. Ex præcedentibus responsis sequitur, præter s. Scripturam seu verbum Dei divinitus scriptum, existere traditionem oralem seu verbum Dei non divinitus scriptum sed oretenus transmissum, et hæc *traditio oralis*, ut ex argumentis ibidem allatis patet, *apud magisterium Ecclesiæ* quæri debet (1).

Ex hisce igitur satis constat de veritate hujus propositionis, quæ nunc ulterius explanari debet. Quoniam protestantes eamdem impugnant, explicationem per modum responsionis ad difficultatem proponemus.

Adversarii revera contendunt traditionem oralem, quam primitus exstitisse negare nequeunt, mox periisse, ubi Scriptura completa fuit, ita ut postquam morte apostolorum charisma revelationis cessaverit, solum verbum Dei divinitus scriptum fons fidus totius revelationis remanserit (2).

Ratio præcipua quam invocant hæc est: traditio oretenus transmissa corruptioni nimis obnoxia videtur quam ut tuto conservari et ad nos usque pervenire potuerit (3).

Jam autem hæc ratio nullum habet valorem. Et enim :

1/ Morte apostolorum desiit utique charisma revelationis, non autem charisma infallibilitatis, uti in tractatu de Ecclesia probatur; aliis verbis, existit et semper erit *magisterium* ecclesiasticum *infallibilitate donatum* et hæc

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 299 s. et p. 364 s.

(2) Vide supra, p. 273 s., expositam controversiam de traditione.

(3) Cfr Van Noort, *De fontibus revelationis*, n. 152, p. 121 s.; Schiffini, *o. c.*, n. 208, p. 558 s.

infallibilitas *absolute spondet* pro tuta conservatione, sine ulla corruptione, totius depositi (1).

2/ Infallibilitate etiam missa, id est, præcisione facta ab auctoritate dogmatica traditionis, rem mere historice considerantes addimus: hoc idem *magisterium*, *spectatum etiam uti medium mere humanum*, adhuc esset medium *moraliter tutum* ad traditionem sancte custodiendam.

Et reipsa cum, apostolis paulatim defunctis, ecclesiæ ab ipsis fundatæ item paulatim transierunt in successiones sequentes, hæc successio minime fiebat ita ut una generatio repente sublata, altera in ejus locum subintraret, sed hæc illi sensim inserebatur. Pastores primæ, secundæ et tertiæ generationis, viri ceteroquin ætate, virtute ac doctrina conspicui, traditionis venerabundi atque mutuo commercio, tum inter se, tum cum ecclesia romana quam intime conjuncti, continua revera serie sese ita excipiebant ut aliquo tempore coævi viverent (2).

Hoc assertum egregie illustrant verba s. Irenæi, episcopi lugdunensis in Gallia, qui ex Asia oriundus et Romæ aliquando versatus, diem supremum obiit tertio sæculo ineunte et præclarum conscripsit opus « Adversus hæreses » secundo sæculo exeunte: « Et Polycarpus autem, non solum ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex iis qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis ecclesia, constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate (multum enim perseveravit, et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita), hæc docuit semper quæ ab apostolis didicerat, quæ et ecclesiæ tradidit, et sola sunt vera. Testimonium his

---

(1) Pastores Ecclesiæ donati fuere infallibilitate ut integrum depositum revelationis, sive divinitus scriptum, sive oraliter transmissum, « sancte custodirent », uti docet *Conc. vatic.*, sess. IV, *Const. dogm. de Eccl. Christi*, cap. 4 (*Enchir.*, n. 1836); in hac disputatione de traditione orali, hanc unam consideramus.

(2) Cfr Schiffini, *o. c.*, p. 561.

perhibent quæ sunt in Asia ecclesiæ omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo » (1).

3/ Huic magisterio ecclesiastico *varia præterea* præsto semper fuerunt *subsidia* ad traditionem oralem fideliter conservandam.

a, Imprimis prædicationi episcopatus catholici respondit semper *fides communis fidelium*, pariter infallibilis, scil. in credendo, uti in tractatu de Ecclesia adhuc conficitur.

Hæc porro fides erat *medium subsidiarium*, utpote a prædicatione magisterii dependens, sed aptissimum simul ut in eo, tum quotidiana professione, tum vita et moribus christianis, depositum veritatis revelatæ reconderetur.

b Deinde traditio oralis dicit veritatem a Deo revelatam et non divinitus scriptam, ast non importat nihil unquam fuisse scriptum ; et revera, *pastores Ecclesiæ* non tantum verbo prædicaverunt, sed et *scripta confecerunt* ut errantes monerent, absentes instituerent, adversarios confutarent (2).

Idem præstiterunt simplices fideles ut fidem suam explicarent aut defenderent et in hisce apologiis, secundo et tertio sæculo præsertim frequentioribus, doctrinam, cæremonias et mores christianos delineaverunt et posteris servaverunt. Nec tantum atramento, at etiam inscriptionibus, picturis, sculpturis, fidem suam professi sunt. Quin immo ex ipsis libris hæreticorum quandoque, ex comparatione cum documentis authenticis, doctrinam Ecclesiæ eruere fas est.

Hæc omnia constituunt rursus *media subsidiaria* certo, sed in societate visibili connaturalia et moraliter insuper necessaria, quoniam assistentia Spiritus sancti non dispensat a mediis humanis adhibendis.

---

(1) S. Irenæus, *Adv. hæres.*, III, III, 4 (MPG, VII, 851).

(2) Uti in præcedenti responsione, p. 367, nota 3, animadvertimus, Patres non ita semper distinguunt inter traditiones divino-apostolicas seu simpliciter divinas (v. supra, p. 210) et humano-apostolicas aut etiam mere ecclesiasticas; ideo in responsis sequentibus, ubi de symbolis et de consensu Patrum, simul de criteriis traditionis divinæ dignoscendæ dicemus.

Possunt vero monumenta antiquitatis ad hæc præcipua reduci : α/ symbola et professiones fidei cum definitionibus et declarationibus Ecclesiæ; β/ scripta Patrum et theologorum; γ/ libri liturgici ; δ/ documenta historiæ ecclesiasticæ, imprimis acta martyrum, et monumenta deinde artis christianæ (1).

H. Lamiroy.

III-IV.

De contractibus in genere II.

Q. *Quali* inhabilitate *ad contrahendum afficiuntur* ex lege civili : a/ *minorennes sub tutela vel emancipati ;* b/ *interdicti et uxores.*

R. Abstractione nunc facta ab incapacitate contrahendi ex jure naturæ proveniente apud parvulos v. g. vel amentes, qua certe inexistentes fiunt conventiones omnes cum ipsis initæ independenter jam a jure civili, quæritur de legali inhabilitate aliquorum, civiliter introducta ob eorum imbecillitatem ingenii vel debitam marito subjectionem. Porro, quamvis legislator in art. 1123 generali principio habilitatem civium ad contrahendum statuerit, art. tamen sequente quibusdam in specie hanc facultatem restringit, præsertim minoribus, interdictis et uxoribus; sancitque ut isti firmos tantum valeant inire contractus per alias personas quæ ipsos repræsentant, vel saltem cum debita tantum licentia.

I. **Minorennes sub tutela constituti.**

Hujusmodi sunt qui, utroque vel alterutro saltem parente orbati, emancipationem nondum obtinuerunt, et

---

(1) Cfr Palmieri, *o. c.*, th. 13, p. 127 s. et Van Noort, *o. c.*, n. 158, p. 126, qui scite notat : « Ipsa etiam s. Scriptura magisterio Ecclesiæ inservit, imo extra omnem lineam egregie inservit ad traditionem [scil. inhæsivam et declarativam, v. supra, p. 273] conservandam. Sed quum res manifesta sit et extra omnem controversiam posita, theologi hoc loco s. Scripturam memorare non solent, ne libros divinos cum documentis humanis in eodem censu habere videantur ».

inde a tutore cum concilio familiæ reguntur (1). Hi quidem generali incapacitate contrahendi, paucis exceptis (2), a lege afficiuntur: sed eorum loco agit tutor, qui tamen et ipse pro majoris momenti contractibus eget licentia concilii familiæ, imo quandoque homologatione a tribunali etc. (3); dum pro ceteris conventionibus, quæ ad administrationem bonorum pupilli fere reducuntur (4), solus agere potest; sed utique in casu incuriæ culpas præstat (art. 450); minor vero ex his ultimis con-

---

(1) Minorennes qui nec patre nec matre orbati sunt, constituuntur quoad bona sua sub parentum *administratione legali*, quæ circa contractus a prole initos eosdem generatim effectus habet ac tutela de qua agimus. Ubi vero, ad normam legis 15 Maii 1912, « sur la protection de l'enfance », parentes depulsi declarantur auctoritate sua, tunc a concilio familiæ vel a tribunali designatur persona quæ pueros repræsentet, et casus fit tutelæ. — Tutela autem ordinaria triplex est: alia legitima, nempe patris aut matris superstitis aut quandoque ascendentium (art. 390 seqq.; 402-404); alia testamentaria (art. 397 sqq.); alia dativa seu nominativa, quæ a concilio familiæ defertur (art. 405 sqq.).

(2) Possunt soli testamentum suum condere, si jam sint 16 annos nati, sed pro dimidia tantum parte bonorum suorum (art. 904); insuper cum debita licentia matrimonium contrahere necnon contractum tunc firmum inire de regimine matrimoniali.

(3) « Parmi ceux-ci (les actes qui intéressent le mineur non émancipé), il en est que le tuteur peut accomplir seul, sans remplir aucune formalité, comme les actes d'administration; — il en est qu'il ne peut accomplir sans observer au préalable certaines formalités consistant: soit dans l'autorisation du conseil de famille, comme pour l'acceptation ou la répudiation d'une succession; — soit dans cette autorisation homologuée par le tribunal de première instance, comme pour la vente, l'hypothécation des immeubles du mineur, l'emprunt; — soit dans l'autorisation, dans l'avis de trois jurisconsultes et dans l'homologation par le tribunal, comme en matière de transaction ». Mabille, *Droit civil*, III, p. 312.

(4) Potest nempe tutor per se solum *administrare* bona pupilli (a. 450): seu primum omnes facere actus conservatorios, scil. præscriptiones interrumpere, hypothecas ad cautionem sumere, reparationes peragere necessarias; insuper curare ut dicta bona fructus producant, adeoque locare immobilia (a. 1429 et 1430), vendere segetes et generatim accipere pecuniam pupillo debitam eamque utili modo collocare; præterea debita solvere minorennis; probabilius etiam mobilia ejus incorporea, quibusdam exceptis, vendere (venditio mobilium *corporeorum* præter fructus subjicitur formalitatibus art. 452); tandem res mobiles emere pupillo necessarias, etc.

ventionibus obligatur erga alterum contrahentem ac si esset majorennis (art. 1314).

Pro momentosis autem contractibus, ut si pro pupillo pecuniam mutuo acceperit tutor, vel immobilia ejus vendiderit sive hypotheca gravaverit (art. 457), aut etiam si successionem acceptaverit aut repudiaverit (art. 461) etc. absque concilio familiæ cum aliis debitis formis, actus ejus legaliter *nullus* est, nullitate utique relativa tantum seu quæ ab ipso et minorenne, non vero ab altera parte contrahente invocari possit (1); sufficietque tunc coram judice si demonstrentur abfuisse impositæ formalitates.

1/ Ipse etiam *minorennis*, si per se solum aut cum tutoris tantum assistentia conventionem hujusmodi gravem inierit, actum *nullum* ponit, etiamsi minime inde lædatur. Sed quid ubi sine tutore hos contractus fecerit quos per se solum peragere valebat ipse tutor: ut puta emptionem rei mobilis, concessionem locationis, venditionem fructuum aut segetum agri sui?

2/ Distinguendum est hoc casu utrum necne dicto contractu afferatur minorenni *læsio* quædam, etiam indirecta. Si negative, legaliter firmus est manetque contractus (art. 1125). Si vero affirmative, tunc *contra omnes conventiones* concedit ipsi lex (art. 1305) actio in rescissionem: aliis verbis *rescindibilis* erit actus a parte minoris, etiamsi modica tantum fuerit læsio (2). Non utique sufficiet minima, de qua non curat prætor, et ideo in casu dubio judicis erit hoc æstimare; sed sufficiet læsio etiam *indirecta*, modo tamen a contractu pendeat (3) ut conse-

---

(1) Transit tamen actio minorennis, secundum principia generalia, ad heredes suos et legatarios universales aut titulo universali; et insuper exerceri potest ab ejus creditoribus (a. 1166).

(2) Majorennibus lex non concedit rescissionem ob læsionem nisi in duplici casu: venditionis nempe immobilium cum læsione superante 7/12 pretii justi (art. 1674); et partitionis cujusdam successionis cum læsione superante 1/4 portionis (art. 887).

(3) Ita non sufficeret fortuita perditio aut interitio rei a minore emptæ; hoc enim et majorenni accidere potest (art. 1306).

quentia quædam quæ tempore conventionis ab altero contrahente prævideri poterat. Sic directa est læsio si minor supra pretium justum emerit vel infra vendiderit ; indirecta vero si nimias expensas pro sua fortuna fecerit, aut v. g. vendiderit fructus suos justo quidem pretio, sed dissipando postea pecuniam : voluit enim legislator ipsum adversus incuriam ætatis suæ tueri, simulque adversus homines qui ejus imprudentia aut passionibus abuti voluerint.

In casu ergo læsionis, competit tum minorenni tum tutori ejus actio in rescissionem, cujus effectus iidem sunt ac effectus annulationis (1). Per se quidem, ipsius incapacis esset in casu demonstrare læsionem realiter adfuisse; verum hic art. 1312 supponit eam in favorem minoris, adeo ut alterius partis jam sit probare oppositum : pretium v. g. fuisse justum, pecuniam minori vere profuisse etc. « Idem dicendum de solutione facta minori : cum enim ex jam dictis minor non possit eam solus recipere, applicatur art. 1241 : solutio est invalida, nisi debitor probet rem solutam minori profuisse » (2).

Tandem, rescisso a judice contractu, omnia in pristimum statum reducenda sunt: sic res a minore empta reddenda est venditori qui pretium solutum restituet; vel res a minore vendita ipsi est restituenda, ab ipsoque pretium est refundendum. Verum, ut statim ex art. 1312 innuimus, illa quæ jam inutiliter dissipata fuerunt a minorenne, v. g. in casu mutui vel debiti contracti, non sunt ab ipso reddenda, nec imo post majoritatem suam: quia ea jam non habet nec in se nec in æquivalenti.

3/ *Casus tamen legaliter excepti* dantur plures, in quibus minor privilegio dictæ nullitatis aut rescindibilitatis uti non permittitur. Et primum, ubi licentia ipsi concessa est agendi mercatorem, bancarium vel artificem (art. 1308),

---

(1) Tamen « la personne contre laquelle le mineur agit du chef de lésion peut arrêter l'effet de l'action en offrant d'indemniser le mineur du préjudice qu'il éprouve ». MABILLE, *ib.*, p. 315.

(2) CARRIÈRE, *De Contractibus*, I, n. 190.

jam capax habetur firmiter per se solum contrahendi quoad res commercii sui sive artis. Insuper, firmæ manent etiam conventiones de regimine matrimoniali, ubi minor permissus est matrimonium inire (art. 1309). Præterea, si post majoritatem suam aliquem contractum ratum habuerit, jam non potest postea eumdem infirmare (art. 1311). Tandem, casu quo in contrahendo delictum aut quasi delictum admiserit, privilegio legis pariter destituitur, vel saltem de damnis tenetur (art. 1310 et 1382): ita si ad pecuniam mutuo accipiendam falsum documentum nativitatis produxerit vel alias artes dolosas adhibuerit quibus majorennis appareret. Sed tamen ab hac legali sanctione excipit art. 1307 simplicem declarationem majoritatis a minore factam: secus enim altera pars contrahens nimis facile dictam declarationem ab incapaci obtineret, sicque rueret finis legis seu protectio minorennis.

II. **Minorennes emancipati.**

Minor emancipatus (1), quamvis adhuc sub curatela constituatur, legaliter tamen jam valet per se solum omnes actus peragere simplicis administrationis bonorum suorum (art. 481): v. g. immobilia sua ad novem annos locare, reditus suos percipere, de mobilibus suis disponere etc. Pro certis vero contractibus eget adhuc curatoris sui assistentia: sic ad capitalem summam pecuniæ sibi debitam accipiendam, ad standum in judicio pro bonis suis immobilibus (art. 482), ad partitionem successionis faciendam (art. 480), ad acceptandam donationem solemnem nisi pro ipso acceptent parentes ejus aut avi (art. 935). Imo pro gravioribus conventionibus opus est ipsi licentia concilii familiæ vel et homologatione tribunalis etc : ut pro pecunia mutuo accipienda (art. 483), immobilibus vendendis (art. 484), successione accipienda

(1) Emancipatur minor sive ipso jure per matrimonium (a. 476), sive post annum 15 per declarationem patris, aut matris superstitis coram magistratu (a. 477), sive deficiente utroque parente, post annum 18, per concilium familiæ simul cum magistratu (a. 478).

vel repudianda (art. 461), transactionem peragendam circa immobilia sua (art. 467) etc.

Porro, si ipse solus inierit conventiones ad quas requirebatur sed et sufficiebat assistentia curatoris, *rescindibilis* erit actus in casu læsionis tantum, directæ vel indirectæ (cf. art. 484 et 1315). Si vero solus vel etiam cum sola curatoris assistentia fecerit actus majoris momenti, pro quibus indigebat concilio familiæ etc., actus erit *nullus*, etiam absque læsione. Tandem contractus quos ipse solus facere poterat vel debite cum curatore peregit, manent plene firmi, quasi a majorenne peracti fuissent.

Exceptiones autem legales, in quibus privilegio irritationis invocandæ uti non permittitur, eædem sunt pro ipso ac pro minore non emancipato.

III. **Interdicti.**

1/ Interdicti judicialiter (1) hi sunt quibus tribunal exercitium jurium civilium prohibuit, quia habitualiter (quamvis forsan non semper) in statu stupiditatis vel dementiæ versantur (art. 489). Hæc interdictio, quæ etiam contra minorennes pronuntiari nata est, requiri potest a quocumque consanguineo vel etiam a conjuge (art. 490), imo contingit etiam ut ex officio declaretur (art. 491). Si vero judex æstimet rationes ad interdicendum haud sufficere, quamvis tamen cautiones sumendæ appareant, tunc personam constituere potest « sub concilio judiciario » (art. 499).

Pronuntiata interdictione, cadit interdictus sub tutela tutoris et concilii familiæ, qui jam pro ipso agunt sicut de minore non emancipato diximus (art. 509). Ipse vero interdictus inde a die judicii *nihil* jam per se solum

---

(1) Datur etiam interdictio *legalis*, seu pœnalis inhabilitas ad contrahendum qua plectuntur damnati ad certas pœnas (art. 20-24 Cod. Pœn.). Item in pœnam declaratur quandoque incapacitas contra contumaces (art. 465 sqq. Cod. Instr. Crim.). Insuper dantur amentes non interdicti judicialiter, sed in hospitio collocati, de quibus cf. Ill^mum Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 399 et 400. Tandem legantur et art. 393 et 936 Cod. civ.

firmiter agere valet; adeoque omnes contractus ab ipso deinceps initi *nulli* sunt etiam absque læsione (art. 502), nullitate rursus relativa; et hoc etiamsi forte in momento lucido contraxisset (1).

Quid autem de conventionibus ante interdictionem ab ipso initis? Si postea declaretur interdictio, jam ad nullitatem horum actuum sufficiet (art. 503) demonstrare ipsum tempore contractus habitualiter et notorie stupidum fuisse aut dementem, quamvis forsan non hoc præcise momento (2). Si vero postea interdictio nec pronuntietur nec imo requiratur, jamque tempus non sit illam rogandi quia interim defuncta est persona, tunc actus illi ob amentiam jam annulari non possunt: nisi tamen amentia ex ipso contractu qui oppugnatur demonstrari valeat (art. 504), aut de testamento agatur sive de donatione inter vivos (art. 901), vel tandem casus sit amentis collocati in hospitio, quamvis utique non interdicti (art. 34 legis 18 Junii 1850, mod. per legem 28 Decembris 1873).

2/ *Concilium judiciarium* dicitur curator aliquis qui a tribunali imponitur sive prodigo (art. 513) sive personæ plus minusve incapaci gerendi bona sua ob aliquam imbecillitatem ingenii, seu capitis debilitatem propter senectutem vel aliam causam (art. 499). Ille curator sive tutor non quidem solus agit, sed dictæ personæ adstat et ipsi concedit contrahendi licentiam: sine qua *nulli* sunt actus in art. 513 enumerati. Nullitas hæc iterum est relativa, ideoque ab ipso prodigo tantum invocari potest necnon ab ejus curatore etiam contra ipsum.

---

(1) Excepto matrimonio in momento lucido contracto, necnon recognitione filii naturalis tunc peracta.

(2) « Actus initi ante sententiam interdictionis, *possunt* declarari nulli, art. 503, idque, ex doctrina jurisperitorum, etiamsi causa interdicendi non fuerit notoria, sed tamen cognita ab illo qui cum persona postea interdicta contraxit; sicut etiam quoties illi, quibus datur actio, probant ipsum non fuisse sui compotem eo momento quo contractus factus est, aut saltem ante et post habitualiter fuisse amentem. — Hoc ultimum valet (vivente adhuc incapaci) etiamsi non postulata fuerit sententia interdictionis ». Ill. Waffelaert, *ib.*, n. 400.

Contractus vero a lege non exceptos firmiter per se solum init prodigus: sic reditus suos accipit, testamentum suum facit, locationes concedit ad normam art. 1429 et 1430; probabiliter etiam fructus suos et segetes vendit; non vero firmiter exercet commercium. Sed commercium dici nondum debet quævis emptio mercis, ut comparatio cujusdam rei mobilis etiam pro tertio; et ideo tales conventiones secundum jurisprudentiam *possunt* validari a judice, si relate ad fortunam prodigi excessivæ non videantur (1).

Tandem: « les actes passés antérieurement à la nomination du conseil judiciaire ne peuvent être attaqués sous prétexte que la cause qui a motivé cette nomination existait déjà à l'époque de leur passation. Il en est de même aussi des actes consentis, depuis l'introduction de l'instance, au profit d'un tiers qui avait connaissance de cette instance » (2). Tamen: « les actes du prodigue, antérieurs à la mise sous conseil, peuvent être annulés s'ils ont été accomplis pour faire échec à cette mesure » (3). Et insuper, si non de prodigo sed de semi-fatuo agatur, usuvenire poterit art. 901 pro actibus gratuitis.

IV. Uxores.

De uxoribus denique ita sonat generale principium legis civilis: ipsas nullum contractum sine licentia mariti (aut tribunalis) firmiter peragere posse, tum ob debitam comparti subjectionem, tum etiam ne bona familiæ dilapidentur.

(1) « L'achat de marchandises ne rentre pas nécessairement dans la catégorie des actes que le prodigue ne peut faire valablement qu'avec l'assistance de son conseil », *Cass. Belg.*, 26 Juin 1897; P., 1897, I, 233.

« Il est au pouvoir du juge de valider l'engagement pris par le prodigue, sans cette assistance, même pour la fourniture d'objets livrés à des tiers, lorsque cette commande n'est pas exagérée en égard à la condition sociale et à la situation de fortune du prodigue, celui ci n'eût-il pas tiré profit de cette fourniture », *Cass. Franc.*, 7 Juillet 1902, P., 1903, IV, 28.

(2) Ill. Waffelaert, *ib.*, n. 400.

(3) *Cass. Belg.*, 7 Mai 1896, P., 1896, I, 180.

1/ Quod principium etiam de actibus judicialibus valet seu ad standum in judicio, nisi tamen in materia pœnali (art. 215, 216, 218). Extra judicium vero, eget uxor mariti assistentia sive scripta licentia (aut permissione tribunalis) pro omni contractu circa donationes faciendas sive alienationes mobilium vel immobilium, hypothecas subeundas emptiones peragendas, donationes accipiendas (art. 217), successiones acceptandas (art. 776), ita ut nec debitum quoddam per se solam solvere nec creditum firmiter accipere possit (1). *Exceptiones* tamen ex lege dantur aliquæ, quarum præcipuæ hæ sunt: potest uxor per se solam firmiter peragere actus administrationis bonorum suorum, quorum nempe sibi servavit regimen (art. 1449, 1536, 1576), et circa eadem bona libere etiam de mobilibus suis disponit. Præterea, si proprio nomine, permittente marito, commercium exercet distinctum a commercio compartis, firmiter se obligat ex hac parte (art 220); insuper testamentum suum sane sola facere aut revocare permittitur (art. 226), itemque donationem revocare marito factam durante matrimonio (art. 1096). Tandem, sic est intelligenda lex ut censeatur uxor per se mandatum habere mariti quoad hæc quæ dicuntur: dépenses de ménage (2).

2/ *Licentia* nunc mariti, ut jam diximus, potest esse secundum legem vel scripta vel tacita nempe per ipsius assistentiam contractui de quo agitur; debet vero esse specialis pro singulo casu, nisi quod ad commercium attinet uxoris semel approbatum. Discutitur vero num post factum etiam dari valeat permissio; at certe jam

---

(1) « Dat er aan de wetten omtrent de gehuwde vrouw menige wijziging dient aangebracht, wordt door schier iedereen toegegeven... Trouwens heeft reeds de wet van 10 Febr. 1900, over het spaargeld der gehuwde vrouw (a. 23ter), en die van 10 Maart van hetzelfde jaar, omtrent de arbeidsovereenkomst (a. 29-33), eenige nuttige bepalingen vastgesteld ». SALSMANS, *Rechtelijke plichtenleer*, n. 201, nota.

(2) « Une espèce de mandat tacite est celui qui est donné par le mari à la femme pour acheter les provisions et faire les dépenses de ménage ». THIRY, *Droit civil*, IV, n. 225.

data potest adhuc revocari, antequam conventio reapse ineatur.

3/ Ipse *tribunal* autem generatim potest loco mariti debitam concedere licentiam (art. 218, 219), si nempe maritus absque causa eam recuset vel etiam in impossibilitate versetur eam debite concedendi : ut si absens sit, vel ob crimen condemnatus, vel forsan interdictus aut collocatus, aut etiam ut probabilius sub concilio judiciario constitutus ; aut tandem si sit adhuc minorennis.

4/ *Effectus* concessæ maritalis licentiæ non est, per se saltem, ut inde jam maritus obligetur per contractum uxoris, sed tantum ut nullitas actus inde non oriatur. Obligatur tamen maritus per actum compartis in casu communitatis bonorum, quod attinet ad commercium et ad alia debita uxoris suæ cum licentia contracta (art. 220, 1419). Si vero licentia contrahendi a tribunali proveniat, obligatur tantum maritus in eodem casu communitatis, quoad solum commercium uxoris, addita tamen exceptione art. 1427.

5/ *Nullitas* tandem contractuum ab uxore sine licentia initorum, est independens a læsione, simulque relativa (art 225) : invocari nempe potest ab utroque conjuge tantum, non vero ab altero contrahente. Rescisso autem contractu, ad ea tantum restituenda legaliter tenebitur uxor quæ altera pars adhuc exstare vel uxori profuisse demonstraverit (art. 1312 et 1241).

Verum, exipitur casus *delicti* vel quasi delicti uxoris (art. 1310) : ut si se viduam aut innuptam finxerit, hocque dolo alteram partem in errorem induxerit. Quamvis enim stricte loquendo nullitatem etiam tunc invocare possit, cum tamen ad reparanda damna in casu obligetur, perinde est plerumque ac si firmus maneret contractus. Sed maritus utique per dolum uxoris a jure suo non destituitur.

E. Hosten.

V.

Notiones de conscientia laxa.

Q. *Accuratam trade notionem conscientiæ laxæ ejusque gradus et causas indica* (1).

Prænota. — Conscientia laxa, sicut et scrupulosa, aliquando dicitur de actu quodam particulari laxe judicandi aut immerito timendi circa moralitatem alicujus actionis determinatæ. Ordinario autem sumitur pro conscientia habituali, nimirum pro habitu sive laxe judicandi sive inaniter formidandi.

Parallelum inter conscientiam laxam et conscientiam scrupulosam. – Conscientiam rectam seu bene formatam eam vocamus quæ 1° adhibita diligentia debita, habitualiter juxta rerum veritatem pronuntiat de moralitate actionum particularium (2);

quæ 2° actionem apprehensam ut bonam suadet, conceptam ut malam dissuadet;

et quæ 3° post factum, actiones positas pro merito laudat vel carpit (3).

Huic conscientiæ rectæ contrarie opponuntur hinc conscientia scrupulosa, inde conscientia laxa. Ambæ quidem hoc commune habent quod ortum ducunt ex dubio mere subjectivo, imprudenti et irrationabili. Differunt autem quatenus *conscientia scrupulosa*, ex timore

---

(1) Consulantur Th. Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 3, p. 526 sq., n. 281; A. Lehmkuhl, *Theologia moralis*, ed. 11, t. I, p. 87 sq., n. 138 sq.; *Theologia moralis generalis... Mechliniensis*, ed. 3, p. 270 sq.; A. Vermeersch, S. J., *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia*, t. I, p. 345 ss.; P. Gillet, O. P., *L'éducation de la conscience*, p. 214 ss.; *Collat. Brug.*, t. XX, p. 105 ss., t. XXII, p. 473 ss., 498 ss., t. XXIII, p. 125 ss., p. 148 ss., p. 286 ss., p. 311 ss.

(2) Quodsi de facto et per accidens erronee pronuntiat, error ille invincibilis et inculpabilis dicendus est.

(3) Perfectio conscientiæ rectæ dicitur conscientia tenera seu timorata, quæ sollicita est circa leves etiam rationes honestatis vel inhonestatis, easque antecedenter suadet vel dissuadet, consequenter probat vel reprehendit. Cfr A. Vermeersch, *o. c.*, p. 336.

quodam morbido peccandi, irrationabiliter anxiatur circa honestatem actionum suarum antecedenter, imprudenter inclinat ad obligationes suas ultra debitum multiplicandas aut aggravandas, et immerito de peccato forsan contracto formidat consequenter ; unde vocari posset ille morbus conscientiæ *hyperesthesia moralis. Conscientia* vero *laxa,* ex dubiis temerariis seu propter motiva inania, antecedenter ad actum, erronee obligationem negat, libertatem extendit ; inclinationem ad bonum, aversionem a malo negligit ac deperdit ; consequenter autem ad peccatum, præsumptuose in eo quiescit: dici posset *anesthesia moralis.*

Notio. — Si significationem termini attendas, dices conscientiam laxam eam quam voluntas negligens jam non astringit regulæ objectivæ, sed quæ fluxa et pendula proprium lubitum pro unica regula sequitur. Realis autem definitio hæc dari potest : conscientia laxa ea est quæ, ex habituali neglectu obligationum, ob rationes futiles pronuntiat licitum quod prohibitum est, aut leve peccatum quod graviter malum est, sive antecedenter ad actionem ponendam (conscientia laxa antecedens) sive consequenter ad peccatum commissum (conscientia laxa consequens).

Gradus. — Laxismus conscientiæ plures gradus admittit : 1° *Conscientia simpliciter laxa* dicitur ea quæ argumento insufficienti aut nullo nititur ad falsam sibi fingendam securitatem de liceitate aut levitate actionis objective illicitæ aut gravis, ordinario simul suspicans, saltem in confuso, se ita immerito libertatem extendere, obligationem infringere (1).

2° *Conscientia cauteriata* vocatur ea in qua ex diuturno habitu laxe judicandi, paulatim hebetatus est sensus

(1) Qui ita agunt adhuc aliquatenus solliciti sunt de efformanda conscientia et de moralitate formali actuum suorum. In historia theologiæ moralis laxistæ vocantur ii qui contendebant « licitum esse sequi opinionem etiam tenuiter probabilem », aut potius aliquot opiniones ita tenuiter probabiles. Cfr Bouquillon, *o. c.*, p. 129 ss., 548 ss.; H. Noldin, S.J., *De principiis theologiæ moralis*, ed. 8, p. 262 sq., n. 232.

moralis donec tandem plene extinguatur (1): homo quasi insensibilis et inconscius factus sub respectu morali, obligationes graves imo gravissimas jam nihili pendet et bibit quasi aquam iniquitatem (2). Imo potest peccator descendere ad perversionem sensus moralis, qua quidam « malum bonum et bonum malum vocant » (3), lætantur quum malefecerint, exultant in pessimis flagitiis et tristantur quia in peccandi facultate viribus limitantur.

3° Est tandem aliqua conscientia quæ gravissima Dei mandata parvi facit, externas autem quasdam et levis momenti observantias scrupulose servat. Ea est quam Dominus in pharisæis arguebat, camelum glutientibus, culicem autem excolantibus, et quæ idcirco *pharisaïca* dicitur (4).

Causæ præcipuæ hujus vitii conscientiæ sunt educatio areligiosa seu neutralis, quæ impar est ut ultimam reddat rationem discriminis essentialis inter bonum et malum, impar quoque ut verum sensum obligationis inculcet; ignorantia religionis; defectus considerationis et consilii in vita morali ordinanda, unde ex usu, externo et mechanico modo opera bona fiunt magis quam ex amore boni et odio mali; defectus disciplinæ moralis in voluntate, quæ per praxim mortificationis et abnegationis tantum acquiritur (5); violentia passionum in juventute, nimia sollicitudo rerum temporalium in ætate matura; peccandi consuetudo maxime contra castitatem, et familiaritas cum vitiosis; præsertim omissio orationis, examinis conscientiæ, confessionis, et tepor animi.

A. Legrand.

---

(1) Nomen istud, cauteriata, desumitur ex *I Cor.*, IV, 12: « In hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatam habentium conscientiam », et derivatur a verbo cauteriare, ferro candente nervum adurere et ita sensibilitatem adimere.

(2) *Job*, XV, 16.

(3) *Is.*, V, 20.

(4) *Mt.*, XXIII, 23 sq.

(5) La cause de l'insensibilité morale est « dans une anémie à peu près complète de la volonté, ou dans une anomalie du tempérament : apathie ou surexcitation de la sensibilité ». P. Gillet, *o. c.*, p. 220.

VI.

De vicario substituto.

Q. *Interpretare can. 474 cod. jur. can.*

R. Ex can. 474 deducere possumus *notionem*, *constitutionem*, *jura et obligationes* vicarii substituti.

I. **Notio.** Vicarius substitutus ille est qui legitime constituendus est ut in cura animarum vices gerat parochi *a/* qui ultra hebdomadam a parœcia, prævia obtenta Ordinarii licentia, discedit aut ultra idem tempus a parœcia repentina causa abesse cogitur (can. 474 ; 465, § 4 et § 5) ; *b/* vel qui privatus suo beneficio sententia judiciali, ad Sanctam Sedem appellavit (can. 474; 1923, § 2) (1).

II. **Constitutio.** 1° In casu *legitimæ absentiæ* ex prævia scripta licentia Ordinarii, vicarius substitutus *designatur* a parocho, at ab Ordinario loci (2) scripto (3) est *approbandus* (4). Quodsi ab repentinam causam parochus a parœcia cogatur discedere, sufficit ad constitutionem vicarii substituti ut parochus Ordinario loci sacerdotem supplentem indicet ; qui jure remanet in officio quoadusque Ordinarius aliter non statuerit.

III. **Jura et obligationes.** Principium affirmatur in can. 474 : « vicarius substitutus.... locum tenet parochi in omnibus quæ ad curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint ». Consequenter vicarius substitutus considerandus est ut plena potestate parœciali ipso jure munitus, pollens omnibus juribus et

---

(1) Cf. *Rev. ecclés. de Metz*, 1922, t. XXIX, p. 19 ss.; *Nouv. rev. théol.*, 1921, t. XLVIII, p. 200 ss.

(2) Quisnam sit determinatur in can. 455. Cf. tamen *Nouv. rev, théol.*, *l. c.*, p. 205.

(3) Ad liceitatem, ex can. 159.

(4) Si parochus sit religiosus, requiritur etiam approbatio Superioris religiosi (can. 465, § 4) ; at non ejusdem valoris juridici sunt approbatio Ordinarii et approbatio Superioris. Dum prima requiritur ut *sit* vicarius substitutus, altera exigitur ut *licite constituatur*. Cf. resp. Com. ad interpr. cod. can., 14 jul. 1922, ad v, *Act. Apost. Sed.*, t. XIV, p. 526 ss. Cf. tamen *Nouv. rev. théol.*, *l, c.*, p. 202.

adstrictus omnibus obligationibus curæ pastoralis, nisi exceptio quædam a parocho vel ab Ordinario statuatur juxta absentiæ diuturnitatem aliaque adjuncta.

Ita, si plena potestate parœciali præditus sit, vicarius substitutus designatus a parocho et ab Ordinario approbatus ad normam can. 465, § 4, eo ipso valide et licite ex ipso jure exercet omnes functiones parœciales, etiam fori sacramentalis; valide etiam intra limites territorii assistit matrimoniis. Idem dicendum est de illo qui, sine ulla limitatione quoad curam animarum, ad normam can. 465, § 5, Ordinario designatur a parocho, dum hic ex causa repentino urgente a parœcia cogitur abesse, etiam ante approbationem Ordinarii et quoadusque Episcopus, cui significata fuerit designatio illius sacerdotis supplentis, aliter non statuerit (1).

Easdem etiam obligationes habent vicarii substituti ac parochi. Tamen, parochus legitime absens, utens facultate ab ipso jure (2) sibi commissa, frequentius malet ipse per se in loco quo degit Missam pro populo applicare, quam eam committere sacerdoti qui ejus vices gerit in parœcia (3).

2° Probabilius jurisdictio vicarii substituti, plena potestate parœciali præditi, est *ordinaria*, utpote ipso jure adnexa officio stabiliter constituto ; quod confirmatur ex can. 873, § 1 et 451 § 2, 2° de ordinaria jurisdictione ad audiendas confessiones qua potiuntur vicarii parœciales si plena potestate parœciali sint præditi (4).

3° Vicario substituto assignanda est debita merces pro sustentatione (5), solvenda a parocho in casu absentiæ ; secundum autem normas ab Ordinario statuendas in casu privationis beneficii. A. De Meester.

---

(1) Cf. resp. cit. Com. ad interp. cod. can., 14 jul. 1922, ad v. Cf. *Rev. ecclés. de Metz, l. c.*, p. 22 ss. ; *Nouv. rev. théol., l. c.*, p. 203 s. ; Fanfani, *De jure parochorum*, n. 251, B, 4° ; 308, 2°, c.

(2) Can. 466, § 5.

(3) Cf. *Rev. ecclés. de Metz, l. c.*, p. 282 ss.

(4) Vide supra p. 375 ; *Rev. ecclés. de Metz, l. c.*, p. 282 ss.

(5) Cf. Conc. Trid., Sess. XXIII, c. 1, de ref.

Acta SS. Congregationum

E Supr. S. Congr. S. Officii.

FACULTATES CIRCA MATRIMONIA MIXTA.

Sabbato die 16 Septembris 1922.

SSmus D. N. D. Pius divina providentia Papa XI, per facultates R. P. D. Commissario S. Officii impertitas R. P. D. Ordinario Brugen. facultatem benigne concedere dignatus est:

1/ Dispensandi, justis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento mixtæ religionis, et, si casus ferat, etiam super disparitate cultus, ad cautelam; quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter ad præscriptum Cod. J. C. can. 1061, § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et Ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, scilicet: ex parte nupturientis acatholici de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicæ religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicæ obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem conjugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum præstandum vel renovandum adire non posse, ad mentem Cod. J. C. can. 1063, § 1, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Ordinario reservatæ a parte catholica incurrendæ, juxta can. 2319, § 1, n. 1°, stricte cæteroquin servatis quæ de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063, § 2.

Quod si partes actu in concubinatu vivant, provideatur

opportunis modis ut scandalum, si adsit, removeatur et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur, prævia ejus absolutione ab excommunicatione contracta, si forte matrimonium attentatum fuerit coram ministro acatholico, eique impositis congruis pœnitentiis salutaribus.

2/ Sanandi in radice matrimonia attentata coram officiali civili vel ministro acatholico a suis subditis etiam extra territorium, aut non subditis, intra limites proprii territorii, cum impedimento mixtæ religionis aut disparitatis cultus, dummodo consensus in utroque conjuge perseveret, isque legitime renovari non possit, sive quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat sine periculo gravis damni aut incommodi a catholico conjuge subeundi; sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum, aut ad cautiones præstandas, ad præscriptum Cod. J. C. can. 1061, § 2, ullo modo induci nequeat; dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum dirimens, super quo Ipse dispensandi aut sanandi facultate non polleat.

Ipse autem Ordinarius serio moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei pœnitentias imponat, et si casus ferat, eam ab excommunicatione absolvat juxta Cod. J. C. can. 2319, § 1, n. 1°, simulque declaret ob sanationis gratiam a se acceptatam, matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile jure divino et prolem forte susceptam vel suscipiendam legitimam esse; eique insuper gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus tutandi baptismum et educationem universæ prolis utriusque sexus, tam forte natæ quam forsitan nascituræ, in catholicæ religionis sanctitate et prudenter curandi conversionem conjugis ad fidem catholicam.

Cum autem de matrimonii validitate et prolis legitimatione in foro externo constare debeat, R. P. D. Ordinarius mandet ut singulis vicibus documentum sanationis cum attestatione peractæ executionis diligenter custodiatur in curia locali, nec non curet, nisi pro sua prudentia aliter judicaverit, ut in libro baptizatorum paræciæ, ubi pars catholica baptismum recepit, transcribatur notitia sanationis matrimonii, de quo actum est, cum adnotatione diei et anni.

In singulis autem præfatis sive dispensationibus sive sanationibus concedendis, R. P. D. Ordinarius expressam

faciat mentionem Apostolicæ delegationis (Cod. J. C. can. 1057); et quod attinet ad facultatem sanandi in radice, mens est ejusdem S. Congregationis ut Ipse nonnisi parochos, singulis vicibus, subdelegare possit.

Præsentibus valituris usque ad annum proximæ relationis diœcesanæ, quo tempore elapso, referatur sive dispensationum sive sanationum concessarum numerus Supremæ S. Congregationi S. Officii.

Taxa exquiri solita pro qualibet dispensatione, quamque R. P. D. Ordinarius exiget, nisi pro casuum diversitate sit moderanda aut dispensanda ob paupertatem oratorum aliasve justas causas est 15 franc.

R. P. D. Ordinarius in fine cujuslibet anni directe mittet ad hanc Supremam S. Congregationem quas taxas ipse reapse exegerit, detracta vero quinta parte, quam pro sui quæque diœcesis necessitatibus retinere poterit.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. S. (Sign.) Cæsar Rossi S. C. S. O.
Subst. Notarius.

Adnotationes (1).

Prænotanda.

Duplex conceditur facultas respectu matrimonii mixti : *una* qua Ordinarius simpliciter tantum dispensare vel convalidare queat, *altera* qua sanare valet in radice.

1° Prior facultas est *late*, altera *stricte* interpretanda.

Principia latæ interpretationis exposita sunt supra, p. 324. Attamen, quia mixta religio et cultus dispar impedimenta sunt natura sua publica, advertendum est potestatem dari pro solo foro externo. Ob eandem rationem, si alia quoque impedimenta matrimonio obstarent, præscriptum can. 1050 præ oculis haberi deberet.

2° Prior facultas subdelegari potest, etiam habitualiter; altera vero solis parochis, idque singulis vicibus dumtaxat.

3° Utraque facultas erga peregrinos exerceri potest.

I. *Quoad priorem facultatem.*

1° Conceditur potestas dispensandi « super impedimento mixtæ religionis, et, si casus ferat, etiam supra disparitate cultus, ad cautelam ».

Impedimentum *mixtæ religionis* « prohibet ne matri-

(1) Cfr *Nouv. Revue théol.*, 1923, p. 243 s.

monium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectæ hæreticæ seu schismaticæ adscripta » (can. 1060). Impedimento *disparitatis cultus* « nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex hæresi aut schismate conversa » (can. 1070, § 1).

Hoc indulto Congregationis S. Officii datur facultas dispensandi super impedimento mixtæ religionis *certo;* quod autem spectat impedimentum cultus disparis, potestas dispensandi datur pro solo casu quo, ob dubium de valore vel susceptione baptismi partis acatholicæ, *dubitatur* utrum mixta religio an vero cultus dispar obstet matrimonio. In his adjunctis dispensat Ordinarius super mixta religione et, *ad cautelam* seu subsidiarie in quantum forte opus est, super disparitate cultus.

2° Ut *licite* dispensetur oportet ut « ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit ».

His inspectis in memoriam revocamus statutum 291 concilii mechliniensis IV ; « Pastores, cum publice tum privatim, absterreant parentes ne hujusmodi nuptiis liberos, præsertim filias tradant. Quodsi mixtum matrimonium præcaveri jam nequeat, partem acatholicam inducere satagant ad instructionem religiosam ad minus per mensem frequentandam, eum in finem ut, si non convertatur, saltem falsas et præconceptas contra fidem catholicam opiniones derelinquat ».

3° Ut *valide* dispensetur hæc tria ad normam can. 1061, § 1, postulantur, videlicet :

a/ Urgeant justæ ac graves causæ.

Advertimus privati ordinis rationes aliquando nostris diebus sufficere, dummodo vere graves sint.

b/ Cautionem præstiterit conjux acatholicus de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo, et uterque conjux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda.

Cautiones regulariter *scriptis* formulis a nupturientibus respective subsignatis præstentur. Attamen, ad valorem dispensationis non postulatur ut cautiones scribantur, imo, verbalis nupturientium declaratio de judicio Ordinarii aliquando sufficere potest.

Utraque declaratio apud nos in duplici exemplari fiat,

unum transmittatur ad Episcopum, alterum a partibus servetur (1).

c) Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento.

Circa has necessarias cautiones et moralem certitudinem statuit congregatio prosynodalis 30 maii 1922, statuto II: « Cum petitur dispensatio ab impedimentis *mixtæ religionis* aut *disparitatis cultus*, necesse est ut libello supplici addantur scripto exaratæ et a partibus subscriptæ cautiones canone 1061 requisitæ; nec satis est declarare partes esse paratas ad illas cautiones præstandas. Præterea oportet ut parochus testetur moralem haberi certitudinem de cautionum implemento ».

4° Moneri debet pars catholica de obligatione, qua tenetur ad normam can. 1062, conversionem conjugis acatholici prudenter curandi.

Insuper, moneantur oportet nupturientes se ante vel post matrimonium, ministrum acatholicum, *uti sacris addictum*, ad matrimonialem consensum præstandum vel renovandum adire non posse, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ a parte catholica incurrenda et Ordinario reservata juxta can. 2319, § 1, n. 1°.

Non improbatur tamen quod, lege civili jubente, conjuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia (can. 1063, §3).

Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel jam violasse, eorum matrimonio ne assistat,

---

(1) Formula cautionum juxta statutum 212 concilii mechliniensis IV eadem sit in omnibus diœcesibus provinciæ mechliniensis. En formulam hucusque apud nos adhibitam (supponitur sponsus acatholicus):

a) Je soussigné....., domicilié à....., m'engage, par les présentes, à laisser baptiser et élever dans la religion catholique, apostolique et romaine, tous les enfants de l'un et de l'autre sexe, qui naîtront de mon futur mariage avec....., domiciliée à....., et à leur laisser, à eux et à ma future épouse, liberté pleine et entière de remplir tous les devoirs de la religion catholique.

En foi de quoi, j'ai signé le présent acte de ma propre main.

Fait en double à....., le.....

b) Je soussignée....., domiciliée à....., m'engage, par les présentes, à faire baptiser et élever dans la religion catholique, apostolique et romaine, tous les enfants de l'un et de l'autre sexe, qui naîtront de mon futur mariage avec....., domicilié à.....

En foi de quoi j'ai signé le présent acte de ma propre main.

Fait en double à....., le.....

nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario (can. 1063, § 2).

5° In casu quo nupturientes in concubinatu vivant, provideatur ut scandalum removeatur, puta per separationem vel si separatio fieri nequeat per declarationem nupturientium coram parocho et testibus factam qua testantur se dolere de anteacta vita veniamque implorant de delictis admissis et de scandalo dato. Deinde provideatur ut pars catholica sacramentum pœnitentiæ rite suscipiat et ab excommunicatione de qua supra, absolvatur, si forte eam contraxerit. Satis erit, nisi Ordinarius aliter statuat, absolutionem in foro interno, etiam sacramentali, dare et præter sacramentalem satisfactionem canonicam quoque pœnitentiam injungere. Stricto tamen jure absolutio hæc in foro externo dari deberet (cf. can. 2251).

II. *Quoad alteram facultatem.*

1° Conceditur potestas sanandi in radice « matrimonia attentata coram officiali civili vel ministro acatholico... cum impedimento mixtæ religionis aut disparitatis cultus ».

Adverte non dici « aut disparitatis cultus *ad cautelam* » adeoque usui facultatis non obstat impedimentum hoc esse indubium.

Facultas restringitur ad matrimonia mixta coram officiali civili vel ministro acatholico et, proinde, sine forma can. 1094 attentata.

2° Ad *valorem* sanationis postulatur :

a/ Ut consensus naturaliter sufficiens in utroque conjuge perseveret (cf. can. 1139-1140).

b/ Ut consensus, ad normam can. 1137 et 1134, renovari nequeat in forma can. 1094 et præmonitis conjugibus de nullitate matrimonii.

Hæc impossibilitas renovandi consensum vario capite oriri potest : *α*/ Quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequit sine periculo damni aut incommodo a conjuge catholica derelicta subeundi. Intelligitur damnum quodvis, dummodo grave sit. *β*/ Quia pars acatholica renuit renovare consensum, etiam per procuratorem, in forma can. 1094. *γ*/ Quia pars acatholica cautiones de quibus egimus supra præstare recusat.

Necesse est tamen ut absit periculum perversionis con-

jugis catholici et prolis, secus enim conjugium ipsa etiam lege divina vetatur (cf. can. 1060).

c, Oportet ut aliud non obstet impedimentum dirimens super quo Ordinarius dispensare nequeat, sive simplici convalidatione sive sanatione in radice.

3° Varias deinde habet obligationes Ordinarius:

a Monere debet partem catholicam de gravitate sceleris patrati necnon de obligationibus ejus tutandi baptismum et educationem prolis et curandi conversionem compartis; simulque declarare debet effectus sanationis, videlicet matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile, prolem natam vel nascendam esse legitimam, hæc enim legitima erit quia nascetur in matrimonio, illa vi can. 1051 per ipsam sanationem ex potestate delegata per indultum generale concessam ipso facto legitimatur, excepta tamen adulterina et sacrilega.

b, Præterea debet Ordinarius imponere parti catholicæ pœnitentias salutares ob patratum scelus et, si casus ferat, eam absolvere ab excommunicatione, pluries jam memoratam.

c Tandem, mandare debet ut documentum sanationis cum attestatione executionis in curia locali custodiatur et sanationis notitia in libro baptizatorum transcribatur, in margine actus baptismalis partis catholicæ, cum adnotatione diei et anni.

Taxa erit 15 fr. nisi moderanda sit vel dispensanda v. g. ob paupertatem oratorum. V. Coucke.

E Sacra Congr. Concilii.

LITTERÆ CIRCULARES AD REVERENDISSIMOS EPISCOPOS, DE STATUTIS CAPITULARIBUS CONFICIENDIS VEL EMENDANDIS (1).

Quum Codex iuris canonici canone 410, § 1, decernat: « sua cuique Capitulo statuta ne desint, ab omnibus dignitatibus, canonicis, beneficiariis religiose servanda », huic præscripto plura quidem Capitula sive cathedralia sive collegialia laudabiliter obtemperare sollicita fuerunt, sua statuta concinnando vel corrigendo.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 453.

Constat tamen alia haud pauca adesse Capitula, quæ vel antiquis statutis aut solis consuetudinibus, quandoque lege reprobatis, adhuc reguntur. Quare hæc Sacra Congregatio Concilii, cuius est moderari quæ canonicos spectant, Episcopis mandat ut quisque proprio Capitulo terminum præstituat sex mensium ad sua statuta conficienda vel ad iuris tramitem emendanda ; quo tempore frustra elapso, ipse Episcopus « eadem conficiat imponatque Capitulo ».

Vix autem transacto ab his litteris anno, Episcopi eamdem Sacram Congregationem certiorem reddant de confectis aut emendatis statutis capitularibus deque eorum observantia.

Datum Romæ, ex ædibus Sacræ Congregationis Concilii, die 25 mensis iulii anno 1923.

D. Card. Sbarretti, *Præfectus.*

L. † S. I. Bruno, *Subsecretarius.*

Fabriques d'églises.

Loi fiscale du 10 août 1923 (1).

La loi du 10 août 1923 apporte des modifications (2) importantes aux lois sur les droits de timbre, d'enregistrement, de greffe, d'hypothèque et de succession.

1° *Droit de timbre sur les factures.* La loi assujettit à un droit de timbre proportionnel les factures, signées ou non signées, relatives à une transmission entre vifs à titre onéreux de marchandises ou autres biens meubles par nature, qui n'est pas soumise à la taxe de transmission (3) (art. 1, 1°).

Le droit est fixé à 1 franc par 1000 francs; la perception suit les sommes de 100 en 100 francs; et toute fraction de centaine est comptée pour la centaine entière (art. 4).

Sont exonérées de ce droit de timbre: les factures ayant pour objet des sommes dues *par* l'état, les provinces et communes, les polders et wateringues et les établissements publics (telles les fabriques); ensuite, les factures qui ont pour objet des sommes dont le paiement donne lieu à la perception du droit de timbre de quittance de 5 p. c. ou de 10 p. c. (art. 9, 1° et 3°).

Le droit est acquitté par l'apposition et l'annulation de timbres adhésifs.

La loi prévoit les pénalités suivantes: 1° pour toute contravention aux dispositions précédentes une amende égale à vingt fois le droit éludé, sans préjudice au paiement du dit droit; 2° pour l'annulation irrégulière d'un timbre, une amende de 5 francs.

2° *Droits d'enregistrement, de succession et de mutation.* La loi abroge les dispositions légales existantes fixant les droits d'enregistrement, de succession et de mutation par décès pour les dons et legs faits aux établissements

(1) *Moniteur*, p. 4325.

(2) Cfr. Lois fiscales du 24 octobre 1919, dans *Collat. Brugen.*, 1921, t. XXI, p. 38 ss. et du 28 août 1921, *ibid.*, p. 444 ss.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, *l. c.*, p. 445.

publics, et aux établissements d'utilité publique (1) (art. 26). Elle fixe les mêmes droits pour les donations entre vifs et pour les legs faits aux provinces, aux communes, aux polders et wateringues et aux établissements publics à 10 francs par 100 francs. Ces droits sont fixés à 15 fr. par 100 fr. pour toute libéralité entre vifs et testamentaire faite aux établissements d'utilité publique En outre le taux de 15 fr. par 100 fr. pourra être appliqué aux libéralités entre vifs et testamentaires faites aux associations sans but lucratif par une disposition spéciale et motivée de l'arrêté royal qui en autorise l'acceptation (*ibid.*).

La loi établit ensuite que les dispositions qui consacrent le taux de 15 p. c. en faveur des établissements et associations régis par la loi du 27 juin 1921 (2), sont applicables aux donations consenties et aux successions ouvertes depuis l'entrée en vigueur de cette loi

3° *Mise en vigueur de la loi:* l'arrêté royal du 19 août 1923 (3) établit que les dispositions de la loi du 10 août, concernant le droit de timbre (chap. I) entrent en vigueur le 10 septembre 1923. J. Brys.

Monitum.

Iterum in memoriam revocatur parochis minime licere de alienatione bonorum ecclesiarum, eorumve permutatione aut elocatione ultra triennium, agere cum auctoritate civili quin prævie tota res ad Episcopum fuerit delata debitaque licentia fuerit obtenta (4).

---

(1) D'après le texte de la loi du 27 juin 1921 sont seuls considérés comme étant d'utilité publique: « les établissements qui, à l'exclusion de la poursuite d'un gain matériel, tendent à la réalisation d'une œuvre d'un caractère philanthropique, religieux, scientifique, artistique, pédagogique ». Voir l'explication: *Collat. Brugen.*, *l. c.*, p. 430 ss.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, *l. c.*, p. 425 ss.

(3) *Moniteur*, p. 4333.

(4) Cfr. *Congr. Prosyn.* a. 1912, decret. VII, apud *Collat. Brugen.*, XVII, p. 359.

Notæ Bibliographicæ

Vermeersch, A. (S. J.). *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia.* T. I. *Theologia fundamentalis.* Brugis, Beyaert, 1922. — In 8, xv-456 p. — Pr. 14.50 fr.

Superfluum est moralistæ tanti nominis opera moralia laudare et commendare: sufficit eorum editionem communicare cum lectoribus et argumentum paucis explicare. Præsens volumen *principia* tradit seu intrinsecum examen circa quæstiones fundamentales in omni doctrina morali, nimirum de actibus humanis, de legibus, de conscientia, de peccatis, de mediis; principiis autem addit *responsa* seu casus practicos juxta principia solutos, imo et *consilia* adjicit quæ viam sternunt ad praxim justitiæ et perfectionis christianæ. Equidem non proponit novas solutiones quæstionum illarum: nec tamen mere repetit sententias aliorum. Ex modo suo personali proponendi et solvendi problemata hæc fundamentalia, novam ipsis lucem affert, novamque firmitatem contra modernas impugnationes. Etenim, ut scribit A. in sua præfatione « publica gentium apostasia non solum intellectum, sed etiam mores hominum corrumpit. Ab illuvie neo-paganismi præservandi sunt hi quorum lux monente Domino (Mt. V, 16), ita coram hominibus lucere debet ut ex bonis ipsorum operibus Pater cœlestis glorificetur ». Ad hunc finem præservationis et renovationis morum multum haud dubie præsens opus conferre natum est, eo vel magis quod ipsa methodus expositionis et studium theologiæ moralis jucundius et memoriam doctrinæ traditæ faciliorem reddit. Habet et hoc commodum quod ad normas novi juris canonici sit plene accommodatum. Unum tamen non desiderare non possumus nimirum quod cl. auctor non posuerit ad instar fundamenti totius sui ædificii moralis tractatum de fine ultimo.

Van Hoonacker, A. *Grondbeginselen der moraalfilosofie.* Brussel, N. V. De Standaard, 1922. — In 8, 196 bl. Pr. 10 fr.

Dit boek, waarin hoogleeraar V. H. de vrucht levert van jarenlange studie en van zijn gezagvol onderwijs aan de Leuvensche Hoogeschool, mag terecht een standaardwerk genoemd worden. Al de grondvragen van de natuurlijke zedenleer, nopens oorsprong en laatste doel van den mensch, menschelijke handeling en haar dubbel richtsnoer, wet en geweten, plicht en recht, worden hier duidelijk gesteld en bondig doch grondig beantwoord in eene kernachtige taal (1). Het is... niet

(1) Al put de natuurlijke zedenleer hare stellingen niet uit de openbaring maar alleen uit de gegevens onzer rede, toch mag men daaruit niet besluiten dat de openbaring mag verwaarloosd worden door den filosoof, zooals schrijver het met nadruk doet opmerken bl. 11.

een leesboek, vermaant schrijver terecht in zijn voorwoord, noch een werk van uitvoerige wetenschappelijke navorsching..., maar een handboek... waarbij voor het mondelijk onderwijs menige gelegenheid tot verdere toelichting en aanvulling blijft bestaan ». Wij verheugen ons in de overtuiging dat dit boek verder zal strekken dan de kring der Hoogstudenten die ermêe hun diploma moeten verwerven, maar dat het zijn plaats zal innemen in de boekerij van alle ontwikkelde Vlamingen nevens de dubbele Plichtenleer van P. Salsmans; 't is er ten andere de natuurlijke inleiding van.

Lamers, M. (O. F. M.). *Het bovennatuurlijk leven.* 's Hertogenbosch, Teulings, 1923. — In 8, VIII-154 bl. — Pr. 2 fl.

We zouden er ons grootelijks om verheugen konden we iets bijdragen tot 't verspreiden van dit boek onder onze ontwikkelde geloovigen, en vooral in onze mannelijke en vrouwelijke kloostergemeenten; we aanzien immers dit werk als allerbest geschikt om 't geestelijk leven in de zielen te bevorderen. Schrijver geeft erin een korte, doch zeer grondige, zakelijke en klare uiteenzetting van al die heerlijke werkelijkheden die ons bovennatuurlijk leven uitmaken, veroorzaken, ontwikkelen en bekronen. S. is zelf diep begeesterd door de verhevenheid van zijn onderwerp; den lezer voert hij als noodzakelijk met zich op in dezelfde bezieling. We veroorlooven ons enkele bemerkingen te maken van bijkomstigen aard. Eenige onduidelijke zinnen dienden opgeklaard (1); de vertaling van gratia actualis door « genade van bijstand » schijnt ons niet zeer gepast, daar die woorden enkel één opzicht der dadelijke genade uitdrukken, gratia actualis quâ adjuvans. We zagen ook liever 't sacerdotium Christi meer op den voorrang treden; was immers de menschwording van Christus niet tevens zijn wijding, zijn zalving tot Hoogepriester? Ook aan ons priesterschap, dat Jezus' priesterambt voortzet, mocht een ruimere plaats gegund worden. Eindelijk hadden we geern 't boek besloten gezien met een samenvattend overzicht van de verschillende ondergeschikte oorzaken van ons genadeleven, de allerheiligste Drievuldigheid als causa efficiens principalis, Jezus-Christus Verlosser, als causa meritoria et efficiens instrumentalis, de allerheiligste Maagd als mede-verlosseres en algemeene middelares in de uitdeeling aller genaden. — Nogmaals wenschen we een grooten bijval aan dit zeer nuttig, jammer voor ons al te « kostelijk » boek.

A. LEGRAND.

Fallon, V. (S. J.) *Principes d'Economie sociale;* 2e éd., Bruges, Beyaert, 1923. — In 8, XVI-422 p. — Pr. 8 fr.

Cette seconde édition, soigneusement mise à jour, de l'excellent traité du R. P. Fallon, sera joyeusement accueillie par tous ceux qui s'intéressent aux questions sociales, du triple point de vue économique,

(1) Bladz. 72, linea 12; bl. 73, l. 18; bl. 103, l. 22.

moral et catholique à la fois. Peu d'ouvrages, en effet, présentent un ensemble de qualités aussi précieuses que ce manuel: ordre et clarté parfaits à tous égards, dans l'exposé des principes une logique nette et sûre, dans leur application le souci constant des faits et la claire-vue des situations modernes, dans les conclusions la mesure objective et prudente du moraliste; dans toutes les discussions la maîtrise sereine de la pensée qui dénote l'esprit mûri et le professeur expérimenté.

Notons encore comme qualité maîtresse les développements judicieux que l'Auteur a soin de donner aux aspects moraux des questions économiques, et les solutions qu'il y fournit: faute de quoi un livre de ce genre reste nécessairement incomplet du point de vue catholique. Le P. Fallon nous marque lui-même, dans la préface de sa première édition, ce soin particulier qu'il a eu d'unir l'étude de la morale sociale à celle de l'économie politique: « Tels sont, en effet, les deux sujets qui se trouvent réunis dans ce volume. Trop souvent, on les a dissociés, les économistes s'arrêtant au seuil de la Morale, et les moralistes n'accordant pas toujours aux choses économiques l'attention et la place qu'elles méritent. En réalité, ces deux sujets s'appellent l'un l'autre; ils s'éclairent, ils se complètent; ils se compénètrent; ils sont moins deux sujets distincts que deux aspects d'une même matière. Personne ne se fera une théorie cohérente et précise de la propriété, du salariat, du prix, de la rente, de l'intérêt, de l'impôt, des opérations commerciales, de la concurrence, du monopole, du capital, etc., s'il n'envisage ces questions du double point de vue économique et moral ».

A cet égard surtout, on peut dire en toute justice que l'ouvrage du P. Fallon ne fait point double emploi avec les traités similaires, et qu'il marque incontestablement un progrès notable sur ses devanciers.

E. Hosten.

Bastien, P. (O. S. B.). *Directoire canonique à l'usage des congrégations à vœux simples.* 3e édition entièrement revue d'après le code. Bruges, Beyaert, 1923. — In 8, xvi-416 p. — Pr. 20 fr.

Parmi les multiples ouvrages qui, depuis le code, nous ont donné un commentaire plus ou moins étendu sur cette matière, il faudra assigner sans contredit une place prépondérante à l'ouvrage du R. P. Bastien.

L'auteur a gardé la division en trois parties, qu'il avait admise dans ses éditions précédentes (1). Une première partie traite de la vie religieuse et de ses obligations: le premier livre donne l'explication des lois qui régissent la fondation, l'approbation et la suppression des congrégations à vœux simples; le second et le troisième livre exposent les prescriptions canoniques relatives d'abord à l'entrée dans une congrégation à vœux simples et au noviciat, ensuite à la profession religieuse

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 132.

et aux obligations qui en découlent. La seconde partie traite du gouvernement extérieur des instituts à vœux simples, et la troisième partie de leur gouvernement intérieur. L'auteur y ajoute très utilement plusieurs appendices : le premier donne un commentaire assez bref des canons 673-681, qui se rapportent aux sociétés soit d'hommes soit de femmes, vivant en communauté, sans vœux; un deuxième expose le droit spécial dont jouissent les filles de charité de St Vincent de Paul; un troisième donne le texte de différents documents pontificaux, soit antérieurs, soit postérieurs au code, dont il faut nécessairement tenir compte, si l'on veut donner une interprétation exacte des textes juridiques.

Nous ne voulons pas insister sur le manque de logique dans certaines sous-divisions de ce manuel; il s'explique sans doute par ce fait que l'auteur avait admis cet ordre dans ses éditions précédentes. Le code cependant nous donne en cette matière une division très logique, suivie d'ailleurs à bon droit par la plupart des commentateurs. Cette remarque n'entend rien enlever à la valeur de l'ouvrage de Dom Bastien, qui nous semble le guide le plus complet et le manuel le plus utile pour les congrégations à vœux simples. En effet l'auteur, tout en traitant à fond les questions juridiques, n'oublie nullement les questions morales, et y ajoute même de ci de là quelques sages conseils. Fidèle au but qu'il s'était proposé, l'auteur n'expose pas toujours au long et au large les raisons des opinions qu'il avance; mais il donne plutôt avec prudence et réserve, des solutions pratiques et sûres.

Parmi les questions actuellement débattues entre moralistes, il soutient que la condition du lieu affecte la validité de la confession des religieuses (c. 522); il ne nie pas cependant la probabilité de l'opinion contraire. L'argument qu'il tire du can. 39 ne nous semble pas apodictique. Il exige également pour la validité de la confession que la religieuse *s'adresse* au confesseur, et il explique son idée comme suit : « le canon (522) suppose donc une occasion de s'adresser au confesseur et non pas que celui-ci ait été appelé; en d'autres termes, il faut que la religieuse se présente au confessionnal, et non pas que le confesseur invite la religieuse, ou bien se trouvant p. ex. dans la maison s'offre à elle pour la confesser ».

J. Brys.

Opera ad redactionem missa (1).

Adveniat regnum tuum. Par un Père de la Compagnie de Marie. Louvain, 127, Boulevard de Diest, 1922. — In 12, 132 p. — Pr. 1 fr.

Recueil de méditations très utiles pour nourrir la dévotion à la s. Vierge, d'après le Bienheureux Grignon de Montfort, et pour étendre le règne du Christ par celui de Marie.

Delassus (Mgr H.). *Les pourquoi de la guerre mondiale*, t. III, liv. II. La réponse de l'histoire. Lille, Desclée, 1922. — In 8, 424 p. — Pr. 7.50 fr.

Delerue, F. *Au seuil de la vie*, 2 vol. Paris, Téqui, 1923. — In 8, XIII-235 et 282 p.

Mercier (CARD.). *La Mission du jeune homme catholique.* Allocution à l'A. C. J. B. au congrès de Gembloux, 17 septembre 1922. Secrétariat de l'A. C. J. B. Rue de Tirlemont, 126, Louvain.

Programme magnifique tracé à notre jeunesse catholique pour réaliser sa sainte devise: « Vlaanderen voor Christus » et « La Wallonie au Christ ».

Millot, J. *Connaître, aimer, servir la très sainte Vierge.* Paris Téqui, 1923. — In 8, 248 p.

Id. *Retraite de jeunes gens.* Paris, Téqui, 1923. — In 12, 376 p. — Pr. 6.50 fr.

Mutz, F. X. *Die Verwaltung der heiligen Sakramente.* Freiburg i. B., Herder, 1923. — In 8, XI-400 s. — Pr. 11.25 fr.

Muyldermans, J. (Kan.). *Zijne Eminentie Kardinaal Petr. Lamb. Goossens.* Mechelen, H. Dierickx-Beke zonen, 1922. — In 8, 278 bl.

Newman, J. H. (KARD.). *Christentum*, 5es B. *Seele*, 6es B. *Gemeinschaft.* Freiburg i. B., Herder, 1922. — In 8, III u. 69 s. — Pr. 9 fr.

Id. *Christentum*, 7es B. *Welt*, 8es B. *Kind.* Freiburg i. B., Herder, 1922. — In 8, VIII-93 et VIII-59 p. — Pr. 8,50 fr.

Pour les vivants et pour les morts. Action catholique, Bruxelles.

Petit tract exposant l'utilité pour les vivants de la dévotion aux âmes du purgatoire. Quant aux indulgences des six Pater, Ave, Gloria, p. 21, voir *Collat. Brug.*, IV, p. 299 ss.

Reinstadler, S. *Elementa philosophiæ scholasticæ.* Ed. 11-12. Frib. Br., Herder, 1923. — Duo vol. in 12, XXVIII-552 et XIX-566 p. — Pr. 43.60 fr.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam. (1)

Tabula II (*Pars prior*).

Creaturæ intellectuales supra naturam exaltatæ. Regnum Dei supernaturale inchoatum.

Hæc secunda tabula supra modum splendore excedit primam, licet jam magnificam; tantum quidem merito dixeris quantum res divinæ præstant creatis rebus universis; eoque proin majori attentione digna conspectu est, quo lucidius et magnificentius divinas perfectiones manifestat.

Necdum tamen regnum Dei supernaturale ex integro repræsentat: sicuti enim supra diximus ordinem naturæ considerari non debere quasi separatum a toto ordine a Deo in præsenti statuto, sic quoque quæ nunc dicenda sunt abstractive quidem ab illo ordine toto considerantur, nequaquam tamen separata ab eodem ordine completo et ad perfectum deducto per Verbum incarnatum, ejusque gloriosissimum redemptionis opus, ac finalem tandem ejus triumphum in æterno suo cœlesti regno. Propterea regnum Dei supernaturale heic dicimus inchoatum: quod nihilominus jam præbebit spectaculum cuncto mundo creato longe mirabilius.

***

Itaque, primo ad regnum Dei supernaturale pertinet

(1) Vide supra pag. 102, 177, 348.

finis ad quem creaturas intellectuales, angelum et hominem, destinare dignatus est Deus. Hic enim finis, qui alius non est quam beatifica visio Dei ut in se est, absolute superat exigentiam et vires omnis possibilis naturæ creatæ, et est natura Deo soli propria.

Quod et ipsa nobis ratio demonstrat. Etenim, ut ostendimus in prima tabula, Deus ex manifestatione naturali et necessario prima per creationem, cognosci nequit ut in se est, unus essentia trinus in personis, sed tantum ut existens et unus essentia, infinita in omni perfectione. Et hæc est sola via, naturaliter aperta creaturæ ad cognoscendum Deum. Præterea, adverti debet creaturæ omnis, utpote finitæ, perfectionem non esse ejusdem rationis ac divinam, nec univoce sed analogice tantum de divina prædicari, quo fit ut perfectiones divinæ, ut in se sunt, ne concipi quidem a creatura naturaliter possint, et quod affirmemus quidem perfectiones creaturarum esse in Deo, negare vero debeamus easdem esse in Deo sicuti in creatura, sed esse in Deo modo eminenti, qui præcise nos fugit.

« Impossibile est, ita S. Thomas (1), quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Si igitur modus essendi alicujus rei cognitæ excedit modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis.... Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens.... Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem cujuslibet intellectus creati: quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam

(1) *Sum. Theol.*, I, q. 12, a. 4.

videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit, ut intelligibile ab ipso ».

Viribus propriæ naturæ Deum videre ut in se est, est esse Deus ; Deum videre per gratiæ donum est esse deiformis. Jamvero, ut ex positiva revelatione Dei eaque sola novimus, ex mere gratuito amore hanc gratiam, videlicet lumen gloriæ quo creatura capax fit divinæ visionis, Deus sanctis angelis concessit; et nobis etiam, si divinæ dilectioni fideliter responderimus, concedet hanc supremam deiformitatem; sed et nunc jam in hac vita per varia dona gratuita gratiæ nos deiformes facit et aptos ad supremam illam deiformitatem atque divinam visionem promerendam, ut mox exponemus. Hujus autem beatificæ visionis, cujus postea in tabula sexta aliqualem saltem conceptum formare conabimur, nulla creatura, nisi ea fruendo, potest nobilitatem et beatitudinem intellectu assequi: quidquid enim excogitare de ea valemus, longius distat a realitate quam umbra a re ipsa.

Heic jam, antequam transeamus ad explicanda gratiæ dona, quibus prosequi oportet finem sublimem beatæ Dei visionis, coram omnipotentia, sapientia et bonitate Unius et Trini Dei, tam splendide in hoc fine creaturis intellectualibus præstituto refulgentibus, cum summa admiratione et gratiarum actione adorando nos prosternamus, exclamantes cum Paulo: « Cupio dissolvi », ut contempler gloriam Dei.

***

Igitur, secundo ad idem regnum supernaturale Dei pertinent supernaturalia dona, quibus capax fit creatura rationalis ad illum finem suum attingendum. Attollamus primo oculos sursum ad spiritus cœlestes, dein eos convertamus deorsum ad primos parentes nostros in paradiso terrestri.

Certum est angelos, sicut nos ad visionem Dei destinatos, quoque eguisse donis supernaturalibus ad eam con-

sequendam, et lumine quidem gloriæ ad ea fruendum. Consentiunt omnes angelos bonos prius gratia sanctificante, sicuti nos, fuisse ornatos, quippe quæ est semen gloriæ; utrum vero et quibus aliis habitibus seu virtutibus ac donis, et gratia actuali indiguerint et donati fuerint, certo definiri nequit. Natura enim facultatum puri spiritus, etsi aliquatenus inquisita et descripta a theologis, non est nobis satis perspecta et consequenter æque dubium et obscurum manet quinam habitus in illis fuerint ponendi.

Pariter non conveniunt Doctores in determinando tempore, in quo angeli fuerunt ad ordinem supernaturalem ac divinum exaltati. S. Thomas opinatur, sicut et de primis parentibus tenet, eos statim cum creatione accepisse gratiam sanctificantem atque virtutes theologicas. Contra, S. Bonaventura probabilius censet, et testatur eam fuisse, suo tempore magis communem sententiam, angelos aliquo tempore, brevi saltem — quoniam angelus vi naturæ suæ deliberatione non eget, sed illico se determinat — relictos fuisse suæ naturæ. Secundum hanc Seraphici opinionem, angeli boni se converterunt ad Deum (1), beneficium exaltationis grati excipientes, et simul acceperunt gratiam qua illa conversio meritoria fiebat visionis beatificæ statim illis concessæ. Diabolus vero et angeli mali ejus sequaces illico respuerint Dei beneficium, nec gratiam nec gloriam sed æternam damnationem consecuti (2).

Præclara gratiæ dona, agendo de homine explicabimus. Nunc autem quædam de angelis sunt addenda, fuse a Patribus et Doctoribus exposita, quæ haud parum conferunt ad splendorem hujus secundæ et simul primæ tabulæ.

Sancti Patres, ut jam notavimus, unanimiter docent

---

(1) Puta, ex motione quadam gratiæ actualis, etiam malis angelis datæ, cui hi restiterint.

(2) Infra, in sequente tabula tertia de lapsu angelorum et primorum parentum sermo erit.

Deum creasse spiritus ingenti numero, imo fere innumerabiles. Atqui, hæc multitudo, inspecta divina sapientia, cogitari nequit quasi sit inordinata caterva. Unde et consentiunt Doctores Ecclesiæ esse inter angelos varios gradus et ordines atque hierarchiam cœlestium spirituum. Ipsæ sacræ Litteræ nomina proferunt clare indicantia distinctos gradus et dignitates: multis in locis nominant angelos et archangelos, horum etiam quædam nomina propria: Michaëlem, Gabriëlem, Raphaëlem; dein Cherubim et Seraphim; et S. Paulus (1) addit Thronos, Potestates, Dominationes, Principatus et Virtutes. Sancta quoque Ecclesia in Præfationibus missæ eosdem plures enumerat.

Itaque ex testimonio S. Scripturæ et Ecclesiæ traditione patet cœlestes spiritus multiplici graduum distinctione esse a Deo ordinatos ad regnum quoddam supremæ nobilitatis et pulchritudinis componendum. Quod quidem S. Gregorius Magnus (2), post Dionysium dictum Areopagitem, describit ita ut constet novem choris, distributis inter tres hierarchias, quarum suprema complectitur Seraphim, Cherubim et Thronos; media, Dominationes, Principatus et Potestates; infima, Virtutes, Archangelos et Angelos. Hæc S. Gregorii doctrina, quamquam non ad instar dogmatis fidei accipienda, nequaquam tamen temere contemnenda est; sed veneranter et pie suscipienda, utpote quæ tum a theologis tum a sanctis contemplatoribus fere unanimiter accipitur. Disputant vero theologi de quæstione unde originem habent diversi illi gradus, aliis opinantibus eos ex ipsa natura diversa spirituum oriri, aliis vero ex supernaturali eorum exaltatione et merito, aliis demum ex positiva et libera Dei dispositione, vi cujus illos consequenter secundum gradum supernaturaliter ornaverit. Solutionis argumenta desunt; contra secundam tamen et quadam-

(1) *Ad Ephes.*, I, 20, 21; *Ad Colos.*, I, 16.
(2) *Hom. 34 in Evang.*

tenus contra tertiam hypothesim, animadverti potest diabolum, malignorum spirituum principem, inter superiores angelos communi sententia numerari, imo a multis, etiam Patribus, ut supremum natura angelorum haberi: quod profecto nec supernaturali dignitati nec merito attribui potest, cum meritum non habuerit, imo divinum exaltationis beneficium, ut et nos putamus, spreverit.

Videntur ergo spiritus jam naturali sua perfectione esse diversi gradus et dignitatis. Quærunt autem theologi utrum specie sint distincti. S. Thomas tenet singulos angelos specie differre (1); alii vero admittunt distinctas species, sed plura tamen individua ejusdem speciei. Quidquid sit, prima origo et radix distinctionis ordinum et graduum videtur reponenda in diversitate naturalis perfectionis, secundum cujus gradum, ex sententia S. Thomæ (2), etiam supernaturalia dona receperint angeli.

Porro, in hoc regno ordinatissimo, Deus pro infinita sapientia sua, officia quoque et munia angelorum secundum diversitatem ordinum et graduum disposuit. Et primo quidem ad memoriam revocemus, quæ prævie ad has tabulas exposuimus, angelos, sicut et cæteras creaturas omnes, fuisse productos a Deo intuitu Verbi incarnati, Christi Redemptoris, qui totius ordinis præsentis a Deo statuti, ratio et finis est atque fastigium. Itaque angeli creati sunt, boni (3) quidem ut sint ministri Christi, Servatoris humani generis, judicis supremi vivorum atque mortuorum, cui omnis potestas data est in cœlo et in terra. Et scimus singulos homines a Christo redemptos habere singulos angelos custodes, defensores et intercessores apud Deum. S. Paulus quoque expresse ait (4):

---

(1) *Sum. Theol.*, I, q. 50, a. 4.

(2) *Ibid.*, q. 72, a. 6.

(3) Malos permisit Deus ex illa destinatione sua culpa excidere, attamen, ut in prævia animadversione supra notavimus, vel inconscii inservierunt Christo Redemptori.

(4) *Ad Hebr.*, I, 14.

« Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis? » De eodem ministerio Angelorum plurimis in locis librorum tam antiqui quam novi fœderis, quos longius nimis esset citare, sermo fit; omnes autem Angelorum missiones denique tandem respiciunt Christum et opus ejus gloriosum redemptionis, vel futuræ vel factæ: unam citemus Archangeli Gabriëlis, qui faustissimum Beatissimæ Virgini nuntium attulit incarnationis divini Verbi.

Tandem, omnes cœlestes spiritus, innumerabiles, aulici Christi et Dei, quantam dant Deo Uni et Trino laudem et gloriam!

Hæc pauca quæ novimus de illo regno superno, et obscure quidem, quam mirifice et splendidius quam totus mundus sensibilis, nobis manifestant omnipotentiam, sapientiam et bonitatem Dei! Quanta vero erit admiratio nostra, quantum gaudium, quando per merita Christi et misericordiam Dei, adjungi nos licebit cœlestibus agminibus, ut cives æterni et gloriosi regni!

***

Jam oculos convertamus ad primos parentes in paradiso terrestri.

Oportet inprimis rite distinguere ea quæ ipsis, qua *primis* hominibus, qua origini totius humanæ speciei propria, concessit Deus, ab illis donis præternaturalibus et supernaturalibus, quæ ad omnes homines ex iis nascendos erant transmittenda.

Uti primos eos produxit Deus corpore adultos et perfectos, cum perfecto usu sensuum, plene evolutis spiritualibus potentiis et facultate loquelæ. Præterea ipsis revelavit vel infudit cognitionem naturalem rerum omnium quibus tamquam primi et educatores suorum posterorum indigebant. Hæc enim omnia erant necessaria et pertinebant ad primam institutionem generis humani,

et proin respectu primorum parentum ad naturam spectabant, etsi in posteris præternaturalia, seu supernaturalia quoad modum acquirendi, dicenda essent; siquidem hi naturali generatione et nativitate producti, lenta evolutione ad perfectionem adulti corporis, ad usum sensuum et facultatum spiritualium, ad naturalem cognitionem et scientiam, atque loquelam, perveniunt, idque multis curis parentum aliorumque hominum et multiplici exercitio.

Itaque in his omnibus non defuit omnipotentia, sapientia et bonitas mirabilis Dei.

* * *

Ast, longe altius, imo quo sublimius fieri non poterat, evexit Deus hominem, id est naturam humanam in primis hominibus. *Naturam* humanam dicimus, siquidem id fecit tum donis præternaturalibus seu superantibus *hanc* naturam, tum et stricte supernaturalibus *omnem* naturam creatam excedentibus et ordinis divini, *ad omnes transmittendis* qui ejusdem naturæ participes essent futuri.

Ad illa dona, quæ præternaturalia vocantur ad ea distinguenda a stricte supernaturalibus (1), pertinet præprimis *immortalitas*, intellige facultatem seu privilegium non subjacendi necessitati naturali moriendi. Cum hoc dono, tamquam fundamento et radice, conserta erant cætera præternaturalia dona, scilicet immunitas a morbo, aliave læsione corporis, membrorum et sensuum, simul cum abundantia rerum necessariarum et utilium ad commodam vitam, necnon dominium quoddam in regnum

(1) Præternaturalia dicuntur quæ superant quidem exigentiam et vires alicujus naturæ creatæ, sicut facultas non moriendi superat compositum humanum, naturalia vero sunt alii naturæ creatæ, quemadmodum naturalis est immortalitas spiritui puro et animæ spirituali humanæ. Stricte vero supernaturalia audiunt quæ omnem naturam creatam aut creabilem superant, et Deo soli natura propria sunt, ut est visio Dei, consortium quoque naturæ divinæ per gratiam.

vegetale atque animale, ac quodammodo in vires inanimatæ naturæ. Igitur ex hoc fonte exurgebat quædam vivacitas seu vitalitas universalis, corporis et sensuum, alacritas mentis et perfectior voluntatis libertas: consequenter in ordine morali pretiosum illud donum, quod *integritatis* vocant, vi cujus pars inferior sensitiva plene subjiciebatur superiori seu rationi et voluntati, ita ut durum istud certamen, quod continuo experimur, omnino abesset. Re quidem vera, pone hominem a morte immunem, perfecte sanum et salvum, abundanter rebus utilibus provisum, sine ullo metu jacturæ aut frustrationis; apud talem hominem, omnem tollis causam præcipitis et irrationalis rerum sensibilium concupiscentiæ, et rebellionis partis sensibilis adversus rationem.

Hujusmodi erat status fortunatus primorum parentum, quem sensu latiore etiam integritatis vocant, prout, præter integritatem ordinis moralis, complectitur omnia præternaturalia dona. Eratque illa conditio eorum a primo momento creationis, quos collocavit Deus in horto amœnissimo paradiso voluptatis, ubi absque ullo labore et dolore, ullave indigentia, operando et custodiendo hortum, in summa pace contemplari poterant Deum in suis mirabilibus operibus, eumque laudare atque magnificare.

***

Necdum exhausta erat divina bonitas et munificentia. Ut supra innuimus, naturam humanam in primis parentibus evexit Deus quo sublimius fieri non poterat, eam extollendo ultra omnem naturam creatam ad ordinem divinum, per dona stricte supernaturalia. Hominem destinavit Deus, sicuti vidimus de angelis, ad finem visionis sui, sibi soli natura propriæ, uti in præcedenti tractatu de angelis explicavimus. Consequenter eum instruxit, ultra dona præternaturalia, omnibus donis stricte supernaturalibus, quibus capax redderetur finem illum prosequendi et attingendi, et quæ, sicut præter-

naturalia, transmittenda erant cum natura ad omnes homines.

Omnes Doctores admittunt creatos esse primos parentes in statu integritatis secundum corpus et animam, modo descripto. An vero simul etiam statim donis stricte supernaturalibus eos donaverit, non consentiunt. S. Bonaventura opinatur ipsos per aliquod tempus relictos fuisse in solo integritatis statu, quem considerat ut præparatorium ad exaltationem supernaturalem. Contra, S. Thomas censet eos simul cum præternaturalibus donis statim accepisse dona stricte supernaturalia, et statum integritatis habet ut consequentem ad exaltationem supernaturalem, et concessum ut homo sic evectus nesciret impedimenta a natura oriunda. Quidquid sit, in utraque sententia verum manet statum integritatis talem fuisse qui hujusmodi impedimenta vitæ et activitatis supernaturalis eliminaret.

Igitur nunc agendum est de donis stricte supernaturalibus primorum parentum; quæ et nostra sunt: cum enim Deus præsciret miserandum eorum lapsum, noluit tamen eos eorumque posteros a beatifica visione sua definitive excidere, sed summæ misericordiæ ac pietatis æterno consilio statuit non tantum reparare sed magnificentius perficere, ut infra exponetur, ordinem per peccatum turbatum, dando humano generi redemptorem Filium unigenitum suum; et dum noluit reddere hominibus dona præternaturalia, propter rationes quidem sapientissimas (1), dona tamen longe pretiosiora et sola necessaria ad finem beatæ visionis consequendum, nempe stricte supernaturalia, reddidit, per merita prævisa

(1) Puta, ut homo lapsus sentiret culpam, esset cupidior ac sollicitior participandæ redemptionis, inveniret quoque exercendæ virtutis et meriti novas occasiones; sed et status integritatis subsistere non poterat, inspecto modo redemptionis occulto Dei consilio electo, nempe per passionem et mortem Christi. Ipsa quoque dona supernaturalia non reddidit Deus post culpam transmittenda per naturam, sed singulis hominibus, ut dicimus in textu infra.

Redemptoris, etiam primis hominibus, non tamen per naturam transmittenda quasi reficeret opus suum, sed singulis, tum ipsis tum posteris, quibus id volentibus applicarentur merita redemptionis.

*
* *

Inter hæc dona stricte supernaturalia primum est *gratia sanctificans*, habitualis, quæ est realis aliqua accidentalis qualitas, naturam creatam intellectualem (angelicam vel humanam) consortem reddens divinæ naturæ per conformitatem quamdam cum illa seu deiformitatem. Qualitatem realem dicimus, utpote quæ fundat relationem ad Deum, rationis quidem, ut patet, in Deo, sed omnino realem, nempe deiformitatis, in natura creata. Accidentalem autem dicimus, substantialis enim qualitas seu res, quæ proin ad substantiam seu naturam creatam pertinet, et quæ supernaturalis esset, absurdum sonat (1).

Discimus quoque *naturam* intellectualem per gratiam sanctificantem evehi, gratia enim hæc afficit naturam. Natura autem cum sit primum et adæquatum principium activitatis, jam efficit gratia ut non ad modum creaturæ tantummodo sed simul et divino modo operari possit creatura. Ut bene dicit B. Rusbrochius: Deus dat gratiam ad agendum, seipsum vero ad quiescendum. Agitur autem de natura intellectuali: est enim natura hæc sola capax consortii divinæ naturæ, quæ tota spiritualis est, actus purus intelligendi et volendi.

Quantum donum, quod creaturam servam vel et impiam mutat in amicam; justam, rectam et sanctam facit, quippe deiformem, consortem divinæ naturæ, et capacem merendi Dei visionem et beatitudinem participandi adorandæ Trinitatis. Nihil mirum S. Thomam

(1) In Deo, ut patet, nullum est accidens, nec illi aptatur distinctio inter naturale et supernaturale: omnis enim perfectio *ipsi* naturæ, substantia seu essentia est, quæ *respectu creaturæ* supernaturalis est tota.

scripsisse : « bonum universale est majus, quam bonum particulare unius, si accipiatur utrumque in eodem genere ; sed bonum gratiæ unius majus est, quam bonum naturæ totius universi (1) ». Et S. Augustinus, loquens de justificatione impii, quæ fit per gratiam: « majus est, ait (2), quod ex impio fiat justus, quam creare cœlum et terram. Cœlum enim et terra transibit, prædestinorum autem salus et justificatio permanebit ». Quæ S. Thomas verba interpretatur (3) dicens : « Dicendum quod opus aliquod potest dici magnum dupliciter. Uno modo, ex parte modi agendi, et sic maximum opus est creationis, in quo ex nihilo fit aliquid. Alio modo potest dici opus magnum propter magnitudinem ejus quod fit, et secundum hoc majus opus est justificatio impii, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam creatio cœli et terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis ».

Profecto, quanto splendidius hic quam in opere creationis elucet omnipotentia, sapientia et bonitas Dei ! Et quid retribuemus Domino ?

***

Necdum tamen in sola gratia sanctificante consistit opus mirabile exaltationis ad ordinem supernaturalem seu divinum. Hæc gratia solummodo ad instar fundamenti est ædificii supernaturalis, quod Deus complevit multis aliis donis.

Ita secundo, præter naturæ evectionem per gratiam habitualem, consideranda venit exaltatio *personæ* in primis parentibus ad dignitatem *filiorum adoptivorum Dei*, quæ pariter ad posteros erat transmittenda.

Hæc filiatio præsupponit, natura si non tempore, gratiam seu consortium divinæ naturæ: adoptari enim nequit

(1) 1, 2, q. 112, a. 9, ad 2.
(2) *Tract. 72 in Joan.*
(3) Eadem q. 112, a. 9, *corp.*

nisi qui ejusdem naturæ sit cum adoptante, vel, in casu nostro, saltem consors sit naturæ adoptantis. Hoc tamen consortium nondum est adoptio, neque ex natura rei, siquidem alicujus naturæ particeps proximus quidem ejus est et adoptabilis, non vero eo ipso adoptatus; neque gratia causa formalis est adoptionis: etenim in Verbo incarnato humana natura plenitudine gratiæ creatæ est ornata; si hæc ergo esset causa formalis adoptionis, etiam Filius unigenitus dici deberet adoptatus secundum naturam humanam, quod nefas est dicere.

Igitur gratia sanctificans facit naturam humanam sanctam, hominemque amicum et familiarem Dei, utpote consortem divinæ naturæ, et afficit directe naturam; non vero dat adoptionem, quæ cadit in personam, et quæ præsupponit divinum consortium per gratiam, nec stat sine illo. E contrario, gratia sanctificans stare potest sine adoptione, et facto ita fuit secundum doctrinam plurium Patrum, præcipue græcorum, sub antiquo fœdere ante redemptionem a Christo paractam. Post lapsum, aiunt, non restituit Deus adoptionem in filios Dei primis parentibus, neque eorum posteris, qui quidem gratiam sanctificantem cæteraque dona supernaturalia, ad consecutionem finis necessaria, potiti sunt ex prævisis Redemptoris meritis; filiationem vero adoptivam Dei, sicut et hereditatem regni cœlestis exspectare debuerunt usque ad adventum Christi, puta ad ejus descensum ad inferos, quando nempe eos e limbis eduxit.

Quænam igitur est causa formalis adoptionis? Opinamur eam causam esse unionem mirabilem seu unitum esse *personæ* humanæ cum *persona* divina Spiritus sancti, qui nobis datur non ad agendum, sed ad quiescendum et fruendum, ut supra vidimus ex Rusbrochio. Hæc unio fit in baptismo, magno sacramento (1), quo renascimur ex aqua et Spiritu sancto (2) in filios Dei, ita ut non tantum

(1) Haud mirum Ecclesiam in symbolo in sacrificio missæ recitando specialiter confiteri unum baptisma.

(2) *Joan.*, III, 5.

per infusionem gratiæ remissionem peccatorum et consortium divinæ naturæ recipiamus, sed simul persona nostra ad dignitatem filii adoptivi evehatur. Et, cum personæ sint actiones per naturam suam ejusque potentias, vides quantum omnis activitas supernaturalis personæ hujusmodi, divinæ quasi dignitatis, inde ad altiorem nobilitatem et valorem exsurgat (1). Obvie notemus quantam reverentiam tanta dignitas nobis inspirare debet tum erga nosipsos in corpore et anima, tum erga proximos nostros.

Nonne videtur Deus quasi exhausisse suam omnipotentiam, sapientiam et bonitatem in erigendo regno suo supernaturali? Et tamen quædam tantum elementa, ex præcipuis quidem, ordinis illius divini attigimus.

† G.-J., Episc. Brugen.

(1) Hanc opinionem nostram latius exposuimus apud *Collat. Brugen.*, t. XV, præsertim p. 513 et 673 et sqq. — Et cfr *Geestelijke duif*, p. 151-171.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis augusti-septembris propositas.

—

I.

In Matthæum, XI, 28-30.

Q. *Interpretare* Matth , *XI, 28-30.*

R. Quæ hisce vv. a Jesu edicuntur manifeste tamquam conclusio practica ex præcedentibus consequuntur. Si vere omnia mysteria salutis fuerunt a Patre tradita Jesu revelanda et communicanda, si vere nemo potest nosse Patrem mysteriaque salutis, nisi Filius, Jesus, et cui voluerit Jesus revelare, jam jure compellat Jesus homines ut *ad ipsum veniant* ab eoque doceri se sinant. Speciatim autem invitat eos *omnes qui laborant et onerati sunt*, ii nempe qui dure laborandum habent et a labore fatigati sunt, et qui gerunt onus aliquod intolerabile. Hoc autem, quamvis absolute loquendo intelligi possit de qualibuscumque miseriis vitæ et de onere peccatorum, revera tamen in contextu videtur intelligendum de onere legis mosaicæ omniumque præscriptionum et traditionum humanarum quas doctores judæi legi superaddiderant (1). — *Eos Jesus reficiet,* seu juxta textum græcum, ἀνάπαυσω, requiem præstabit, seu onus humeris ipsorum impositum alleviabit (cfr v. 30), loco oneris judaismi imponendo proprium suum onus christianum.

---

(1) Videtur enim Jesus se opponere illis superbis « sapientibus et prudentibus » de quibus supra, v. 25, dixerat: non ad illos doctores, sed ad me accedite; non illorum, sed meum jugum, meum onus, meam institutionem accipite.

Quod dixerat formula magis vaga: *Venite ad me*, jam dicit in v. 29 magis manifeste, per figuram: *tollite jugum meum super vos*, ad modum quo animalia jugum domini collo suo imponi admittunt. Jugum illud ex usu sacræ Scripturæ (cfr *Jer.*, v. 5; *Eccli.*, XL, 1) et rabbinorum, et ex præsenti contextu intelligitur doctrina et institutio: excusso jugo mosaismi, admittite meam doctrinam et legem; — quemadmodum statim absque figura subjungitur: *discite a me*, seu ad scholam meam accedite, sinite vos per me doceri.

Porro hujus ter repetitæ exhortationis ut ad se tamquam magistrum et moderatorem accedant, statim triplicem subjungit rationem:

Una ratio est: *quia mitis sum et humilis corde;* quæ ratio optime intelligitur in contextu: dum duces vestri mosaici, sic dicti sapientes et prudentes, in superbia sua dure et severe vos tractant, ego contra vos non repellam, sed benigne suscipiam et tractabo (1). — Alia ratio est: *et invenietis requiem* (ἀνάπαυσιν) *animabus vestris;* quod manifeste in memoriam revocat v. 28: et ego reficiam, ἀνάπαυσω, vos. *Animabus vestris*, i. e. per notum hebraismum *vobis*, præstabo requiem a jugo intolerabili mosaismi quod vobis doctores vestri imponunt (2). — Et tertia ratio, quæ cæteroquin secundam demonstrat et explicat: *jugum enim meum suave est et onus meum leve;* quod iterum dicitur in oppositione ad importabile jugum quo auditores Jesu premebantur. Revera doctrina et lex christiana, a tanta mole præscriptionum judaicarum

---

(1) Sensus minime esse videtur ille quem pauci utique post s. Augustinum proposuerunt: discite a me quod mitis sum..., seu: meo exemplo addiscite esse mites et humiles corde. Hoc enim loco Jesus non explicat in qua re consistat sua doctrina, sed quare ad ipsum homines accedere debeant.

(2) Manifeste multis aliis modis requiem nobis præstat Jesus: doctrina sua nos illuminando, ut puta circa miserias mundi earumque æternam mercedem; gratia sua nos roborando; Eucharistiam præstando; gloriam cœli aliquando largiendo, etc. Sed putamus hæc omnia non esse hoc loco intenta.

liberans, juvante divina gratia et alleviante amore cordibus nostris infuso, hominibus est *jugum suave*, gr. χρηστός, i. e. commodum, seu quod bene convenit collo et humeris eaque membra non asperitatibus suis cruciat, et *onus leve* seu facile portabile.

A. Vander Heeren.

II.

De symbolis fidei.

Q. *Indica præcipua fidei symbola et determina valorem eorum ad argumentum theologicum adstruendum.*

R. 1/ Symbola fidei intelliguntur breviores quædam summæ principalium veritatum fidei et tria plerumque enumerantur præcipua : *a*/ apostolicum, *b*/ nicænum, *c*/ athanasianum.

Fusiores quædam summæ, ætate etiam recentiores, professiones fidei potius dicuntur; satis erit indicare professionem fidei tridentinam, quam, cum paucis verbis post concilium vaticanum additis, in codice juris canonici legere fas est.

Summæ breviores, quæ antiquitus etiam regulæ fidei nominabantur (1), postea vocatæ fuerunt *symbola*, quia, uti videtur, tanquam tesseræ seu signa distinctiva habebantur, quibus christicolæ quasi authentice dignoscebantur (2).

---

(1) Vide supra, p. 187, n. 1.

(2) Symbolum (a verbo συμβάλλω) erat objectum quodlibet divisum in partes, quæ committebantur hospitibus aut contrahentibus. Per juxtapositionem (συμβάλλω) earumdem partium heredes hospitum aut mandatarii contrahentium postea sese mutuo dignoscebant. Rufinus, presbyter aquileiensis († 410) hunc sensum jam indicat, ast simul alium suggerit et symbolum confert cum voce συμβολή, id est « collatio », quasi apostoli duodecim singuli unum articulum contulissent; cfr ejus *Comm. in symb. apost.*, 2 (MPL, XXI, 337). Hanc ultimam explicationem tradit s. Thomas, *Sum. theol.*, II-II, q. 1, a. 9, c., dum *Catech. conc. trid.*, *Præf.*, in fine, utramque significationem indicat.

a/ Symbolum *apostolicum*, quod recitatur in officio divino ad matutinum et ad primam, atque in collatione baptismatis ante receptionem sacramenti, certo certius *quoad doctrinam* in eo contentam, ad ipsos apostolos ascendit.

Quod *formulam* spectat, in qua doctrina hæc enuntiatur, de prima ejusdem origine inter auctores multum disputatur.

Duæ noscuntur formulæ *occidentales*, linguæ latinæ: prima *antiquior*, quæ etiam vocatur *romana;* altera *recentior* et paulo longior, quæ et *recepta* aut *gallicana* nominatur (1). Existit deinde formula *orientalis* græca et juxta quosdam criticos oportet adhuc ipsius formulæ latinæ antiquioris admittere *formam græcam primitivam*, in ecclesia romana usurpatam et ipsa forma latina paulo breviorem et procul dubio anteriorem (2).

Controversia versatur circa mutuam dependentiam istarum omnium formularum, circa ætatem, locum ortus et earum auctorem aut auctores. Quidam critici defendunt sententiam, quam legere est apud Rufinum aquileiensem, ubi narrat apostolos, ante suam separationem, contulisse hanc doctrinam, « tanquam breve futuræ prædicationis indicium » (3); alii vero critici, etiam

---

(1) Textum videsis apud *Enchir. Symbol.*, n. 2 et n. 6, cum indicatis fontibus, p. 1 et p. 5 s. Formula antiquior duodecim exhibet articulos; in textu recepto, s. THOMAS, *l. c.*, a. 8, c., jam quattuordecim articulos distinguit, qui tamen ad duodecim facile reducuntur.

(2) Textum formulæ orientalis leges apud *Enchir.*, n. 9, cum indicatis fontibus, p. 6 et p. 10. — Recentius voluerunt ostendere formulam romanam esse compositam ex duobus elementis magis primitivis, uno trinitario, altero christologico; cfr *Revue des sciences phil. et théol.*, XI, p. 304 s., fasc. 2, 1922.

(3) *Comm. in symb. apost.*, 2 (MPL, XXI, 337 s.); ita et *Catech. conc. trid.*, *Præf.*, in fine; cfr etiam CHAMARD, *Les origines du symbole des Apôtres*, apud period. *Revue des quest. hist.*, LXIX, p. 337 s. et LXX, p. 247 s., Paris, 1901; difficultates quas ipsi opponit VACANDARD, *ibid.*, LXX, p. 241 s. — Verba s. Pauli, in I Cor., XV, 3-5 sæpius uti fragmentum antiquissimi symboli proponuntur (cfr A. SEEBERG, *Der Katechismus der Urchristenheit*, p. 45 s., Leipzig, 1903); provocatur etiam ad I Tim., VI, 13 et II Tim., II, 2, 8; IV, 1.

catholici bene multi, hanc opinionem infitiantur et varias proponunt solutiones, quas præ scopo et limite hujus responsionis, indicare et dijudicare non possumus (1).

b/ Symbolum *nicænum*, cujus fundamentum est manifesto symbolum apostolicum, prius compositum fuit, uti nomen indicat, in concilio nicæno, œcumenico primo, a. 325 contra arianos celebrato; eamdem formulam rursus promulgavit concilium constantinopolitanum primum, œcumenicum secundum, a. 381 contra macedonios congregatum.

In hac formula, quæ ad usum liturgicum adaptata nunc adhibetur in Missa, omittebantur quædam verba, quæ signatim excludebant errorem Arii, servatis tamen essentialibus, et addebantur quædam alia ad divinitatem Spiritus sancti magis inculcandam, quoniam Macedonius, episcopus constantinopolitanus, Filium, facturam Patris, Spiritum sanctum fecisse seu creasse docebat (2).

c/ Symbolum *athanasianum* seu « Quicumque », uti a priori verbo sæpius appellatur, in formam psalmi concinnatum, ad primam in breviario reponitur.

Complectitur duas partes bene distinctas: primam trinitariam et alteram christologicam; istæ fuerunt enim quæstiones in ecclesia primitiva præcipue disputatæ.

Critici quasi unanimi consensu nunc illud symbolum

---

(1) Cfr Batiffol et Vacant, v. *Apôtres* (Symbole des), apud *Dict. de Théol. cath.*, I, c. 1660 s. et 1673 s.; Vacandard, v. *Apôtres* (Symbole des), apud *Dict. Apol.*, I, c. 272 s., ubi simul amplam litteraturam circa hanc quæstionem reperies.

(2) Textum vide apud *Enchir.*, n. 54 s. et n. 86 s., cum nota p. 38, de additamento « Filioque », quod primum in Hispania factum est. — De *historia* hujus symboli cfr Hépélé-Leclercq, *Histoire des conciles*, I, 1, p. 442 s. et II, 1, p. 10 s., Paris, 1907-1908; J. Bois, v. *Constantinople* (Conc. I de), apud *Dict. de Théol. cath.*, III, c. 1229 s. — S. Thomas, *Sum. theol.*, II-II, q. 1, a. 9, ad 2m, exponit quod « necesse fuit edere plura symbola, quæ in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat hæreticorum instantia »; deinde q 2, a. 5, c., demonstrat nos teneri *explicite* credere quæcumque in articulis fidei continentur.

s. Athanasio († 373) abnuunt et etiam illud non græcæ sed latinæ esse originis conveniunt, sed deinde de ætate ipsius, de ortus loco atque de auctore inter se maxime dissentiunt (1).

2/ Quoniam theologia est scientia rerum divinarum ex revelatione comparata, *argumentum proprie theologicum* desumitur ex fontibus revelationis, qui sunt Scriptura sacra et traditio oralis. Quælibet veritas quæ ex sacris litteris aut ex traditione certo demonstratur, fide divina credi debet, quoniam a Deo revelata; veritas autem a Deo revelata et qua talis ab Ecclesia ut credenda proposita, insuper fide catholica teneri debet, uti in tractatu de fide fusius explicatur (2).

a/ Jam autem in præcedenti responsione ostendimus symbola fidei esse media traditionis oralis conservandæ, unde in hac formali ratione medii quando considerantur symbola, jam suppeditant *argumentum certum divinæ traditionis;* aliis verbis, ex symbolis fidei certo demonstratur consensum fidei custodum in hæc doctrinæ capita tanquam ad fidem pertinentia quondam obtinuisse aut etiam hanc fuisse fidem communem omnium fidelium seu Ecclesiæ discentis. Quod autem *quolibet temporis momento* ab Ecclesia docente uti verbum Dei proponitur, aut ab Ecclesia discente creditur fide divina, probatur irrefragabili argumento, propter infallibilitatem Ecclesiæ docentis et discentis, esse divinitus revelatum. Omnes veritates igitur in his tribus symbolis contentæ *fide divina* tenendæ sunt (3).

b/ Insuper, uti ex dictis sub 1/ constat: symbolum *nicænum* exhibet doctrinam fidei quam Ecclesia primum in conciliis nicæno et constantinopolitano omnibus

---

(1) Textus prostat apud *Enchir.*, n. 39 s. et p. 17 quædam de controversia notantur; cfr adhuc TIXERONT, v. *Athanase* (Symbole de s.), apud *Dict. de Théol. cath.*, I, c. 2178 s.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XX, p. 10 s., ubi traditur et explicatur notio dogmatis.

(3) Cfr FRANZELIN, *De divina traditione et scriptura*, th. 13, p. 127 s.

fidelibus *solemniter et definitivo modo* credendam proposuit et adhuc nunc proponit (1): symbolum *apostolicum*, etiam si non sit ab apostolis quoad ipsam formulam compositum (2), et similiter symbolum *athanasianum*, licet recentius ætate, quoniam a sæculis adhibentur ab Ecclesia in usu suo liturgico et in doctrina catechetica (3), eamdem semper doctrinam fidei, *exercitio magisterii ordinarii ac universalis*, fidelibus omnibus credendam proponunt. Omnes veritates itaque in iisdem tribus symbolis contentæ *fide divina et catholica* teneri debent et *dogmata* stricto sensu seu *quoad nos* constituunt (4).

H. Lamiroy.

---

(1) Conc. constant. primum est œcumenicum ex approbatione Ecclesiæ subsecuta; cfr Hefélé-Leclercq, *o. c.*, II, 1, p. 42 s.

(2) Sedulo nota symbolum apostolicum, etiam si sit ab apostolis quoad ipsam formulam, ideo non esse divinitus inspiratum sicut Scriptura; neque etiam ab Ecclesia cum libris divinitus scriptis annumeratur.

(3) De usu symbolorum in liturgia cfr Duchesne, *Les origines du culte chrétien*, p. 84 s., p. 175, n. 1, p. 308 s., Paris, 1905[5]; Batiffol, *Histoire du bréviaire romain*, p. 219 s., Paris, 1911[3]; *Collat. Brugen.*, XVII, p. 714 s.

(4) Cfr *Conc. vatic.*, sess. III, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 3 (*Enchir.*, n. 1792) et nota: symbola fidei possunt igitur spectari *uti media quibus traditio oralis conservatur*, et hac ratione ex iisdem arguere possumus, sicuti ex scriptis Patrum, (de quibus in proxima responsione), ut concludamus: tale quid est *divinitus revelatum*; eadem symbola considerare possumus uti *media quibus magisterium Ecclesiæ vivum ac perenne doctrinam revelatam omnibus credendam proponit* et tunc concludimus: talis veritas est *dogma stricte dictum*; ergo talis veritas teneri debet *fide divina et etiam catholica*, nam id solum quod a Deo revelatum fuit potest fieri dogma stricte dictum (cfr *Collat. Brugen.*, XX, p. 131). — Adverte adhuc: quando symbola fidei respiciuntur uti expressio *fidei communis* Ecclesiæ discentis, pariter infallibilis scil. in *credendo*, dependenter itaque ab Ecclesia docente, sub hoc respectu constituunt aliquod *criterium derivatum*, quo traditionem *uti divinam* dignoscimus; criterium vero *princeps*, quo traditio divina a traditionibus humano-apostolicis et mere ecclesiasticis, aut a fortiori ab adulterinis et spuriis certo discernere fas est, quæri debet in doctrina *magisterii* infallibilis.

III-IV.

De contractibus in genere III.

Q. *Applica* pro foro conscientiæ *dispositiones juris civilis supra expositas de contractibus minorennium, interdictorum et uxorum :* a/ *tum casu quo hi* bona fide *contraxerint*, b/ *tum casu* malæ fidei.

R. De vi obligatoria articulorum legis civilis relate ad contractus incapacium, ita primum in genere dicendum est cum *Marres:* « non tantum pro foro externo sed etiam in foro conscientiæ vim et efficaciam habent, quia legislator civilis hasce leges in materia sibi propria pro bono communi juste constituit. Præterea lata est illa lex ad præcavendum præsumptum universale periculum, quod ex hujusmodi contractibus reipublicæ immineret ; ergo non cessat, etiamsi in causa particulari illud periculum non exstet » (1).

Indubium autem est, prorsus inexistentes dicendas esse in conscientia, jam independenter a lege positiva, omnes conventiones cum parvulis initas usu rationis adhuc carentibus, aut cum personis quæ momento contractus amentes fuerint.

Porro, cum utile videatur magis in specie ad practicas devenire applicationes, cumque præsertim casus bonæ et malæ fidei ab invicem apprime distinguendi sint, sic rem proponi posse censemus :

A/ In casu bonæ fidei.

1/ Quod attinet ad hos contractus incapacium quos lex civilis nullos aut rescindibiles declarat, in conscientia privilegio legis frui possunt minorennes, interdicti et uxores, si tamen in contrahendo bona fide fuerint. Proinde, cum hic relativa tantum agatur irritatio : si ex una parte incapaces (eorumve causam agentes) contractui stare voluerint, ex conventione utique obligatur in con-

(1) *De Justitia*, II, n. 117.

scientia altera pars contrahens, quæ ceterum etiam ante rescissionem aut petitionem eorum quorum interest, provisorie contractu frui potest; imo si et ipsa bona fide egerit, conventionis executionem licite rogabit, ut antea notavimus, nec de legali defectu minorennem certiorem facere tenetur (1).

Sed ex altera parte jure suo reclamabit inhabilis, si velit; et ideo etiam initialem contractus executionem, in casu saltem indubio, licite detrectabit; altera pars vero non tantum sententiæ judicis stare tenetur, sed jam tunc soli petitioni minorennis ex caritate saltem acquiescere debebit (2).

2/ Quod autem possunt ipsi inhabiles, possunt etiam tutor et pater et curator, necnon maritus; adde et heredes incapacium (aut mariti) et creditores eorum, modo tamen nec valide jam ratihabita fuerit conventio infirma, necdum præscriptione munita (3).

3/ Non obstat privilegio legis in conscientia adhibendo, si altera pars contrahens etiam bona fide fuerit: ut quæ de minorenne agi aut de uxore non perspexerit, vel legem ignoraverit, vel pecuniam incapaci datam non præviderit fore dissipandam; nam et in hoc juste tuetur

---

(1) Sic « qui horologium absque fraude a minore emit, illud sibi retinere potest, donec vitium contractus ab jus habente proponatur ». MARRES, *ib.*, n. 118.

(2) In casu utique indubio; nam secus potest exspectare sententiam judicis: ut si ageretur de contractu ubi læsio minorennis dubia est, aut dubie sufficiens.

(3) « Si concessio legis nititur in bono communi, v. g. in præcavenda fraudulenta circumventione eorum qui matura deliberatione nondum utuntur, ille, in cujus favorem statuitur rescindibilitas, huic juri renuntiare valide nequit (sic minor tempore minoritatis).

Si concessio facta est in solum favorem privatum, ille, cui facultas rescindendi a lege datur, libere huic juri renuntiare potest; qua renuntiatione facta, licite rescindere non amplius potest in foro conscientiæ, idque, sive in foro externo facultas rescindendi sustinetur sive non.

Sed etsi aliquis eorum, in quorum favorem contractus factus est rescindibilis, juri suo renuntiavit, alii, quorum interest contractum rescindi, id nihilominus postulare possunt ». LEHMKUHL, *Theol. mor.*, I, n. 1272.

legislator inhabilium imbecillitatem, et lex fundatur in præsumptione periculi universalis. Quare etiam non refert si minor, ex contractu nullo propter defectum formalitatum, reapse non fuerit læsus (1).

4/ Imo nec in conscientia obstat si alteri parti ex usu privilegii damnum inferatur, ut facile contingere potest. Nam rescisso contractu, cum legaliter non teneatur inhabilis nisi ad ea reddenda unde ditior factus sit, sæpius fiet ut ipse rem alterius partis inutiliter jam dilapidaverit, dum iste ad totum restituendum ex sua parte obligatur vel a jure ex contractu quæsito totaliter dejicitur (2). Porro, nec illud in conscientia refert, inquam, modo tamen incapax dolo et fraude non sit usus. Hoc enim specialiter intendit legislator, ut inhabiles contra propriam incuriam et inde contra læsiones etiam indirectas protegat (3); nec in casu obtineretur ille finis denegando tantum actionem alteri parti, dum firma maneret in conscientia obligatio restituendi etiam illa quæ inhabilis nec in se nec in æquivalenti jam habet. Itaque nec post majoritatem suam tenebitur in conscientia minor ad restitutionem pecuniæ inutiliter dissipatæ, prout disponit lex (4).

---

(1) Nemo sane negabit reapse existere generale periculum, tum læsionis aut dilapidationis ex parte incapacis, tum abusus ex parte alterius contrahentis.

(2) « V. g. si minor horologium vendidit, horologium rescisso contractu minori semper reddendum est; si minor pretium acceptum prodige consumpsit, emptor illud repetere non potest; potest tantum, si minor acceptam pecuniam adhuc retinet, aut utiliter consumpsit ». Marres, *ib.*, n. 126.

(3) Nec minor bonæ fidei nec ejus parentes tenentur ad solvenda debita quæ ipse contraxerit ad expensas faciendas supra suam conditionem, utputa pro conviviis prodigis, exquisito vino et similibus: « siquidem æquivalenter læsus est minor ab iis qui res hujusmodi ei præstiterunt. Ipse enim, licet illas forsan juste sibi comparaverit, stulte et imprudenter ea emit quæ pro ipsius conditione prorsus nimia essent: quare, qui talia ei vendiderunt, ejus imprudentia vel passionibus abusi sunt, quod ipsa lex civilis cavere voluit ». Génicot, *Casus conscientiæ*, ed. 4a, n. 329.

(4) Itaque « minor qui absque malo dolo pecuniam sibi mutuo com-

5/ Denique, ipsa *promissio* incapacis contractum non rescindendi, etiam per se conscientiam ejus non ligat, cum sit prorsus invalida, utpote bono communi et fini legis adversans. Licite ergo, nonobstante promissione hujusmodi, privilegio suo adhuc utetur inhabilis : per se dico, seu modo hæc promissio in casu veram fraudem non constituat, ut infra dicetur.

6/ Verum, non potest in conscientia inhabilis etiam bonæ fidei ultra legis sensum progredi. Itaque, cum sane legislator nolit ut incapax ex rescissione conventionum ditior fiat, sed tantum ut servetur indemnis, tenetur proinde ille, rescisso contractu, ad ea omnia restituenda quæ in se aut in æquivalenti reapse habeat. Inde v. g. in casu mutui restituere debet pro quanto pecuniam hanc vel adhuc tenet vel saltem utiliter impendit, etiam ad honestas recreationes secundum statum suum : adest enim titulus rei acceptæ, nec læsio existit ex hac parte ; sed in conscientia reddere non tenetur pro quanto pecuniam prodigaliter dissipavit. Et idem dicendum est de solvendis debitis quæ contraxerit minor aut uxor. Nec sane in conscientia liberaretur incapax cui vere profuit contractus, si altera pars hanc utilitatem demonstrare non valeret ; nam, præterquam quod non sit intentio legis incapacem ditescendi, invalida foret in casu sententia judicis repellens alteram partem, utpote fundata in falsa præsumptione facti.

7/ Tandem, quod apprime notandum est, plures dantur casus quibus non applicatur prædicta legislatio. Et primo sane sufficiens ad plenam validitatem datur *consensus* parentum sive tutorum « quando agitur de rebus quæ

---

paravit, et deinde dilapidavit aut qui immodicis potationibus et luxuriose vivendo se ære alieno gravavit, injustitiæ reus haberi nequit, si postquam majorennitatem adeptus est, beneficio legis usus pecuniam illam reddere aut debita solvere renuit. Attamen cum naturalis æquitas postulet ut minores illis qui bona fide sine corruptelæ aut seductionis crimine cum ipsis contraxerunt, illatum damnum reparent, iis suaderi quidem potest, non autem sacramentorum negatione imponi, ut debita illa solvant ». Marres, *ib.*, n. 129.

liberæ pupillorum voluntati omnino dimittuntur, ut esse solent ea quæ ipsi dantur in usus pios vel honestos expendenda... ; quis ambigat... an ingenuus juvenis, etiam infra decennium ætatis, vel stipem largiri valide possit, vel librum fructusve aliquot emere ? » (1).

Secundo, nec in casu *mandati* usuvenit lex nostra. Pro pluribus enim contractibus potest uxor aut minorennis mandatum accipere a marito sive a patre vel tutore, et quidem concorditer cum lege civili : hæc enim nec mandatum incapaci, nec mandatum pure verbale prohibet dari ; imo et tacitum agnoscit, quamvis in casu contestationis ad probationem exigat scripturam, si valor excedat 150 f. Dato autem et acceptato mandato hujusmodi, ipsa lex simul cum jure naturæ obligat tunc mandantem erga aliam partem contrahentem, perinde ac si contractus inter habiles initus fuisset ; modo utique intra limites mandati sui incapax manserit.

Jamvero, quoad res consuetas sustentationi familiæ necessarias, quæ vocantur : dépenses de ménage, habet uxor mandatum viri ; minorennes vero mandatum patris sive tutoris habere possunt quoad plura. Sic : « qui studiorum causa absunt a domo paterna, possunt profecto inire contractus necessarios ut suis necessitatibus provideant. Pariter minores qui, urgente necessitate, quando ad parentes aut tutorem recurrere nequeunt, v. g. morbo laborantes, in regione extranea detenti, etc. mutuum accipiunt, vel ad alios contractus recurrunt, debent profecto iis stare » (2).

In his ergo et similibus casibus, irritatio actus vel a lege non applicatur vel certe in conscientia urgeri nequit, quia profecto juri naturæ contradiceret.

B/ **In casu doli.**

Dolus hic dicitur quæcumque fraus aut fallacia injusta, voluntarie et efficaciter adhibita ad alterius contrahentis

---

(1) Carrière, *ib.*, n. 193. Adhuc tamen posset hujusmodi contractus rescindibilis esse ob læsionem in pretio.

(2) Carrière, *ib.*

consensum per errorem obtinendum. Ita jam « intentio occulta et vere fraudulenta, momento mutui, captandi pecuniam et postea utendi beneficio legis, hæc intentio minorem obnoxium facit sarciendo damno alterius partis; quod sæpe fieri nequit nisi ipsa contractus executione » (1). Sic etiam conscia occultatio nullitatis contractus cum eodem animo rescindendi postea ; aut fraudulenta promissio non rescindendi : si inde altera pars, ut pronum est, in errorem et in contractum inducatur. Pariter si uxor efficaciter finxerit sive consensum mariti sive viduitatem, aut si minor ad obtinendam mutuo pecuniam se ficte dixerit mandatarium tutoris, aut aliam partem deceperit circa suam ætatem aut conditionem : sive hoc falsis documentis fecerit, sive verbis tantum v. g. falsa affirmatione majoritatis, modo inde deceptus sit alter contrahens et in contractum adductus.

Contra, in bona fide versatur incapax si tempore contractus legem sibi faventem ignorabat et sincere quidem conventionem volebat adimplere, dum postea tantum privilegii sui certior factus est; vel etiam si legem noscens, ea tamen uti tunc reapse nolebat, quamvis postea sententiam mutaverit et jam inde nullam partem pecuniæ alterius amplius dissipaverit; et idem valet in casu sinceræ promissionis non rescindendi, de qua supra.

Nec etiam malæ fidei dicendus foret minor qui, ab altera parte metu perductus, contractum donationis promitteret et simul stabilitatem suæ conventionis, ficte tamen et cum animo non donandi : nam in casu nullam injuriam committeret contra jus alterius, sed solummodo contra injustam coactionem seipsum tueretur.

---

(1) Génicot-Salsmans, *Theol. mor.*, I, n. 580, in nota. Hic enim fraus injusta invenitur in ipsa occultatione talis intentionis, unde utique alter decipitur et contrahit. — Sed minus placet id quod initio ejusdem notæ ponitur: nempe simplex mendacium circa majoritatem non impedire usum legis irritantis in conscientia: nam si mendacium istud efficax sit seu alteram partem in errorem et inde in contractum inducat, quid deest ipsi ut sit injustum, scilicet in ratione medii, utpote libertatem contrahendi vel non contrahendi alterius partis efficaciter violans ?

Profecto in conscientia non est par conditio bonæ malæque fidei, cum ex jure naturæ semper habeat deceptus jus strictum ad compensationem damnorum ex dolo injusto causatorum. Nec ceteroquin, ut antea declaravimus, parem facit ipsa lex conditionem utriusque fidei; quamquam demonstrationem fraudis in casu requirat, nec ob bonum commune simplicem affirmationem majoritatis pro sufficiente dolo admittat: in conscientia vero sufficit machinatio injusta quæcumque, etiam quæ probari nequeat, modo dederit causam contractui. Itaque:

1/ Ipsi « minores, interdicti, uxores, qui scientes se contrahere non posse dolo aut fraude falsam contrahendi rationem fingunt et alterum ad contrahendum inducunt, non possunt tuta conscientia beneficio legis frui ad contractum infirmum rescindendum, quia fraude sua alteri contrahenti injuriam intulerunt, quam pro viribus suis reparare debent, stando scilicet contractui, si alter contrahens hanc juris reparationem sibi petit » (1). Et similiter de quocumque dolo dicendum.

2/ Porro, ubi propter dolum contractu tenentur incapaces, eodem vinculo adstringuntur etiam tutores et curatores eorum, nam nec in istorum favorem concessum est privilegium legis, nec nomine suo sed pupilli tantum rescissionem petere possunt; eodem pariter, si res adhuc pendeat, ipsi heredes inhabilium, cum postea in eorum jura et obligationes per successionem transeant.

Pater vero non tenetur ex propriis bonis, nisi et ipse fraudis particeps fuerit, conventiones hujusmodi adim-

---

(1) Markes, *ib.*, n. 122. *Plerumque* scilicet contractui stare debent, quia plerumque non est alio modo reparabile damnum: ut si agatur de debitis contractis, de pecunia mutuo accepta etc. Sed si alia via totaliter reparari potest injuria, non videntur privari beneficio rescissionis, a lege concesso etiam in casu doli, sub obligatione compensandi.

Insuper fieri potest, ubi propter dolum contractus est executioni mandandus, ut non omnes ejus stipulationes debeant observari: ut si minor dolose pecuniam mutuo accepisset ad dissipandum, promittens simul auctarium usurarium; patet tunc sufficere in conscientia si summam reddat cum auctario moderato.

plere, quæ utique absque mandato aut necessitate a filio initæ sint; sed solummodo ex fortuna filii, si quæ sit, debebit reparare injuriam; secus post majoritatem suam filius ipse tenebitur.

Maritus autem inculpatus contractum debito consensu carentem rescindere potest nonobstante uxoris fraude, nam in ejus primario favorem nullitas hæc concessa est, nec propter compartis injuriam ipse jure suo privatur. Verum uxori tunc manebunt, quamprimum poterit, reparanda damna: non sane ex bonis viri neque communitatis, sed postea nempe post dissolutam communitatem, vel etiam statim si bona propria habeat; nec tunc ex justitia maritus restitutioni protinus faciendæ se opponere posset (1).

Verum, si maritus suum consensum prius contractui dedisset, etiam verbotenus tantum, non posset ipsum post conventionem jam retrahere, nec a fortiori negare se dedisse illum; hoc enim casu, cum ipse qua sui juris plenam alteri parti securitatem præbuisset, hanc per injuriam tantum postea tolleret, unde etiam propter suam fraudem jam conventione ligaretur (2). E. Hosten.

---

(1) « Quod ad uxores attinet, obligatione restituendi tenetur uxor, quæ pecuniæ summam mutuo accepit, ut 1° aut sibi, aut etiam ita familiæ, scilicet marito, liberis provideat, ut illud etiam illi profuisse reputari possit; vel 2° quæ malo dolo illam pecuniam sibi comparavit. Neque maritus tuta conscientia impedire potest, quominus uxor illam strictæ justitiæ obligationem adimpleat.

Maritus si, rescisso venditionis contractu, sibi vindicavit rem quæ aut ad dominium commune aut ad privatum uxoris dominium pertinebat, atque ab uxore divendita fuerat absque illius auctoritate, pretium ab emtore solutum restituere non debet, si uxor (sive bonæ fidei, sive malæ) acceptam pecuniam dilapidavit.

Pari modo liberi, qui prædium a matre defuncta absque patris auctoritate venditum, rescisso contractu, sibi vindicarunt, obligatione restituendi pretium ab emptore solutum atque a matre (etiam malæ fidei) dilapidatum non tenentur ». Marres, *ib.*, n. 131 et 132.

(2) A fortiori « si uxor ex *mandato* mariti oretenus dato solutionem debiti accepit, solutamque sibi pecuniam dilapidavit, maritus iteratam debiti solutionem petere non potest, quia maritus qua mandans ligatur actione illa uxoris, quæ qua mandataria illius res gubernavit ». Marres, *ib.*, n. 132.

V.

De confessario pœnitentis conscientiæ laxæ.

Q. *Age partes confessarii cum pœnitente laxæ conscientiæ.*

R. I. Confessarii, qua *judicis*, est tum reitatem sui clientis laxi dignoscere, tum eum rite disponere ad digne suscipiendam absolutionem.

Principia autem quibus dijudicabit reitatem sui pœnitentis hæc sunt (1) :

1° Quoad conscientiam laxam *antecedentem*.

a/ Quotiescumque pœnitens egit cum conscientia *actualiter* seu *advertenter* laxa, toties peccavit, quatenus nempe actu, saltem in confuso, advertit ad insufficientiam motivi cur actionem aut omissionem licitam vel leviter tantum malam æstimat, et voluntarie neglexit media obligatoria quæ sibi præsto erant, reflexionem ac inquisitionem propriam, aut interrogationem prudentum, ad debite efformandam conscientiam suam. Ratio tandem est quia scienter et libere se exposuit periculo violandi legem, nolendo eam inquirere, temerarie elegit suam propriam voluntatem, etiam si sit peccatum, brevi, egit cum conscientia practice dubia (2).

Hoc autem peccatum grave erit quotiescumque agens plene et perfecte, quamvis in confuso tantum, adverterit ac neglexerit periculum transgressionis gravis adeoque et obligationem gravem inquirendi (3). Jamvero laxi

---

(1) Vide bibliographiam *Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 405.

(2) Adverte conscientiam advertenter laxam ut plurimum esse de facto erroneam, et quidem vincibiliter. Sed etiam si per accidens vera esset, adhuc tamen maneret norma agendi illegitima, propter culpabilem negligentiam inquisitionis debitæ: ratio ergo illegitimitatis conscientiæ laxæ eadem est ac conscientiæ vincibiliter erroneæ, de qua in ulteriore responso magis ex professo tractabimus.

(3) Nota igitur etiam in laxo ad peccatum grave committendum requiri advertentiam plenam ac perfectam, quamvis sufficiat confusa. Ubi ergo ob præcipitantiam vel distractionem requisita advertentia deest, gravis culpa in re objective gravi deerit : id imprimis usu venit in homine qui serios conatus facit ad emendandam suam conscientiam laxam.

generatim malitiam suæ actionis in confuso saltem suspicantur: unde plerumque a gravi peccato non excusantur. Prudenti igitur investigatione confessarius certior fiet utrum pœnitens de facto in singulis actionibus aut omissionibus sufficienter attenderit ad malitiam ut gravem reatum contraxerit.

b/ Quodsi pœnitens vel omnino nesciat se esse laxæ conscientiæ, efformans sibi conscientiam ope motivorum insufficientium sed quorum inanitatem, ob defectum instructionis et educationis religiosæ, non advertit, vel si habitualiter quidem laxitatem suam noverit, momento autem quo ponit actum materialiter peccaminosum nullatenus attendat ad insufficientiam motivi sui, ad periculum errandi et ad obligationem inquirendi, in neutra hypothesi actu peccat (1) quia conscientia est actu *inadvertenter* laxa, adeoque defectus rectitudinis judicii ejus est actu invincibilis ac inculpabilis. In altera tamen hypothesi examinabit confessarius utrum actus præsens forte sit imputabilis tamquam voluntarius in causa, quatenus nimirum momento voluntariæ negligentiæ tamquam effectus prævisus adeoque imputatus fuerit. Quodsi nec ita imputari debeat actus præsens, ipsa tamen ignorantia olim voluntaria ut peccatum habituale conscientiam gravat, donec per veram contritionem repudiata ac per diligentiam ordinariam reparata fuerit.

2° Quoad conscientiam laxam *consequentem*.

a/ Confessarius non potest simpliciter fidere pœnitenti laxo ubi ille dicit se nullius peccati gravis conscientiam habere, sed debet ipse, aptis interrogationibus juxta principia modo statuta, pro posse integritatem accusationis procurare.

b/ Ubi autem sese accusat, sed dubitative, præsumptio contra ipsum fiat: in dubio de consensu pleno præstito, præsumendum est hominem conscientiæ laxæ plene

---

(1) Utraque autem hæc hypothesis sat raro contingit.

consensisse, alioquin, nedum dubitaret, ne ullo quidem modo rem recordaretur (1).

Ast, non sufficit confessario procurasse integritatem confessionis, præprimis sollicitus sit oportet ut in hac anima parum sensibili quoad malitiam peccati, excitet detestationem ac dolorem requisitum, scilicet verum, supernaturalem, appretiative summum, ac universalem quoad omnia peccata mortalia, necnon propositum firmum, efficax atque se extendens ad omnia peccata lethalia.

II. *Confessarius qua medicus* imprimis debet prudenti diagnosi certior fieri de existentia, extensione ac gravitate morbi laxitatis, cui ut medeatur apta remedia ac regimen sanativum cognoscere debet.

1° *Signa*. Hæc pauca sed præcipua sufficiant (2):

a/ Accusatio nulla vel evidenter insufficiens v. g. apud pœnitentes qui occasione annuæ confessionis dicunt : nullum malum commisi; nec furtum nec homicidium feci; aut paucas distractiones in orando vel similia tantum confitentur.

b/ Absentia omnis remorsus conscientiæ ac retardatio sacramenti pœnitentiæ donec circumstantia quædam externa quasi cogat ad confitendum.

c/ Defectus omnis doloris de peccatis declaratis ut apud illos qui peccata sua magis defendere quam accusare videntur, qui distracti ac insensibiles exhortationes confessarii audiunt, « qui sibi ipsis fucum faciunt ratiunculis quibusdam, e. g. persuadere mihi non possum Deum tam bonum me æternis suppliciis addicturum esse

---

(1) E contrario, ubi scrupulosus similiter dubitat, pro certo habeat confessarius ipsum non peccasse graviter; ubi homo conscientiæ teneræ serio dubitat de pleno consensu, præsumendus est non plene consensisse.

(2) Recolantur variæ causæ hujus morbi supra descriptæ ex quarum præsentia jam cum probabilitate ad existentiam morbi concludere licebit. Adverte etiam signa indicata non esse infallibilia, nec separatim sed collective esse sumenda.

eo quod carnes die veneris comederim, vel sacrum die dominica omiserim » (1).

2° *Remedia.*

Studium reflexionis seu majoris considerationis, piorum librorum lectio, meditatio de novissimis, secessus sacer; oratio, quotidiana conscientiæ discussio, frequens accessus ad sacramenta, impugnatio tepitatis (2), mortificatio triplicis concupiscentiæ, fuga malorum et conversatio cum bonis.

3° *Regimen practicum.*

a/ Habitualiter cavebit laxus a prima sua æstimatione circa moralitatem actuum suorum, ut ita renitatur contra suam laxitatem ac secundum vera principia conscientiam suam reeducet.

b/ Orto dubio circa liceitatem vel gravitatem actionis ponendæ, id numquam tamquam inane spernet, sed diligentius quam ceteri examinabit.

c/ Stante dubio de gravitate alicujus actionis positæ, non accedet ad sacram communionem nisi prius confessus (3).

Quando pœnitens serio conatur laxam conscientiam emendare, magna patientia et mansuetudine animandus est ad fiduciam ac perseverantiam (4): præprimis advertat confessarius talem pœnitentem in re objective gravi aliquando ob præcipitantiam a peccato gravi excusari. « Quare tunc exstimulanda quidem ejus vigilantia est, ut cautior fiat et post commissam culpam statim doleat, et aut confessione aut contritione securum se reddat, tamen ex altera parte animandus est et edocendus » se

---

(1) Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, I, n. 62.

(2) Lege *Pratique progressive de la confession et de la direction.* T. I, de la tiédeur à la ferveur.

(3) Cfr A. Vermeersch, S. J., *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia*, I, p. 345 sq., n. 388.

(4) Confessarius in ejiciendo dæmonio laxitatis sibi applicet hoc verbum Christi : « Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio ». *Mc.*, IX, 28.

forsan ob imperfectionem actus non contraxisse gravem reatum culpæ (1).

III Tandem, qua *doctor* est, confessarius cum zelo ac prudentia docebit pœnitentem, quem laxum esse comperit, *pericula* status sui. Nimirum conscientia laxa *antecedens*, ut ex supradictis apparet, constituit periculum permanens graviter peccandi et quidem non tantum in re objective gravi, imo etiam in materia levi aut et licita, propter temeritatem quæ tali conscientiæ subest (2). Conscientia laxa *consequens* periculum generat permanendi in statu peccati mortalis (3). Utraque ducit paulatim ad cæcitatem mentis, duritiem cordis, obdurationem in malo, irrisionem pietatis ac virtutis (4).

Ex his autem periculis facile ostendet confessarius gravem esse *obligationem* reformandi, aptis adhibitis mediis, morbum animi tam perniciosum.

Sed, quæris, quandonam urget pro confessario officium movendi pœnitentem laxum de hac obligatione emendandi suam conscientiam? — Breviter respondemus juxta nota principia de instruendo pœnitente quem confessarius deprehenderit laborare conscientia erronea:

1° Quando conscientia pœnitentis est advertenter laxa et quidem hic et nunc ipsi lethaliter mala, confessarius debet semper instruere, quum pœnitens sit actu incapax absolutionis recipiendæ.

2° Quando conscientia est actu inadvertenter laxa aut quando est advertenter quidem laxa sed leviter tantum

---

(1) A. Lehmkuhl, *Theologia moralis*, I, p. 88, n. 139.

(2) « Quia [laxus] agit ex temeritate, in re levi [imo in re objective licita] aliquando graviter peccabit, cum nempe, quovis dictamine prætermisso et contempto, ita moraliter dispositus est, ut etiamsi adverteret actionem esse graviter malam, nihilominus eam poneret » *Theologia moralis generalis.... mechliniensis*, p. 270, n. 112.

(3) « Nam [laxus] peccati commissi non tam facile recordatur, illud contra rei veritatem facilius pro levi habet; hinc reconciliationem cum Deo quærere facile negligit ». A. Lehmkuhl, *o. c.*, n. 138.

(4) Cfr *Theologia moralis generalis.... mechliniensis*, *l. c.*

peccaminosa, *per se* debet confessarius instruere, quotiescumque nimirum ipsi apparet spes fundata fructus ex monitione, nec aliunde graviora mala probabiliter timenda sint. *Per accidens* autem, quando scilicet ex monitione nulla emendatio laxitatis sed obstinatio in iisdem peccatis perpetrandis, quæ deinceps erunt peccata mortalia formalia, aut imo desertio completa sacramentorum et ecclesiæ, aversio a religione prudenter prævideri debent (1), a monendo debet abstinere, excepto tamen casu quo ex suo silentio notabile scandalum. grave malum publicum aut et, ingravescente laxitate, totalem extinctionem sensus moralis in suo pœnitente (2) probabiliter timere debeat: tunc etenim instruere debet.

A. Legrand.

VI.

De vigiliarum origine.

Q. *Quid est vigilia et undenam originem ducit?*

R. Vigilia, in hodierna disciplina, est solemniorum festorum præparatio seu præventio (3) liturgica, qua fideles per officium et missam, aut etiam jejunium, pridie disponuntur ad dignam festi subsequentis celebrationem.

Originem et historiam vigiliæ hodiernæ ita communiter explicant auctores: vigiliæ nostræ universim ortæ sunt ex progressiva anticipatione in diem præcedentem missæ et officii *festi*, quæ olim celebrabantur nocte sequenti. Solutio valde simplex sed quæ nobis videtur erronea, si

(1) Prudenti scilicet interrogatione, diuturna experientia animarum et urgenti invocatione Spiritus sancti poterit confessarius in negotio perdifficili has probabilitates æstimare.

(2) Sicut non posset abstinere a monendo pœnitente quem aliqua bona fide crebro legentem libros prorsus impios deprehenderet, e quibus irreparabilis perversio ejus oriri debet. Cfr Génicot-Salsmans, *o. c.*, t. II, p. 337, n. 372.

(3) In orationibus vigiliarum frequens est verbum *prævenire*; cf. v. g. secreta vig. Nativ. Dni; postcom. vig. Assumpt.; oratio vig. S. Laurentii, Apostolorum, et omnium Sanctorum.

excipias vigilias Paschatis et Pentecostes. Universim enim vigiliæ habent officium *feriale* et missam *pœnitentialem*, sine præfatione aut *communicantes* festo propriis Quærenda igitur nobis est non solum ratio nominis, sed origo tum jejunii tum officii ferialis et missæ propriæ pœnitentialis.

Vigiliam a vigilando nomen accepisse compertum est. Varia tamen fuit, decursu temporis, hujus vocis significatio ecclesiastica. Primævo sensu designabat quamvis nocturnam synaxim liturgicam. Memores enim exempli et iteratæ monitionis Christi Domini (1) conveniebant identidem primi christiani de nocte ut tempus nocturnum totum aut saltem ultimas noctis horas sanctificarent vigilia, oratione, psalmorum cantu et S. Scripturæ lectione et explicatione. Hujusmodi « cœtum antelucanum » (2) absolvere solebant sacrificii eucharistici oblatione. Antiquissimam descriptionem exhibent Actus Apost. xx, 7 ss.

In his ergo habemus primæva germina in unum conjuncta tum officii canonici nocturni, tum liturgiæ Missæ.

Ita sanctificare solebant noctem *ante diem dominicam* (3) necnon ante præcipua festa Domini, præprimis autem *Pascha* et mox etiam *Pentecosten*. Celeberrima et maxime solemnis erat vigilia noctis resurrectionis Domini, quæ certe erat pernoctatio plena (παννύχις) (4) et quam S. Augustinus vocat « matrem omnium sanctarum vigiliarum » (5). Hæc nox tota insumebatur oratione, lectio-

---

(1) Luc. VI, 12; Matth. XXVI, 38-40; XXIV, 42 s.; Marc., XIII, 33 ss.; Luc. XXI, 36; cf. I Pet., IV, 7.

(2) Tertull. *Apolog.* 2; cf. Id., *Ad uxorem*, II, 4: « nocturnæ convocationes ».

(3) Cf. Plinii junioris Epist. X, 96; Act. Apost., XX, 7.

(4) Cf. Tertull., *Ad uxorem*, II, 2: « sollemnibus Paschæ *abnoctantem* »; S. Dionys. Alexandr., *Ad Basilidem Ep. de magno Sabbato*; Priscillian., *Tractat.* 6 (ed. Schepss. p. 80); Lactant. *Divin. institut.*, VII, 19; Hieron. *Comment. in Matth.*, IV, 25.

(5) S. August., *Sermo* CCXIX. Utrum vere pervigilia Paschalis haberi possit ut origo aliarum vigiliarum et notatim dominicalium merito dubitari potest. Nam de his longe antiquiora habemus testimonia quam de illa, quæ probabiliter initio nihil aliud fuit quam vigilia dominicalis solemnior et specialis.

nibus, cantu, præparatione electorum ad baptismum, aquæ baptismalis benedictione et solemni baptismi administratione; deinde circa auroram — horam resurrectionis — in gaudio et cantu alleluia celebrabatur missa festi resurrectionis. Simile quid fiebat in nocte Pentecostes (1).

Similis, licet minus solemnis, inducta est etiam primis sæculis, vigilia in præcipuis *anniversariis seu festis martyrum* (2); quæ celebrabantur generatim ad locum sepulturæ, unde vigiliæ cœmeteriales nuncupatæ sunt (3).

Pace Ecclesiæ concessa, aliquamdiu adhuc floruerunt vigiliæ nocturnæ. Brevi tamen et sensim inducta est notabilis disciplinæ mutatio, unde nomen vigiliæ novas omnino significationes ecclesiasticas accepit.

Ex una enim parte, quum sejuncta fuisset missa ab exercitiis piis præviis, ex quibus ortum erat officium canonicum, cœperunt monachi, sæc. IV, primum in Oriente, dein etiam in Occidente, agere officium singulis noctibus (4): et hæc pars officii canonici nomen accepit *vigiliarum* (5), usque dum decursu temporis retardata versus mane, nuncupata fuerit « matutinum » (6).

---

(1) Festum Natalis Domini — in die Epiphaniæ — Hierosolymis jam sæc. IV exeunte celebratum fuisse cum vigilia novimus ex Eucheriæ *Peregrinatione ad loca sancta* (ed. Gamurrini, p. 82).

(2) PONTIUS, *Vita Cypriani*, 15; RUINART, *Acta Sincera*, *Passio S. Saturnini*, p. 109; HIERON. *Contra Vigilantium*, 9; *Epist. ad Lætam*, 107, n. 9.

(3) Erant etiam vigiliæ stationales, diebus stationum seu feriis IV et VI celebratæ. Sed illæ nihil contulerunt ad vigiliam hodiernam.

(4) Cf. P. BATIFFOL, *Histoire du bréviaire romain*, Paris, 1911, p. 16 ss.

(5) S. BENEDICTI, *Regula*, 8 ss.

(6) Aliud vestigium antiquæ vigiliæ forte invenitur in usu, diu in pluribus ecclesiis servato, celebrandi in nocte vel ad vesperam præcipua Sanctorum festa præcedentem, ante « matutinum » festi consuetum, alterum officium nocturnum quod proprie *vigilium* vocabant, de quo plura accuratius nunc novimus ex *Ordine officii ecclesiæ Lateranensis*, sæc. XII (ed. Fischer, 1916). Generatim erat officium simplex, sine invitatorio, trium lectionum de vita vel passione Sancti, cum duobus responsoriis et *Te Deum*: quo casu agebatur vigilia ante Completorium (cf. op. cit. nn. 33; 30; 32; 262; 268; 279; 280; 289, etc.)

Ex alia parte, frigescente multorum laicorum pietate, videbantur antiquæ vigiliæ et pernoctationes nimis laboriosæ, et interdum ansam præbebant nonnullis abusibus (1). Aliunde jam deesse videbatur ratio ante lucem celebrandi missam, quæ ceteris diebus tempore diurno offerri solebat. Unde nocturnæ vigiliæ in desuetudinem abierunt imo et prohibitæ sunt.

Non ideo tamen evanuerunt vigiliæ exercitia et præparatio ad festa solemniora.

Quædam enim vigiliæ antiquæ *simpliciter anticipatæ sunt in diem præcedentem:* illæ notatim in quibus solemnitates quædam speciales v. g. baptismi aut sacerdotalium ordinationum peragendæ erant.

Ita præprimis totus complexus officiorum noctis Paschatis et Pentecostes celebrari cœperunt citius, ita ut antiqua missa festi jam non mane diei dominicæ (2) sed ad vesperam sabbati celebraretur (3), postea vero ad horam nonam (4); tandem tota cæremonia in tempus antemeridianum sabbati est anticipata. Unde his duabus

---

Ita agebatur præsertim pridie festorum Sanctorum de quibus habent capellam propriam vel insignes reliquias (nn. 262; 271). Pro maximis autem festis, v. g. S. Joannis Baptistæ (n. 276) et Assumptionis B. M. V. (n. 291), cantabantur vigiliæ solemniter, cum concursu populi: et hoc officium erat novem lectionum et cantabatur post Completorium (cf. n. 33). De duplici hujusmodi officio nocturno seu « matutino » agunt etiam *Ordines Romani*, notatim Ordo XI (1135-1140), nn. 15, 60, 63, 67, 69, 72; AMALARIUS, *De ord. antiph.*, 15, 17, 28, 59, 60, 61, 62; RADULPHUS TUNGRENSIS, *De canonum observ.*, prop. XXI, in fine; S. BÄUMER, *Geschichte des Breviers*, p. 340; P. BATIFFOL, *Hist. du Bréviaire romain*, 1911, p. 152-154. Exinde forte originem ducit denominatio officii *duplicis*.

(1) Vigilias, circa finem sæc. IV, injusta acrimonia impugnarunt Jovinianus, Vigilantius, Eunomius; easque energice, pro more, defendit S. Hieronymus, notatim contra Vigilantium, quin tamen omnes abusus neget. Cf. Concilium Illibiritanum (a. 305), can. 35.

(2) « Non ante noctis dimidium » ait S. HIERON., *Comm. in Mat.*, IV, 25.

(3) Juxta Sacramentarium Gelasianum, incipiunt cæremoniam benedictionis cerei « VIII hora diei mediante », et « ingrediuntur ad missas in vigilia, ut stella in cœlo apparuerit » (ed. Wilson, p. 79-84).

(4) Tempore Amalarii in vigilia Pentecostes baptismus conferebatur circa horam nonam (*De ecclesiast. offic.*, IV, 28-29).

vigiliis proprium est ut habeant missam festivam quæ jam celebrat mysterium diei sequentis cum præfatione et *Communicantes* quæ propria sunt Paschati et Pentecostes.

De antiquis *vigiliis dominicalibus* communibus nihil hodie (1) superest. Inter illas tamen Romæ celeberrimæ et frequentissimæ erant vigiliæ noctis sabbatorum Quatuor Temporum (2), quæ dicebantur sabbata in XII lectionibus. Fiebant enim longiores lectiones et cantus aliaque officia quæ circa mane absolvebantur solemni missa, quæ erat missa diei Dominicæ (3). Erant autem hæ vigiliæ tempus ordinationum sacerdotalium : quam ob causam, dum ceteræ vigiliæ dominicales evanuerunt, hæ solæ una cum ordinationibus permanserunt, sed in tempus diurnum anticipatæ sunt (4). Quum tamen non essent præparatio ad aliquod festum, nec nomen vigiliæ servarunt nec indolem vigiliæ hodiernæ induerunt.

Ad *vigilias festorum* quod attinet, in desuetudinem abeuntibus convocationibus nocturnis, substituta sunt alia exercitia.

A sæculo enim maxime quarto apparet tendentia religiose « præveniendi » præcipuas anni solemnitates : quærunt se præparare fideles ad mysterii celebrationem et participationem non solum officiis quæ immediate præcedunt missam festi, sed piis exercitationibus per unam aut plures dies quæ solemnitatem præcedunt.

Exemplum luculentissimum habemus in historia primitiva Quadragesimæ (5); ad celebrandum maximum

---

(1) Olim multum insistebant ut assisterent fideles officio nocturno et vesperis diei sabbati.

(2) Cf. L. Fischer, *Die kirchlichen Quatember*, München, 1914.

(3) Quum illa Dominica tempore diurno non haberet missam diei propriam, vocabatur *Dominica vacat*.

(4) Tunc pro die Dominica composita est nova missa, quæ generatim conflata est ex elementis desumptis ex missis feriæ IV, VI et Sabbati præcedentium: unde in Dominicis post Quatuor Tempora habemus idem evangelium ac die sabbati præcedentis. Cf. *Tijdschrift voor Liturgie*, IV, 1923, p. 371 ss.

(5) Cf. C. Callewaert, *La durée et le caractère du carême ancien*, Bruges, 1920.

mysterium Paschatis, seu mortis et resurrectionis Domini (diebus Parasceve, Sabbati et Dominicæ Paschalis) sæc. III se disponunt fideles sanctificando ceteros dies hebdomadæ majoris, sæc. vero IV per dies quadraginta; a sæc. V jam incipiunt sese præparare ad ipsam Quadragesimam, quæ præparatio extenditur paulatim usque ad dominicam in Septuagesima. Similis ordinatur præparatio ad festum Nativitatis S. Augustinus jam commemorat « diem jejunii Natalis Domini » (1); quæ præparatio postea extensa est ad plures hebdomadas « Adventus ». Hæc autem præparatio complecti solebat tum jejunium aut saltem pœnitentiam, tum orationem maxime publicam (2).

Ex hac tendentia orta est dies vigiliæ hodiernæ, quæ pedetentim supplantavit antiquam vigiliam nocturnam. In præparationem enim ad plura festa Domini et Sanctorum instituta est pridie *dies jejunii*, qualem ante Epiphaniam commemorat S. Chrysostomus (3). Juxta autem antiquam Ecclesiæ disciplinam, quæ semper cum jejunio conjungebat orationem, jejunium solvebat missa, quæ celebrabatur primitus ad vesperam (4), postea ad horam nonam (5). Unde in antiquissimo romano sacramentario Leoniano jam invenitur, inter missas pro festo SS. Petri et Pauli, una missa quæ inscribitur « in jejunio » (ed. Feltoe, p. 46); in prima missa de nativitate S. Joannis Baptistæ agitur « de sollemni jejunio quo beati Joannis Baptistæ natalicia prævenimus » (ibid , p. 28); item adest missa jejunii « pridie Pentecosten » (p. 23) (6).

A sæculo saltem VI cœpit hæc « dies jejunii » nomine

---

(1) *Epistola LXV*, anni 402.

(2) Ideo etiam diebus jejunii et longioris officii liturgici fiunt ordinationes sacerdotales, ad imitationem ordinationis SS. Pauli et Barnabæ quibus manus imposuerunt « jejunantes et orantes ». Act. Ap. XIII, 3.

(3) Citatum ap. *The Catholic Encyclopedia*, v° *Eve of a fcast*.

(4) S. Ambrosius, *De Elia et jejunio*, X, 34.

(5) Cassiodorus, *Exposit. in Psalter.*, præf. « psalmi nobis nonâ ieiunia resolvunt ».

(6) Cf. etiam ibid. p. 51.

« *vigiliæ* » vocari. Ita v. g. *Epistola ad Constantinum*, præfatio ad comitem Pseudo-Hieronymianum, sæc. VI, ait : « incipio a Nona *Vigiliæ* Nativitatis Christi ». Sacramentaria Gelasiana pariter incipiunt a missa « in *Vigiliis* Natalis Domini ad Nonam » (1). Crevit pedetentim numerus vigiliarum (2). Unde dicit *Ordo officiorum eccles Lateranensis* (s. XII) Ecclesiam præcipua festa « missa et jejunio prævenire » (ed. Fischer, n. 291, 292) seu « vigiliam celebrari cum missa et jejunio » (ibid., n. 262). Missa autem ut sponte intelligitur, ex connexione cum jejunio, erat pœnitentialis (3); aliunde, quum esset præparatoria ad festum speciale, habebat formulare proprium adaptatum festo sequenti quod « præveniebat ».

Missa vigiliæ semper cantabatur — sicut hodiedum fit in choro – post Nonam officii quæ olim cantabatur ad horam diei nonam (4). Horæ subsequentes, Vesperæ nempe et Completorium, sicut et Matutinum, ut patet, erant de subsequenti festo, adeo ut officium vigiliæ absolveretur post Nonam. Horæ autem missam præcedentes erant de die jejunii, hoc est, sicut in ceteris diebus jejunii, de officio feriali pœnitentiali, unius nocturni, ritu simplici et cum precibus ferialibus, flexis genibus ad omnes horas persolvendis (5). Quum autem missa vigiliæ

---

(1) Pro Natali Domini, ibidem prostant tres missæ *de vigilia Domini:* ad Nonam, In nocte et Mane prima: sed dum ultimæ sunt de ipso festo, prior est præparatoria ad festum, ut patet ex textibus v. g. adoranda Filii tui natalitia *prævenimus*... ut mentes *præparentur*... *præcurrere* solemnia.

(2) In Sacramentario Gelasiano indicantur 11 vigiliæ.

(3) Unde non raro fit mentio de jejunio; v. g. in vigiliis SS. Joannis et Pauli, SS. Petri et Pauli, S. Andreæ.

(4) Sæculo adhuc XII, in basilica Lateranensi, missa vigiliæ S. Joannis Baptistæ cantabatur ad nonam (*Ordo offic. eccl. Lateran.* ed. Fischer, n. 273).

(5) Ad matutinum vigiliæ Pentecostes quod hodie festive agitur cum tribus nocturnis, cantabantur sæc. adhuc XII mediante, XII psalmi feriales cum tribus lectionibus de homilia in evangelium vigiliæ, sed invitatorium et ceteræ partes erant de tempore Ascensionis (*Ordo officior. eccl. Lateranensis*, nn. 208, 209).

haberet orationem et evangelium proprium, in officio quoque inducta est eadem oratio et lecta fuit homilia in evangelium missæ. Quam regulam sancivit Pius V. Et ita pervenimus ad missam et officium vigiliæ hodiernæ.

C. Callewaert.

De confessario religiosarum extraordinario.

Quæstio sæpius posita apud nos hæc est num religiosæ in nostra diœcesi ad confessarium extraordinarium generalem, de quo can. 521, § 1, recurrere possint, casu quo confessarius ordinarius absens est vel ægrotat; et si negative, num possint saltem recurrere ad unum ex confessariis extraordinariis adjunctis de quibus can. 521, § 2.

Ut huic quæstioni recte respondeatur, oportet prius videamus quid statuat *jus commune* de confessario extraordinario, et quomodo *jus particulare* diœcesis brugensis has præscriptiones ulterius determinaverit.

Codex duplex genus confessariorum extraordinariorum distinguit: alii sunt, qui ab auctoribus dicuntur extraordinarii *generales;* alii, qui extraordinarii *particulares*, *adjuncti* seu *suppletorii* vocantur.

A. De confessario extraordinario generali.

1/ *Jus commune.*

In § 1ª canonis 521 statuitur obligatio dandi « unicuique communitati religiosarum confessarium extraordinarium, qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat, et cui omnes religiosæ se sistere debent saltem benedictionem recepturæ ».

Ex modo quo canon conscriptus est deducere possumus hanc esse mentem legislatoris ut unus idemque sit sacerdos qui munere extraordinarii fungatur saltem quater in anno. Ratio talis præscriptionis hæc assignari potest, ut nempe religiosæ possint, si velint, ab extraordinario quamdam spiritualem directionem accipere modo satis stabili et continuo (1). Legi tamen repugnare non videtur ut semel in anno, puta per exercitia spiri-

(1) Cfr VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome Juris Canonici*, I, p. 219.

tualia, sacerdos qui exercitia tradit, confessiones tamquam extraordinarius excipiat (1)

Quoniam autem codex dicit: « quater *saltem* in anno », nihil prohibet quominus sæpius in decursu anni accedat, sed hoc fiat auctoritate Ordinarii, ad quem spectat frequentiam majorem definire. Quotiescumque autem confessarius extraordinarius *munus suum* explet, omnes religiosæ sese ipsi sistere debent, ad vitandum ne, si tantum paucæ ipsum adeant, eæ quibus reapse ejus subsidium necessarium est, pudore deterreantur. Est enim primum medium a jure introductum ad consulendum libertati conscientiæ religiosarum, stante tamen lege de confessario ordinario habitualiter adeundo, qua legislator unicitatem directionis spiritualis præcipue obtinere intendit.

2/ *Jus particulare.*

De jure autem particulari hucusque vigenti apud nos « confessarii extraordinarii... quater in anno, *non vero sæpius, nisi rogati et debite concessi*, videlicet in singulis hebdomadis quatuor Temporum, aut, iis impeditis, circa id tempus, sese præsentent; eisque tam superiorissæ quam cæteræ moniales (religiosæ) et novitiæ præsentes se sistant. Confessarii vero ordinarii, etiam monialium exemptarum, a confessionibus audiendis tunc omnino abstineant » (2).

---

(1) *Ibid.* Apud nos in statutis diœcesanis statuitur confessariis religiosarum assimilari presbyteros, tum sæculares, tum regulares, auctoritate Episcopi missos ad quarumcumque monialium aut sororum domus, ut ipsis tradant stadium exercitiorum spiritualium (quæ ex can. 595, § 1, 1° singulis annis tradi debent et jam non « singulo ad minus biennio per quatuor vel quinque dies » ut dicit *Congr. prosyn.*, a. 1890, decr. VII); quo durante stadio omnes professæ et novitiæ... his presbyteris legitime confiteri poterunt. *Inde constat prædicatores illos stricte non assumere munus extraordinarii; et proinde ex parte religiosarum non dari obligationem ut omnes sese præsentes sistant, et extraordinarium non deobligari ab officio suo quater in anno adimplendo.*

(2) Cfr *Statuta Diœcesana*, p. 111. Notetur etiam quod præcepit Rev^mus Malou die 30 maii 1854: « ut quoties religiosa graviter decumbit, aut sacramenta exeuntium recepit, a confessario suo extraordinario visitetur ». *Collect. epist. past.*, t. VIII, p. 52.

De jure particulari proinde *tres determinationes præceptivæ* adduntur circa confessarium extraordinarium generalem.

a/ Stricte *limitatur* jus extraordinarii qua talis, ad frequentiam minimam a codice statutam, quatenus ei non permittitur ut plus quam *quater* sese præsentet *tamquam extraordinarius*, cui scil. ex officio omnes præsentes sese sistere debent. Expressis verbis enim statuitur eum non posse sæpius fungi munere suo, nisi intervenerit petitio facultatis Episcopo facta, et legitima Ipsius concessio.

b/ Determinatur *tempus* in quo extraordinarius sese præsentare debet: in singulis nempe hebdomadis Quatuor Temporum, aut iis impeditis, circa id tempus. Ex textu patet quamdam latitudinem hic permitti; non tamen liceret res ita componere, ut extraordinarius duobus vel tribus hebdomadis successivis locum assumeret confessarii ordinarii absentis, et deinde in hebdomadis quatuor temporum officium suum omitteret.

c/ Confessario ordinario prohibetur quominus audiat confessiones *tunc*, i. e. *momento quo* extraordinarius ministerio suo fungitur. Hæc illiceitas a jure communi jam non statuitur (1).

B. **Confessarii extraordinarii adjuncti seu suppletorii.**

1/ *Jus commune.*

Præter confessarium extraordinarium integræ *communitati* oblatum (scil. generalem), vult can. 521, § 2 ut « Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates existunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento pænitentiæ *in casibus particularibus* recurrere eæ facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire ».

---

(1) Inde non potest recurri ad edictum Clementis XI, 12 dec. 1708, nec ad const. *Pastoralis Curæ*, Benedicti XIV, ad illam obligationem urgendam. Cfr A. De Meester, *Juris canonici compendium*. Nova editio ad normam codicis. Brugis, Desclée, 1923, t. II, p. 414; et Bastien, *Directoire canonique*. Brugis, Beyaert, 1923, p. 224.

Licet Ecclesia, intendens unicitatem directionis spiritualis, lege sua communi sapienter constituerit confessarium ordinarium pro unaquaque communitate religiosa; tamen, edocta sæculari experientia, huic legi varia temperamenta attulit ad favendum libertati conscientiæ. Ideo, Ordinariis locorum obligationem imponit designandi, præter confessarium extraordinarium cui omnes indentidem sese præsentare tenentur, quosdam sacerdotes ad quos religiosæ in *casibus particularibus* facile possint recurrere.

Hi confessarii vocantur extraordinarii suppletorii vel adjuncti; *extraordinarii* sunt quia ad eos tantum recurri potest in casibus particularibus; *suppletorii*, quia ex officio quasi, vi specialis approbationis ad confessiones religiosarum audiendas, supplere possunt.

Quid autem sibi velit « in casibus particularibus » non adeo clare constat.

Certum est, et ab omnibus admittitur, hunc casum particularem verificari semper ac una alterave religiosa *ob causam rationabilem* et justam necessitatis vel utilitatis spiritualis, desiderat semel alii, præter confessarium ordinarium, confiteri.

Dico « ob causam rationabilem » nam, ex ipsa redactione canonis, expresse facilitatem præscribentis, apparet hunc canonem non stricte esse interpretandum; et ideo, ut religiosa possit uti hac facultate nullo modo requiritur ut versetur in statu peccati mortalis vel anxietatis inextricabilis; sed casus occurret v. g. ob desiderium confessionem instituendi dum ordinarius absens est, ob majorem facilitatem statum animæ aperiendi tali sacerdoti, ob scrupulum vel seriam tentationem, ob desiderium ferventioris præparationis ad aliquod festum, etc.

Utrum « casus particularis » etiam audiatur de casu non jam respiciente unam religiosam in specie sed totam communitatem, (ut si confessarius ordinarius ægrotet vel absens sit) non concordant auctores. Quidam priorem

casum tantum considerant (1), alii hanc facultatem latissime interpretantur (2).

Hæc tamen facultas in favorem libertatis conscientiæ introducta destruere non potest unicitatem directionis spiritualis ab Ecclesia pro omni domo religiosa intenta, et ideo, religiosæ non possunt constanter ad confessarios suppletorios recurrere, quin unquam confessarium ordinarium adeant; dispositio enim can. 521, § 2 exceptionem tantum legi communi de confessario ordinario constituit, nec ulli religiosæ licet ex c. 520, § 2, sine Ordinarii consensu stabilem sibi constituere particularem confessarium. Proinde, ipsi confessarii extraordinarii suppletorii quando cognoscunt non esse justam causam ad ipsos

---

(1) Cfr FANFANI, *De Jure Religiosorum*, Augustæ Taurinorum, Marietti, 1920, p. 66; AMI DU CLERGÉ, 1923, p. 55; A. DE MEESTER, *o. c.*, II, p. 415; SALSMANS, *Institutiones theologiæ moralis*, ed. 9ª, II, p. 304. In hunc sensum scribit etiam BLAT, *Commentarium textus Codicis*, Romæ, 1919, II, p. 502; minus clare loquitur BASTIEN, *o. c.*, p. 225; ambos casus videtur comprehendere COCCHI, *Comment. in codicem*, Taurinorum Augustæ, Marietti, 1922, II, p. 79, cum ad n. 40 definitionem confessarii extraordinarii tradit, etsi ex ejus explicatione canonis 521, § 2, hoc non clare eluceat.

Hi auctores restringentes facultatem ad casum particularem ex parte ipsius religiosæ nituntur præsertim, et merito ut videtur, textibus juris antiqui ex quibus desumitur can. 521, § 2; et a quibus in dubio non est recedendum (can. 6, 4°). In notis Codicis ad hunc locum quatuor indicantur fontes: imprimis decretum « Quemadmodum » S. C. Episc. et Regul. diei 17 dec. 1890 ad n. IV; deinde duo decreta 17 aug. 1891 et 1 febr. 1892, quæ elucidant quædam dubia exorta circa interpretationem decreti « Quemadmodum », et directe nostram controversiam non respiciunt; ultimo, decretum « Cum de Sacramentalibus » S. C. de Religiosis, diei 3 febr. 1913. ad n. 4, quod dicit: « Unicuique domui religiosæ aliquot ab Ordinario sacerdotes deputentur, quos religiosæ in casibus particularibus, confessionis peragendæ causa, facile vocare queant ». Jamvero sub antiquo jure auctores, ut videtur, hanc facultatem solum his casibus utilitatis vel necessitatis determinatæ religiosæ applicabant. Cfr *Nouvelle Revue Théologique*, t. XXIII, p. 133 et t. XLV, p. 281, nota 5. — *Periodica de Religiosis*, t. VII, p. 89, ad III. — VON HANKIEWICZ, *Archiv für kath. Kirchenrecht*, XCIV (1914), p. 409.

(2) Cfr VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, p. 220; CREUSEN, *Religieux et Religieuses*, Bruxellis, Dewit, 1921, p. 39; PRÜMMER, *Manuale juris ecclesiastici*, Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1920, q. 190, n. 5, p. 249.

recurrendi, in conscientia tenentur ad declinandam confessionem (1).

2/ *Jus particulare.*

Ut confessarios extraordinarios *suppletorios* deputavit episcopus brugensis : « confessarios omnes pro monialibus et sororibus approbatos, modo *et* religiosa *et* confessarius ad eundem pertineant decanatum » (2). « Notandum tamen est eisdem (monialibus et sororibus) non licere e conventu suo exire ut se sistant extraordinario confessario, sed hunc confessarium, si petatur, accedere ad conventum debere » (3); quod Concil. Mechlin. IV rursus determinavit: « nulli religiosæ vel antistitæ fas est, ratione confessionis instituendæ infringere quæ in sacris canonibus et in propriis constitutionibus circa egressum e claustris præscripta sunt » (4).

Addit jus particulare: « Mens episcopi est ut, cum exire nolimus religiosas confitendi gratia, non advocent confessarium e longinquo, sed solum e decanatu ubi actu legitime commorantur, et hoc sensu pertinere debent *residentia* ad eumdem decanatum confessarius et religiosa pænitens » (5). Residentia autem aliquis pertinet ad talem decanatum, quoniam in tali ex officio *munere suo stabili modo* fungi debet.

Summatim ergo apud nos confessarii extraordinarii suppletorii vel adjuncti, qui specialiter ab episcopo sunt approbati ut confessiones religiosarum in casibus particularibus audiant, sunt omnes directores generales religiosarum, plerique parochi, aliique sacerdotes, si qui sint, qui speciali approbatione pro confessionibus religio-

---

(1) *Decret. cit.*, 1 febr. 1892, ad 2m; A. De Meester, *o. c.*, II, p. 415.

(2) *Congr. prosyn.*, 8 junii 1896, decr. IV; apud *Collat. Brugen.*, t. I, p. 386.

(3) *Ibidem.*

(4) Cfr *Acta et decreta Conc. Mechl.* IV, n. 165; cfr etiam Codicis can. 601, 606 et 607.

(5) *Congr. prosyn.*, 1 junii 1897, decr. III; apud *Collat. Brugen.*, 1897, t. II, p. 431.

sarum audiendis muniti existunt, modo et religiosa et confessarius residentia ad eumdem pertineant decanatum.

Sic stabilitis principiis tum juris communis, tum juris particularis, quæ in hac materia applicanda veniunt, ad quæstionem supra propositam sic respondere possumus:

a/ De jure particulari stricto, superiorissa non potest invitare confessarium extraordinarium generalem ut, ad confessiones *totius communitatis* audiendas, locum assumat confessarii ordinarii ægrotantis vel absentis, nisi specialis concessio prævie facta fuerit ab Ordinario loci. Praxis tamen nunc vigens videtur contraria huic præscripto.

Notanda igitur hic omnino venit derogatio juri particulari ab episcopo nuperrime facta. Die enim 19 novembris 1923 sequens statutum edidit: « Derogantes statutis diœcesanis, Parte I, tit. VI, art. VIII, quibus interdicitur confessariis extraordinariis communitatum religiosarum ne *sæpius quam quater in anno*, nisi rogati et *debite concessi* sese præsentent ad sanctimonialium confessiones excipiendas, *permittimus ut id fieri possit quoties confessarius* ultra quindenam, *ægritutidinis aut absentiæ causa* impeditus existat » (1).

Superiorissa ergo vi hujus concessionis potest invitare confessarium extraordinarium *generalem* ut veniat ad confessiones totius communitatis audiendas, modo confessarius ordinarius ultra quindenam *jam* impeditus sit ob causam ægritudinis vel absentiæ.

b/ Nihilominus hæc determinatio juris particularis nullo modo adimit *facultatem religiosæ* recurrendi *in casu particulari* ad confessarium extraordinarium *generalem*.

Infirmatur enim statutum diœcesanum per jus commune, quod can. 521 permittit ut *aliqua* religiosa ob causam rationabilem expostulet confessarium sive extraordinarium, sive suppletorium. Nam, postquam in § 1 egit de extraordinario et in § 2 de suppletoriis, in § 3

(1) Cfr *Epist. pastor.*, n. 234.

ait: « si qua religiosa aliquem ex *iis* confessariis expostulet ». Referenda proinde sunt illa verba ad ambas superiores paragraphos, ita ut extraordinarius generalis inter eos computetur. Nec potest itaque Ordinarius loci prohibere ne sacerdos quem stabiliter ut extraordinarium dedit, vocetur tamquam supplementaris ab aliqua religiosa (1).

c/ Semper licet alicui religiosæ *in casu particulari*, seu ob causam rationabilem necessitatis vel utilitatis spiritualis, recurrere ad unum ex confessariis *suppletoriis*.

d/ Utrum superiorissa possit invitare talem ut audiat confessiones *totius communitatis*, dum ordinarius ægrotat vel absens est, plures auctores silentio prætereunt, et melius negatur (2); non audemus tamen rejicere intrinsecam, nec præsertim extrinsecam probabilitatem opinionis contrariæ (3).

J. Brys.

---

(1) Cfr Vermeersch-Creusen, *o. c.*, n. 497, p. 220.

(2) Cfr supra, p. 471, nota 1. Nisi quis dicat c. 521, § 2 etiam comprehendi casum necessitatis vel utilitatis totius communitatis, hoc sensu quod, ob longiorem v. g. absentiam confessarii ordinarii, apud unamquamque religiosam revera detur ratio recurrendi ad confessarium supplementarem, sed tunc reducitur casus ad sententiam ibidem propositam.

(3) Eo majoris ponderis sunt auctoritates allatæ in favorem sententiæ oppositæ, quod hanc materiam ob varias controversias ex professo intimius perscrutatæ sint.

Miscellanea.

Adnotationes practicae in impedimentum affinitatis.

Notio affinitatis novo jure non parum immutata est. Etenim, sub antiqua œconomia fundamentum hujus vinculi erat copula, quæ matrimonialis vel extramatrimonialis esse poterat et, pro hac diversa conditione sui fundamenti, affinitas legitima vel illegitima vocabatur, imo, diversa erat in linea obliqua extensio impedimenti. Nunc autem prædictum vinculum in solo matrimonio valido et rato fundatur et non distinguunt Auctores inter affinitatem legitimam et illegitimam, quia idem nunc est impedimenti ambitus sive licite sive illicite matrimonium, quod est ejus fundamentum, contrahatur (1).

Perperam tamen concluderes affinitatem jam ad solum forum externum pertinere. Etenim, aliquis habere potest parentes, avum vel patrem (2), imo matrem vel aviam (3), qui in foro externo cognosci nequeunt et hac de causa consanguinitas ejus cum personis, qui in eodem sanguine cum parentibus illis communicant, in hoc foro probari non potest. Jamautem, quia affinitas est vinculum quod matrimonio suo valido et rato contrahit conjux cum consanguineis compartis, quoties quidam ex istis consanguineis in foro externo cognosci nequeunt, affinitas conjugis relate ad hanc partem familiæ compartis constituet impedimentum fori interni.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 399 s.

(2) Casus fere semper obtinet quando Titius, natus ex fornicatione non agnoscitur a patre suo naturali, qui ex nullo publico authentico documento notus est, vel quando avus, pari modo ignotus, non agnovit filium naturalem ex quo Titius natus est (cfr can. 777, § 2). At præsertim ægerrime probatur paternitas quando proles nata est adulterina, ex muliere conjugata: tunc enim ob præscriptum can. 1115, § 1 postulantur evidentia argumenta.

(3) In casu prolis expositiitiæ.

Sequuntur casus aliquot affinitatis fori plerumque interni :

1/ In linea recta : *a*/ affinitas *in primo gradu :*



Bertha, uxor Titii, concepit ex adulterio cum Caio, marito Annæ, Petrum. Quia « pater is est quem justæ nuptiæ demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur » (can. 1115, § 1), consanguinitas inter Petrum et Caium vix non semper occulta erit. Quodsi Anna, Caio defuncto, matrimonium cum Petro contrahere vellet, obstaret affinitas fori interni, in 1° gradu lineæ rectæ, consummato matrimonio. Ecclesia in hoc impedimenti gradu non dispensat, ne tunc quidem, uti videtur, quando affinitas occulta et dubia est.

Non esset cogenda Bertha ad impedimentum manifestandum sive parocho, sive confessario, sive sponsis, ob maximam revelationi conexam sui ignominiam. Prudenter igitur nupturientes in bona fide relinquantur (1). Quodsi malæ fidei sint, non posset parochus nisi ipsis declarare gravem obligationem matrimonio renuntiandi.

b/ Affinitas *in secundo gradu : α*/ primum exemplum sit



(1) Si obstat impedimentum prorsus irremovibile possunt sponsi, impedimenti ignari, nonnunquam relinqui in bona fide, quando scil. hæc non prævidetur disturbanda et ex alia parte gravissima mala ex revelatione impedimenti timentur, v. gr. : si, in casu consanguinitatis

Suzanna, ex adulterio Titii et Berthæ nata, avum habuit Caium et aviam Annam. Caio defuncto, Anna matrimonium inivit cum Daniele, junioris ætatis, et post paucos menses obiit. Daniel novas tunc nuptias celebrare cupit cum Suzanna, reputata, ob can. 1115, § 1, filia Eliæ.

Obstat impedimentum affinitatis fori interni in 2° gradu lineæ rectæ.

Bertha non est cogenda ad impedimentum revelandum, nec etiam Titius, sed pro posse suo matrimonium dissuadere tenentur.

Quodsi nihilominus Bertha v. g. affinitatem parocho revelet, caveat parochus ne disturbet bonam fidem nupturientium et, si eos ob alias rationes a nuptiis avertere nequeat, petat dispensationem a sacra Pœnitentiaria, reticitis veris nominibus. Petat autem eam nomine contrahentium in forma gratiosa concedendam, indicando in supplica nupturientes de impedimento moneri non posse. Attenta consanguinitate inter defunctam et futuram Danielis sponsam vigente illegitima et occulta, attenta impossibilitate monendi nupturientes, inspecto dubio facti quod nonnunquam remanebit circa impedimenti existentiam, obtineri forsan poterit dispensatio quæ, ad normam can. 1047, in secreto Curiæ archivo adnotari debet. Non potest parochus monere sponsos de gratia in casu concessa.

Si dispensatio recusetur, nupturientes qui ignorant impedimenti existentiam in bona fide relinquantur.

Quodsi Bertha revelationem confessario facere contingat, potest ipse de consensu pœnitentis recurrere ad S. Pœnitentiariam, ut supra dictum est de parocho (sed non adnotetur gratia concessa in secreto Curiæ archivo), vel potest Bertham, si ipsa non est invita, ad parochum remittere.

---

illegitimæ, revelanda forent filio illegitima natalia et turpitudo matris. Supponitur rem esse de impedimento dirimente fori interni; cfr Desmet, *Tractatus de matrimonio*, II, n. 716, Brugis, 1920.

β/ Alterum exemplum sit



Anna libera ex fornicatione cum Caio concepit Petrum, quem pater naturalis ut suum nunquam agnovit. Caius postea matrimonium inivit cum Bertha et obiit post paucos annos. Bertha, vidua junior, novas nuptias celebratura est cum Jacobo, Petri filio. Obstat impedimentum affinitatis fori interni in 2° gradu lineæ rectæ.

Petrus, si progenitorem suum naturalem noverit, non debet patrem suum revelatione infamare. Nec Anna suum complicem detegere debet si Caius in hoc loco uti vir honestus notus erat et bona fama fruebatur.

At sæpe fiet ut Anna a Caio derelicta, hujus paternitatem propalaverit cum maximo Caii famæ detrimento, ob rationes valde probabiles ab eadem sparsas, puta : se concubinarie, conceptionis tempore, cum complice suo vixisse, se litteras habere in quibus Caius incidenter suam paternitatem agnoscit.

Fieri etiam potest ut sententia judicis damnatus fuerit Caius ad providendum in sustentatione Petri, ut sponte sua parocho scriptis vel coram testibus suam paternitatem olim agnoverit, ut aliunde ex publico authentico documento pater notus sit.

Jamvero, in hujusmodi adjunctis, si nupturientes a matrimonio averti nequeant, petatur dispensatio et quidem in foro externo casu quo existat publicum civile vel ecclesiasticum authenticum documentum, vel notoria et evidentia dentur argumenta paternitatis Caii respectu Petri ; secus, recurratur in foro interno extrasacramentali et dispensatio, si forte a S. Pœnitentiaria obtineatur, in secreto Curiæ archivo adnotetur.

2/ In linea obliqua : *a/* affinitas *in primo gradu æquali.*



Titius, viduus Teresiæ, filiæ legitimæ Annæ et Caii, novas nuptias celebrare intendit cum Titia, filia adulterina prædicti Caii et Berthæ liberæ.

Obstat impedimentum in 1° gradu lineæ collateralis æquali, in quo, vi indulti S. Congregationis de disciplina sacramentorum diei 20 julii 1922 (1), dispensare valet Ordinarius brugensis « ex gravi urgentique causa quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usquedum dispensatio a Sancta Sede obtineatur » necnon « tempore et in actu Sacræ Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra,.... cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur ».

Impedimentum plerumque forum internum spectabit.

b/ Affinitas *in secundo gradu tangente primum.*



Titius, viduus Rosæ, filiæ legitimæ Teresiæ, quæ matrem habuit Bertham liberam, patrem autem naturalem Caium, maritum Annæ, Titius, inquam, novum matrimonium contrahere cupit cum Titia ejusdem Caii et Annæ filia legitima.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 323.

Obstat impedimentum affinitatis, in 2° gradu tangente 1m, quod fere semper forum internum spectabit, et in quo Ordinarius brugensis dispensare valet in eisdem adjunctis et vi ejusdem indulti de quibus sub *a/*.

Idem impedimentum et in eodem gradu adest in duobus exemplis quæ sequuntur :



c/ Affinitas *in secundo gradu æquali.*

Titius, viduus Paulæ, neptis Caii et Annæ, novas nuptias celebrare cupit cum Titia, filia legitima Teresiæ, prolis adulterinæ prædicti Caii ex Bertha libera. Obstat impedimentum affinitatis vix non semper occultæ.

In hoc impedimento, vi indulti jam pluries citati, dispensare valet Ordinarius brugensis « justa et rationabili ex causa », imo matrimonium, inter Titium et Titiam sine dispensatione adeoque nulliter contractum, non tantum convalidare sed etiam sanare valet in radice : « si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii ».

Quia monitio nullitatis matrimonii renovationem consensus præcedere debet, qui hanc nullitatem revelare nequit sine propria vel patris aut avi infamia, invaliditatem matrimonii detegere non debet et obstat magnum incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus.

Eadem animadversio valet de casu sequenti affinitatis occultæ in eodem gradu 2° æquali.



Titius, viduus Rosæ, neptis Caii et Caiæ, novum matrimonium contraxit (vel contracturus est) cum Titia, filia adulterina Berthæ conjugatæ et Petri, eorumdem Caii et Caiæ filii.

Neque Bertha neque Petrus sponsos de matrimonii nullitate cum infamia propria monere debent.

(*Sequitur*). V. Coucke.

Acta SS. Congregationum

E Sacra Congr. de Religiosis.

Decretum circa moniales in Gallia et Belgio (1).

Religiosæ sanctimonialium familiæ, quæ in Gallia et in Belgio post rerum publicarum conversionem, initio superioris sæculi, iterum coadunari cœperunt, ob nova civilium legum placita talibus in adiunctis constitutæ sunt, ut Apostolica Sedes eas, nec ad antiquam communemque Ecclesiæ disciplinam stricte moniales, nec votorum sollemnium vinculo aut clausuræ papalis lege obstrictas æstimaverit, sed sub Episcoporum auctoritate cum votis dumtaxat simplicibus constitui siverit.

Ad hunc rerum statum referendum est dubium, quod anno 1919 huic Sacræ Congregationi propositum et, approbante s. m. Benedicto XV, resolutum fuit; nihil videlicet innovandum esse circa dependentiam monialium prædictarum ab Ordinariis locorum (2). Cum tamen in ipsa responsione de talium monialium natura et statu nihil determinatum sit et aliunde plures gravesque oriantur difficultates, præcipue cum agendum sit de constitutionibus monialium, quæ regulas Ordinum sequuntur, ad Codicem accommodandis, ita ut pax et tranquillitas monasteriorum turbari facile possit, hæc Sacra Congregatio rem, diligenti studio subiectam, sollemniter definiendam esse censuit.

Itaque EE. PP. Cardinales Sacræ Congregationis Religiosorum Sodalium Negotiis præpositæ, in generali cœtu ad Vaticanum habito die 1ª iunii huius anni, re mature perpensa, censuerunt supplicandum SSmo ut declarare et, quatenus opus sit, decernere dignaretur:

I. In Gallia et in Belgio moniales monasteriorum quæ regulas Ordinum Regularium profitentur, seu quarum

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 357 s.
(2) *Ibidem*, XI, 1919, p. 240.

vota ex instituto sunt solemnia, quamvis vota dumtaxat simplicia emittant, esse vere moniales iuris pontificii ad sensum can. 488 § 7, prout ceteræ moniales in Ecclesia universa.

II. Ea tamen monasteria Superioribus Regularibus, salvo peculiari privilegio, minime esse subiecta, ideoque ad normam can. 615 exemptione non gaudere, sed esse Ordinariorum locorum iurisdictioni subiecta in iis quæ canones Ordinariis ipsis circa moniales attribuunt.

III. Nihil vero obstare in præsenti quominus, si quod monasterium id postulaverit, vota sollemnia, servata clausuræ papalis lege, moniales emittere queant, dummodo id ab Apostolica Sede obtineant.

Facta autem SSmo D. N. Pio divina Providentia PP. XI de omnibus relatione in audientia habita ab infrascripto P. Abb. Secretario die 4 eiusdem mensis iunii, Sanctitas Sua præfatas declarationes seu decreta ut supra approbavit et confirmavit, amplissima quoad præteritum, quatenus opus sit, concessa sanatione ; ac præsens decretum publici iuris fieri mandavit. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romæ, ex Secretaria Sacræ Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium præpositæ, die 23 iunii 1923.

C. Card. Laurenti, *Præfectus.*

L. † S. Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B., *Secretarius.*

Adnotationes.

Ad 1m. Can. 488, § 7 declarat *veras moniales esse religiosas quarum vota ex instituto sunt solemnia, quamvis pro aliquibus locis ex S. Sedis præscripto sint simplicia.* Dubium vero remanebat circa interpretationem dandam verbis : *ex instituto solemnia.* Inde Conc. Mechliniense declaraverat : « Singuli locorum Ordinarii accurate determinent quænam religiosæ in sua diœcesi sint moniales, id est quarumnam vota sint ex instituto solemnia » (1). Dubium nunc per authenticam declarationem solvitur, in sensum quo plerique auctores jam docuerant. Porro in Belgio inter moniales veniunt Benedictinæ, Trappistinæ, Carmelitanæ, Visitandinæ (antiqui ordinis) (2). Confirmatur inde

(1) *Acta et Decreta Conc. Mechlin.* IV, n. 160.
(2) Cfr *Collat. Gandav.*, t. X, p. 146.

quod Conc. Mechlin. dixit: « Omnes religiosæ, etiam quæ veniunt nomine canonico *monialium*, quales sunt Carmelitanæ, Clarissæ seu Colettinæ, Cappucinæ et quædam aliæ, juxta iteratas Sanctæ Sedis declarationes, simplicia tantum vota, non vero solemnia, in Belgio emittere valent » (1).

Ad 2m. Ex declaratione S. Congr. de Religiosis, die 22 maii 1919, quoad dependentiam horum monialium ab episcopis in Belgio, deduxit Conc. Mechlin.: « Salvo speciali Indulto Apostolico, omnes Belgii moniales immediate jurisdictioni Ordinarii loci, non autem Superiorum religiosorum, subjiciuntur. Quæ dependentia apud nos post monialium restauratione abhinc uno sæculo et amplius observata est, nec quidquam in hac re, novo codice juris canonici promulgato, innovandum est. Ordinariis igitur locorum monasteria monialium subsunt sicut religiones juris diœcesani, cauto tamen quod nulla potestas sit Episcopis ad immutandas regulas antiquorum Ordinum aut constitutiones monialium a S. Sede adprobatas » (2). Ex præsenti autem decreto patet, quod quidam contendunt antea jam fuisse indubium (3), moniales Belgii et Galliæ non amplius episcopis subesse sicut religiosæ juris diœcesani, sed ad normam codicis, prout monialium dependentia, pro diversis materiis in respectivis canonibus determinatur. Ex una parte enim hae moniales pertinent ad religionem juris pontificii; et ex alia parte sunt revera moniales, et proinde eis applicandi veniunt canones circa moniales, non circa religiosas juris diœcesani, nisi contrarium probetur, v. g. ob rationem votorum simplicium.

Ad 3m. Hæc declaratio nata est essentialem modificationem afferre monasteriis monialium in Belgio et Gallia, quorum status juridicus inde fere similis evadet statui monasteriorum juris communis. S. Sedes declarat sese concessurum esse monasteriis quæ id postulaverint jus emittendi vota solemnia, modo servetur lex clausuræ papalis his votis annexa. R. Pontifex tamen non invitat moniales ad id postulandum, sed sibi reservat jus quamcumque petitionem examini subjiciendi. Ne ergo illis

(1) *Acta et Decreta Conc. Mech.*, n. 160.
(2) *Ibidem*, n. 161.
(3) Maroto, *Commentarium pro religiosis*, Nov. 1923, p. 335.

consilium forte petentibus imprudenter consulatur ut hoc postulent, sed præprimis nitide eis inculcetur quinam sint effectus juridici hujus mutationis in votis, et introductionis clausuræ papalis.

J. Brys.

E Sacra Pœnitentiaria Apostolica.

CONCESSIO INDULGENTIÆ (1).

Die 15 iunii 1923.

Ssmus Dominus Noster D. Pius div. Prov. Pp. XI, in audientia, infrascripto Cardinali Pœnitentiario Maiori impertita, benigne concessit, ad augendam fidelium pietatem erga Ssmum Sacramentum, Indulgentiam partialem trecentorum dierum, lucrandam ab iis, qui, templum ingressi, ante omnes alios pietatis actus, ad altare, ubi Ssma Eucharistia asservatur, se contulerint, ibique, saltem corde contrito, Ssmum Sacramentum vel breviter adoraverint. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

O. Card. Giorgi, *Pœnitentiarius Maior.*

L. † S. S. Fagiolo, *S. P. Secretarius.*

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XV, p. 562.

Acta episcopalia.

DECRETUM.

In ecclesiis parochialibus et oratoriis publicis prælegatur in omnibus Missis, Dominica proxime sequente acceptam notitiam hujus, sequens decretum, quod etiam notum fiat in conventibus religiosorum et religiosarum.

Ubi solet prædicatio fieri lingua gallica, idem dicatur gallice.

Aan de geestelijkheid en geloovigen van het bisdom Brugge.

Onlangs is een proces ingezet geweest tot zaligverklaring van de eerbiedweerdige Moeder Joanna van Jesus, in de wereld Joanna de Neerinck, geboren te Gent, den 3 Augustus 1576, gestorven in geur van heiligheid te Limburg, den 26 Augustus 1648. Zij was stichtster van de Zusters Penitenten-Recollectienen, en stichtte of hervormde veel kloosters in België. Deze orde telde hier, wat het tegenwoordig bisdom Brugge betreft, vier kloosters: Brugge (1645), Veurne (1640), Nieuwpoort (1629) en Diksmuide (1662).

Wij verzoeken onze priesters en diocesanen, die geschreven of gedrukte documenten nopens het leven en de werkzaamheid van vermelde Dienares Gods bezitten of kennen, deze te willen kenbaar maken in het klooster der Penitenten-Recollectienen, te Assesse (Provincie Namen).

Gegeven te Brugge, in ons bisschoppelijk paleis, den 30 November 1923.

† G.-J. Bisschop van Brugge.

Notæ Bibliographicæ

Pourrat, P. *La spiritualité chrétienne.* II. Le moyen-âge. Paris, Gabalda, 1921. — In 12, XI-521 p. — Pr. 10 fr.

Dans un compte rendu précédent, nous avons fait l'éloge de la 1re partie de l'œuvre du supérieur du grand Séminaire de Lyon, et nous sommes convaincu que l'apparition de cette seconde partie sera saluée avec joie par ceux de nos lecteurs qui ont acquis le 1er volume.

Le moyen âge ascétique et mystique se présente comme une vaste forêt, d'une vitalité puissante, mais particulièrement touffue. L'auteur s'est proposé comme but de nous y frayer un sentier qui permette de la parcourir sans nous y égarer et qui serve de point de repère à des investigations plus approfondies (1).

L'A. étudie la spiritualité successivement dans les quatre grandes familles religieuses du moyen âge, qui sur une doctrine substantiellement la même ont empreint un caractère particulier conforme à leur esprit propre. Au début du moyen âge c'est l'école *bénédictine* qui règne en maîtresse. S. Bernard, abbé de Clairvaux, lui ajouta un éclat incomparable et lui imprima comme caractère dominant, son dédain pour la spéculation et ses préférences pour la dévotion affective et pratique vouée en particulier aux mystères de la vie de Jésus. A côté de lui, dans la même école, brille s. Anselme; après lui citons Joachim de Flora en Italie, mystique exalté, prophétisant les malheurs de l'Apocalypse; en Allemagne s. Hildegarde, s. Elisabeth de Schoenau, s. Gertrude-la-Grande, s. Mechtilde de Hackeborn, s. Mechtilde de Magdebourg; en Suède, s. Brigitte; en Belgique, Louis de Blois. — A l'encontre de l'école de s. Bernard, l'abbaye des *chanoines réguliers* de S. Victor, à Paris, inaugure la mystique spéculative, basée sur le symbolisme de Platon, repris par s. Augustin et Denys l'aréopagite. Les principaux représentants de cette école furent Hugues, Richard et Adam de Saint-Victor. — L'école *dominicaine* s'identifie avec la spiritualité spéculative du moyen âge, d'ordinaire savante et à peu près complètement construite sur la théologie scolastique. Son plus illustre représentant est l'Ange de l'école, s. Thomas d'Aquin. Citons encore de cette école, s. Vincent Ferrier, Jérôme Savonarole, le peintre mystique Fra Angelico de Fiesole, s. Catherine de Sienne et en Allemagne, Albert le Grand (2), maître Eckart, malheureusement teinté

(1) Cfr Préface, p. 1.

(2) A qui l'auteur attribue encore le *De adhærendo Deo.* Mgr Grabmann a prouvé dans la *Theologische Quartalschrift*, 1920, que l'auteur en est le bénédictin Jean de Kastel. Cfr Mgr GRABMANN, *Wesen und Grundlagen der katholischen Mystik*, p. 21.

de panthéisme, Jean Tauler et le Bienheureux Henri Suso. L'À. y rattache notre bienheureux Jean van Ruysbroeck. — Enfin l'école *franciscaine*, dont le fondateur s. François d'Assise, aimait fort peu la science théorique, mais à laquelle s. Bonaventure donna sa note distinctive en transformant la théologie scolastique en science affective. Deux grandes mystiques italiennes illustrent cette école, s. Angèle de Foligno et s. Catherine de Bologne.

Vers la fin du XIVe siècle, par réaction contre la spiritualité spéculative, naquit dans les Pays-Bas la *devotio moderna* de Geert Groot, des *Frères de la vie commune*, et des *Chanoines réguliers de Windesheim* (1). Elle s'attache à une doctrine spirituelle empirique, réduite à des pratiques et formulée en sentences détachées: nous en trouvons la plus belle expression dans l'*Imitatio Christi*.

L'A. traite enfin brièvement de ce qu'il appelle l'école carthusienne, avec s. Bruno, Ludolphe de Saxe ou le Chartreux, Denys le Chartreux, Jean Lansperge ou Landsberg et Laurent Surius: cette école ne présente aucune forme spéciale de spiritualité; elle résume les enseignements et incarne l'esprit de la spiritualité scolastique.

Nous ne nous attarderons pas à relever des défauts d'ailleurs inévitables dans une œuvre d'une telle envergure, qui est à la fois un courageux essai de première exploration dans une région mal connue (2). Force nous est bien cependant d'exprimer un regret: l'A. tout en se dégageant quelque peu de l'influence de Mgr Puyol dans la question de provenance de l'*Imitatio Christi* (3), s'est cependant trop laissé fasciner par son étalage d'érudition et a par là sous-estimé les arguments traditionnels qui plaident en faveur de Thomas a Kempis. La conclusion qu'une étude ultérieure modifiera certainement est: « L'Imitation demeure donc un écrit anonyme ». L'auteur dont nous ne connaîtrons sans doute jamais le nom « appartenait presque sûrement à la congrégation windésémienne (4). A cette conclusion découragée, opposons celle de M. Vacandard qui dans sa dernière série *Études de critique et d'histoire religieuse*, d'accord avec les critiques les plus prudents, incline à penser que la paternité de l'Imitation doit être attribuée à Thomas a Kempis (p. 212).

Finissons en félicitant l'A. d'avoir enrichi la littérature ascétique et mystique d'un ouvrage de première utilité tant pour l'étude ultérieure de cette branche de la théologie que pour l'édification du commun des lecteurs.

---

(1) Cfr *Collat. Brug.*, f. XVII, p. 657 ss., p. 706 ss.

(2) On trouve un relevé des principaux desiderata dans le compte rendu d'ailleurs très bienveillant de M. Viller dans la *Revue d'ascétique et de mystique*, 1922, p. 73 ss.

(3) E. Puyol, *L'auteur du livre de Imitatione Christi*.

(4) Cfr p. 397.

Lehodey, V. *Les voies de l'oraison mentale.* 5e éd. Paris, Gabalda, 1912. — In 8, 425 p.

Le docte et pieux abbé de la Trappe de Briquebec se défend de vouloir faire un ouvrage de polémique sur toutes les questions controversées au sujet des voies de l'oraison: son livre est avant tout pratique et non scientifique. Comme tel il mérite les plus grands éloges et est appelé à rendre aux âmes les plus grands services. Il traite dans une 1re partie de la prière en général, sa notion, les conditions requises et les obstacles, les consolations et les aridités; dans une deuxième partie il expose les trois formes d'oraison commune, la méditation, l'oraison affective et l'oraison de simplicité; enfin la dernière partie traite des oraisons mystiques. Celles-ci sont considérées d'abord en général; ensuite les quatre degrés classiques de la contemplation passive, quiétude, union simple, extase, union transformante, sont étudiés en particulier.

Voici la description que l'A. donne de la contemplation mystique en général: «L'oraison mystique est une contemplation passive, manifestement surnaturelle, infuse et passive, où Dieu qui fait généralement sentir à l'âme sa présence, est ineffablement connu et possédé dans une amoureuse union qui communique à l'âme le repos et la paix et exerce une influence sur les sens » (1).

Parmi les ouvrages pratiques sur l'oraison parus dans ces derniers temps, le livre de Dom Lehodey est certainement un des meilleurs; aussi nous n'hésitons pas à le recommander sans réserve à tous les directeurs d'âmes, qui à leur tour pourront sans aucun danger le mettre entre les mains de leurs dirigés.

Pègues, Th. (O.P.). *Commentaire français littéral de la somme Théologique.* T. XIV. Les états. Paris, Téqui, 1921. — In 8, XII-654 p. — Fr. 30.

Le savant dominicain, actuellement régent des études à St Maximin (Var), achève dans le présent volume son commentaire sur la II-IIae. Comme on le sait toute la seconde partie de la somme de s. Thomas traite de notre retour, libre et surnaturel, à notre première source et dernière fin. Ce retour s'opère par l'acte humain surnaturel. Jusqu'ici cet acte avait été étudié dans ses conditions générales, puis dans le détail de ses espèces, mais toujours selon la condition commune à tout homme. Dans les questions 171 à 189 qui forment l'objet de ce volume, l'acte humain est considéré selon les différentes conditions de vie, ou états, qui divisent les hommes en groupements spéciaux; de là le sous-titre du livre. Il faut noter cependant que le mot: états, se prend dans un sens élargi. Les huit premières questions etudient le don de prophétie; les quatre suivantes traitent des diverses vies, contemplative et active; les dernières exposent les états de perfection, l'épiscopat

(1) Cfr p. 295 sv.

et la vie religieuse. Il serait fastidieux de répéter à propos de chaque volume du P. Pègues les mêmes éloges que sa grande œuvre mérite: il nous faut cependant signaler d'un mot l'importance de ce volume dans l'étude de toutes les questions relatives soit à la contemplation active et passive, soit à l'état de perfection. Sur les différents degrés de l'oraison on lira avec plaisir les passages suivants, p. 202 ss., 216 ss., 266 ss., 272 ss., 306 ss. D'autres questions actuelles sont exposées avec plus ou moins d'ampleur: sans parler du féminisme, p. 167 ss., soulignons la distinction au sens de s. Thomas entre *intentio habitualis* et *virtualis*, p. 346 n., la comparaison entre la perfection du clerc séculier et du religieux, p. 377 ss., la notion de la vocation, p. 411 n., et p. 600 ss., l'excellence respective des divers ordres religieux, p. 581 ss.

Remarquons pour finir comment chez s. Thomas la théologie morale s'achève et s'épanouit tout naturellement en théologie ascétique et mystique. A admirer la beauté de cette synthèse magnifique nous ne pouvons que regretter davantage la séparation violente introduite par les auteurs modernes entre la morale inférieure: « *si vis ad vitam ingredi, serva mandata* », et la morale supérieure: « *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes... et veni, sequere me* » (1).

Farges, A. (Mgr). *Autour de notre livre: Les phénomènes mystiques.* Réponses aux controverses de la presse. Paris, chez l'auteur, 43, rue Madame, 1922. — In 8, 106 p. — Pr. 3,50 fr.

Voici brièvement résumée la doctrine essentielle exposée dans « Les phénomènes mystiques » et défendue, précisée et renforcée dans la présente brochure. Outre la vision de l'essence divine, qui est possible et transitoire, il y a deux contemplations. L'une se fait passivement par espèces infuses, l'autre activement et sans infusion d'espèces. La première est appelée par excellence infuse, passive, et est plus ou moins analogue à celle des anges; elle est extraordinaire, strictement mystique, surnaturelle quoad substantiam et quoad modum: personne ne peut y prétendre. Les espèces infuses sont ou bien humainement intelligibles accompagnées d'images sensibles, ou bien surhumaines, sans images sensibles, et plus strictement angéliques. C'est par ces espèces que l'âme prend conscience de Dieu agissant en elle, qu'elle a, comme par des sens spirituels, la sensation immédiate de sa présence et de ses opérations en elle. La seconde se fait par les concepts de la raison et de la foi, normalement abstraits des choses sensibles: elle est ordinaire, active ou acquise, produite par l'effort humain secondé de la grâce ordinaire et de la lumière des dons du s. Esprit, surtout d'intelligence et de sagesse. Faisant la transition entre ces deux modes de contempler Dieu, il y a une contemplation mixte, sans espèces infuses, mais par combinaison surnaturelle d'espèces préexistantes.

(1) *Mt.*, XIX, 17, 21.

Seule la contemplation active ou ascétique est accessible à tous. Tout lecteur impartial doit rendre hommage aux qualités du polémiste: sa défense est claire, ordonnée, logique, vigoureuse. Mais comme il s'agit ici d'une discussion à trancher avant tout par la tradition, la qualité maîtresse qu'on exige est la fidélité scrupuleuse à reproduire les textes et une critique d'interprétation rigoureusement exacte. Or, nous le disons à regret, l'ardeur de la lutte voile parfois légèrement le regard de l'auteur, soit dans la lecture, soit dans l'interprétation des textes qu'il cite (1); de là certaines erreurs, accidentelles sans doute, mais qui donneront prise à de nouvelles critiques et qui empêchent la pleine confiance du lecteur.

A. Legrand.

Perennes, H. *Les Psaumes traduits et commentés.* Saint-Pol-de-Léon (Finistère), 1922. — In 8, XXII-320 p.

Id. *Les Psaumes dans la Liturgie Romaine.* Quimper, 1923. — In 8, 112 p.

Monsieur l'abbé Pérennes, professeur d'Écriture Sainte au Séminaire de Quimper, a voulu « être utile à ceux qui, chaque jour, récitent l'Office divin ». Et nous sommes convaincu qu'en effet à ce point de vue l'ouvrage que nous signalons ici aura déjà rendu, et rendra certainement encore des services éminents. Dans l'introduction, assez succincte d'ailleurs, l'A. expose la méthode qu'il a suivie, donne le texte du décret de la Commission Biblique sur les auteurs des Psaumes et l'époque de leur composition, et fournit quelques données au sujet de la formation et de la division du Psautier, des diverses classes de Psaumes, des différents textes, etc. Suivent la traduction et le commentaire. La traduction a pour base le texte massorétique, contrôlé et amélioré à l'aide des versions anciennes, particulièrement de la version des LXX. C'est à bon droit, croyons-nous, que l'A. s'est montré très réservé au sujet des résultats d'une critique qu'après d'autres il appelle la *critique chirurgicale*, et qui consiste à amputer comme interpolations tardives des vers ou groupes de vers qui font quelque difficulté. De même l'A. est d'une rare prudence à proposer soit des corrections du texte, soit des transpositions de textes, basées uniquement sur des raisons d'ordre interne. Pour la distinction et la répartition des strophes, l'A. s'est laissé guider par les principes exposés jadis par le R. P. Condamin dans son commentaire du Livre d'Isaïe. — Le commentaire — idée générale du psaume, notes textuelles et

(1) Aux exemples trop nombreux allégués par le R. P. J. de Guibert dans la R. A. M., 1923, p. 96-97, nous devons encore ajouter le renvoi à Mgr Waffelaert, p. 51, n. 1. Quant à l'interprétation, nous regrettons l'emploi de ces ajoutes glissées dans le texte, entre parenthèses, là où il ne s'agit pas du simple rappel d'un mot sous entendu, mais où on fait de l'exégèse personnelle parfois discutée.

notes d'interprétation — tout en étant peu étendu, sera néanmoins suffisant pour le but que l'A. s'est proposé et est d'ailleurs avantageusement complété par « une traduction qui ne laisse guère de difficultés » (P. Condamin dans la Préface) et par une heureuse disposition typographique.

Le second ouvrage de M. P. peut être considéré comme une annexe au premier: il signale et justifie brièvement les applications que les différents psaumes ont trouvées dans la liturgie romaine, principalement dans l'Office et le Bréviaire. — Nous souhaîtons la plus large diffusion à ces deux ouvrages.

Van Tichelen, Th. *S. Paulus.* Antwerpen, Geloofsverdediging, 1923. — In 8, 504 bl. — Pr. 15 fr.

Ongetwijfeld zullen onze lezers reeds kennis gekregen hebben van het jongste werk van E. H. Van Tichelen. Ook wij durven het ten warmste aanbevelen, als een gewrocht waarin de machtige figuur van den wereldapostel Paulus in een heerlijk licht gesteld wordt.

Al heeft S. niet een voorwoord geschreven om zijn standpunt uiteen te zetten, blijkt het alras uit de lezing van het boek, dat hij niet beoogde te pralen met een vertoog van belezenheid en boekenopsomming, noch met het uiteenzetten van betwiste vraagstukken; toch zou het o. i. niet misplaatst geweest zijn hier en daar in voetnota met een paar woorden de bijzonderste dezer vragen aan te duiden. Wat S. bedoelde en waarin hij meesterlijk slaagde was de vele gegevens die Schriftuurstudie, historische en aardrijkskundige, ook wel persoonlijke ondervinding hem verstrekten nopens Paulus zelf, den tijd en de wereld, de menschen en de natuur waarin hij leefde, niet koudweg op te sommen, maar tot een geheel te verwerken en, met behulp van een forsigen en eigenaardigen stijl en een stoute verbeelding, vóór onzen geest en onze oogen te doen leven: men leest het boek als een boeiend roman. En wel juist om de voortreffelijkheid van deze voorstelling, betreuren wij het dat S. den tekst der zoo belangrijke en aan gedachten en gevoelens overvolle brieven van Paulus niet wat nader toelichtte, — al is het dan ook waar dat het boek veel omvangrijker zou geworden zijn.

Id. *In den Patriarkentijd.* Leuven, vlaamsche Boekenhalle, 1923. — In 8, 144 bl.

Een belangwekkend boek dat ons verplaatst tot de tijden toen Abraham, Isaak en Jakob leefden in 't land van Kanaan. Steunend op de gegevens van het boek Genesis en op de uitkomsten die ook de profane wetenschap, inzonderheid bij middel van de opgravingen in Palestina aanbrachten, geeft S. een overzicht van land en volk, woonplaatsen, openbaar en bijzonder leven, bedrijvigheid, godsdienst en zeden van die aloude bewoners van Kanaan. — Zakelijke en klare uiteenzetting.

Lagrange, M. J. (O. P.). *Saint Paul. Epître aux Galates.* Paris, Lecoffre, 1918. — In 8, LXXXIV-175 p. Pr. 15 fr.

Id. *Le sens du christianisme d'après l'exégèse allemande.* Paris, Lecoffre, 1918. — In 12, XX-237 p. — Pr. 6 fr.

Id. *Evangile selon Saint Luc.* Paris, Lecoffre, 1921. In 8, CLXVII-631 p. — Pr. 50 fr.

Id. *Evangile selon Saint Matthieu.* Paris, Lecoffre, 1923. In 8, CLXXXVIII-560 p. — Pr. 45 fr.

Allo, E. B. (O. P.). *Saint Jean. L'Apocalypse.* Paris, Lecoffre, 1921. — In 8, CCLXVIII-375 p. — Pr. 45 fr.

La collection *Études Bibliques*, par le nom de ses collaborateurs et par la valeur des ouvrages qui la composent, s'est imposée au monde savant comme une collection de première valeur. Tous les ouvrages que nous signalons et que nous recommandons ici en font partie. Disons en rapidement quelques mots.

L'épître aux Galates est réputée une des plus difficiles des épîtres de saint Paul, tant au point de vue de la doctrine qui y est exposée, qu'au point de vue de la marche et de la connexion des idées. Pour ce qui regarde la doctrine, le P. Lagrange a pu se dispenser d'insister sur plusieurs points des plus importants, comme sont la justification, l'abrogation de la Loi, les effets du baptême, pouvant pour tout cela renvoyer au commentaire sur l'épître aux Romains qu'il édita précédemment dans la même collection; il s'attache d'autant plus à interpréter le texte et à mettre en lumière le mouvement de la pensée.

Relevons dans l'introduction l'opinion du R. P., solidement appuyée croyons-nous, d'après laquelle les destinataires de l'épître sont à chercher, non dans les villes d'Antioche de Pisidie, Lystres, Derbé, Iconium, villes appartenant toutes à la *province* romaine appelée la Galatie, mais dans l'ancienne Galatie, située dans la partie nord de la même province; la *regio galatica* dont parle s. Luc, *Act.*, XVI, 6 et XVIII, 23 doit s'entendre dans le même sens. — Plus loin le R. P. rejette absolument l'opinion de Loisy, Cornely, Thomas, Ramsay, d'après laquelle les Judaisants combattus dans l'épître aux Galates auraient proposé la Loi et la circoncision, non pas comme nécessaires au salut, mais seulement comme condition d'une plus grande perfection. Il réfute également de façon péremptoire la théorie de Loisy qui soutient que ces judaisants étaient le parti dont Jacques était le chef et l'inspirateur. Quant aux rapports qui existent entre l'épître aux Romains et l'épître aux Galates, le R. P. croit que l'épître aux Galates, où l'Apôtre expose et défend la thèse négative de l'inutilité de la Loi pour le salut des Gentils, a précédé chronologiquement l'épître aux Romains: elle fut comme une ébauche d'occasion dont le sujet positif: l'évangile, source unique de salut, à l'exclusion du Judaisme, fut traité dans toute son ampleur dans l'épître aux Romains.

L'ouvrage intitulé *Le sens du christianisme d'après l'exégèse allemande* nous donne le texte de dix leçons que le R. P. Lagrange donna à l'Institut catholique de Paris en 1917 et 1918. C'est un ouvrage dans le genre de l'œuvre bien connue de M. Fillion, *Les étapes du rationalisme dans ses attaques contre les évangiles et la vie de Notre-Seigneur Jésus-Christ;* seulement l'enquête du R. P. L. n'embrasse que les exégètes allemands.

Que dire des commentaires si volumineux — texte grec, avec variantes, traduction française, notes de critique textuelle et d'interprétation, — des évangiles selon saint Luc et selon saint Matthieu? Avec les introductions développées que nous trouvons en tête du commentaire, et avec l'ouvrage similaire précédemment paru sur saint Marc, ils constituent sans conteste une mine inépuisable et sûre de renseignements pour toutes les questions modernes qui se posent au sujet des synoptiques.

Quant au commentaire du R. P. Allo sur l'Apocalypse, ce n'est pas sans raison qu'on lui a décerné les plus vifs éloges, tant pour l'introduction — 268 pages! — que pour le commentaire. Nous avons été heureux de voir que l'A. a adopté dans ses grandes lignes l'interprétation eschatologique, et aussi en une large mesure le système de la récapitulation; il aurait même pu, à ce double point de vue, aller encore plus loin. Ainsi p. e. est-ce bien la persécution que *l'empire romain* déchaînera contre l'Eglise, est-ce bien le culte des empereurs romains, la ruine de l'empire romain par les barbares que s. Jean a en vue? Et ne peut-on pas prendre tout cela comme une description symbolique de la situation telle qu'elle sera à la fin du monde? Quant au système de la récapitulation, ne faut-il pas, p. e., l'appliquer à la vision des sept trompettes, VIII, 2 — XI, 18? La vision du livre à sept sceaux, n'est-elle pas *terminée* au chap. VIII, 1? Le livre que seul le Christ peut ouvrir, n'est-ce pas le livre du jugement dernier? Et une fois que les sept sceaux sont ouverts, n'est-on pas en droit d'attendre le jugement dernier porté par le Christ? Et précisément le silence d'une demi-heure ne répond-il pas à la lecture du livre? N'oublions pas d'ailleurs que lors de l'ouverture du 6me sceau, nous trouvons décrite d'une façon manifeste le tout dernier signe de la fin, le *virtutes cœlorum commovebuntur* des évangiles. La vision des sept trompettes est, à ne pas en douter, la description, d'une nouvelle façon, des mêmes évènements et signes précurseurs du jugement dernier. — Certains détails pourraient être discutés: l'ange de l'église d'Éphèse (II, 1 ss.), n'est-il pas Timothée? L'ange de Smyrne (II, 8 ss.), n'est-il pas Polycarpe? Le troisième cheval apocalyptique (II, 5 ss.) ne symbolise-t-il pas la cherté et la rareté des vivres, plutôt que la famine qui est symbolisée plus loin, v. 8? — Le v. 6 du même chapitre V, doit-il bien être interprété et traduit par « mais (*litt.* et) l'huile et le vin, ne [leur] nuis pas »? Nous croyons qu'il vaut mieux conserver la simple conjonction καὶ du texte grec: ce que s. Jean annonce c'est la rareté des vivres, non seulement du froment et de l'orge, mais *aussi* de l'huile et du vin; en effet la recommandation de ne point nuire à

l'huile et au vin, s'adresse, croyons-nous, non pas à quelqu'un d'innommé, pour qu'il ne porte pas préjudice à ces matières, comme si celles-ci se trouvaient par conséquent en abondance, mais au contraire à tous les hommes: Ne nuisez pas au vin et à l'huile, ne les gaspillez pas, car *eux aussi ils seront rares*. — Le cinquième cheval (VI, 9 ss.) ne symbolise-t-il pas *la persécution* qui viendra à la fin du monde, plutôt que la prière des martyrs? — La 2me bête (XIII, 11 ss.) n'a-t-elle vraiment d'équivalent dans le nouveau Testament que les faux prophètes annoncés par le Christ dans les synoptiques (p. 202)? ne la retrouve-t-on pas également dans la IIe ép. aux Thess., II, 9-10? Nous doutons également que l'Antéchrist annoncé par l'Apocalypse (et par les autres écrits du N. T.) soit une collectivité, plutôt qu'un individu.

A tous ceux qui s'intéressent aux multiples problèmes que suscite l'Apocalypse, l'ouvrage du R. P. Allo rendra certainement les plus grands services.

A. Vander Heeren.

Bournet, L. *Le christianisme naissant. Expansion et luttes.* Paris, Téqui, 1923. — In 8, x-482 p.

Cet ouvrage reproduit les leçons données pendant un semestre aux élèves de philosophie du grand séminaire de Versailles. L'auteur y prouve par les faits historiques la thèse suivante: « Le christianisme de 250, qu'on admet être substantiellement le même que le catholicisme actuel découle en ligne droite du christianisme du premier siècle ».

C'est donc en somme la preuve historique de la divinité de notre religion; elle est bien présentée et d'après les dernières données de la science.

R. De Schepper.

Opera ad redactionem missa (1).

Beaufays, J. (O.F.M.). *Attirances de l'Au-delà dans le P. Valentin Paquay.* Bruxelles, 1923. — In 8, 12 p. — Pr. 1 fr.

Bremont, L. *Le diable existe-t-il, que fait-il?* Paris, Téqui, 1924. — In 12, 160 p. — Pr. 3.50 fr.

Brou, A. *Le dix-huitième siècle littéraire.* Paris, Téqui, 1923. — In 8, XXI-460 p.

Castel, A. (O. S. B.). *Méditations et prières de saint Anselme.* — Abbaye de Maredsous, 1923. — In 8, LXII-240 p. — Pr. 6.50 fr.

Chapon (Mgr). *La foi chrétienne devant la raison et le cœur.* Paris, Téqui, 1923. — In 12, IX-171 p — Pr. 3.50 fr.

Coussens, A. *P. A. Sheehan. Zijn leven en zijn werken.* — Brugge, Excelsior, 1923. — In 8, 204 p.

Schrijver tracht ons beter bekend te maken met het leven en de werken van den vermaarden ierschen priester Sheehan, die een glorie is van de roomsche priesterschap en een der edelste figuren uit de twintig-eeuwsche letterkunde.

Dedier, A. (C. SS. R.). *Geschiedenis van het Mirakuleus Beeld en der Kerk van O. L. V. van West-Roosebeke.* Antwerpen, Buerbaum-Van der Goten. 1923. — In 8, 124 bl. — Pr. 3 fr.

Dit volksboek, met eene teedere liefde voor Maria en eene warme genegenheid voor den geboortegrond geschreven, bevat allerlei oud en nieuw: benevens vele belangwekkende en goed gestaafde geschiedkundige bijzonderheden, ook enkele onbeduidende, waar hier waar daar opgedolven, benevens het verhaal van vroeger gebruiken, wonderen, genezingen, legenden en ook hedendaagsche liederen en gebeden enz. Als schoolprijs aanbevelenswaardig.

Delsart, H. M. *Marguerite d'Arbouze, abbesse du Val-de-Grâce,* 1580-1626. Abbaye de Maredsous; Paris, Desclée, De Brouwer, 1923. — In 8, XII-347 p. — Pr. 7.50 fr.

Dirheimer, J. *Anne-Catherine Emmerich.* Paris, Téqui, 1923. — In 12, XVI-240 p. — Pr. 5 fr.

Ferreres, P. (S. J.). *Epitome theologiæ moralis.* 3e ed. Barcinone, Subirana, 1922. — In 12, XXIV-646 p.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Giloteaux, **P**. *La bienheureuse Thérèse de l'Enfant-Jésus*, Paris, Téqui, 1923. — In 12, XIII-214 p.

Halifax (Viscount). *Further considerations on behalf of Reunion* (with appendices including a full account of the visit to Paris in 1896 for conferences of Reunion). London, Mowbray, 1923. — In 8, 60 p. — Pr. 2 sh.

Jaquet (O. M. C.). *Prælectiones Historiæ ecclesiasticæ ad usum scholarum*. Taurinorum Augustæ, P. Marietti, 1922. — 2 vol. in 8, x-566 et 469 p.

Opus reverendissimi archiepiscopi Salaminii cum fructu adhibebitur in scholis et seminariis ubi cursus historiæ ecclesiasticæ latine traditur. Ea enim quæ præclari scriptores fusius copiosuisque enarrarant optimo compendio tradit.

Jusqu'à la Mort! L'aumônier Jules Spriet, Georges Attout, Léon Trulin, Franz Merjay, Etienne Terlinden, Bruxelles, éditions de la revue des auteurs et des livres, 1923. — In 8, 125 p.

Kœnig, **J**. *L'Imitation de Jésus-Christ*. Traduction de l'abbé de Lamennais. Lille, Desclée-De Brouwer, 1922. — In 16, 469 p. — Pr. 6 fr.

Lanier, **H**. *A Jésus-Hostie par Marie*. 2e éd., Paris, Téqui, 1923. — In 8, 68 p. — Pr. 1 fr.

Lecomte. *Le don de Dieu*. Paris, Téqui, 1923. — In 12, VIII-80 p. — Pr. 1.50 fr.

Ledrus, **M**. *Le gage des divines fiançailles par Hugues de Saint-Victor*. Bruges, Beyaert, 1923. — In 8, 119 p. — Pr. 3 fr.

Louismet, **S**. (O. S. B). *Miracle et Mystique*. vol. 3e et 4e. Paris, Téqui, 1923. — In 8, 295 et 416 p.

Marmion, **C**. (O.S.B.). *Sponsa Verbi, la vierge consacrée au Christ*. Abbaye de Maredsous, 1923. — In 16, XII-80 p. — Pr. 2 fr.

Millot, **J**. *L'œuvre des vocations*. Paris, Téqui, 1923. — In 18, XII-338 p. — Pr. 3 fr.

Monnin, **A**. *Esprit du curé d'Ars*. Paris, Téqui, 1923 — In 32, p. x-368. — Pr. 2 fr.

O'Rahilly, **A**. *Verborgenes Heldentum, P. W. Doyle S. J.* Freiburg, Herder, 1923. — In 8, x-456 p. — Pr. 21.80 fr.

Poppe, **E**. *Eucharistische parochiewerking*. Averbode, Abdij, 1923. — In 8, 144 bl. — Pr. 3 fr.

Rubbrecht, **R**. (Dr). *Begrippen over microben- en parasietenleer*. Brugge, Excelsior, 1923. — In 8, 64 bl.

Tanquerey, **A**. *Précis de théologie ascétique et mystique*, 1re p. Tournai, Desclée et Cie, 1923. — In 12, XXXIII-396-27* p. — Pr. 5 fr.

Théodore de Saint-Joseph. *Essai sur l'oraison selon l'école carmélitaine*. Bruges, Beyaert, 1923. — In 8, XII-151 p. — Pr. 10 fr.

Id. *Les ascensions de l'âme dans la bienheureuse Sœur Thérèse de l'Enfant-Jésus*. Bruges, Beyaert, 1923. — In 8, VIII-96 p. — Pr. 4 fr.

Wilmers, W. *Manuel de la religion* (trad. de l'allemand par l'abbé F. Van Moorveld), 6e éd. Imprimerie S. Victor, Turnhout. — 5 vol. gr. in 8. — Pr. 50 fr.

Ouvrage fort répandu et très apprécié en Allemagne; utile pour les catéchismes de persévérance et pour la prédication. Le t. I et II donnent l'explication de la doctrine du symbole des apôtres; le t. III comprend le décalogue avec un appendice sur les trois grandes écoles d'économie politique; le t. IV et V traitent des sacrements et contiennent plusieurs appendices intéressants: ainsi dans le t. IV le décret sur la communion quotidienne et sur l'âge de la première communion; dans le t. V l'exposé et la critique du modernisme.

Zurcher, A. — Currat, L. (Mgr). *Les degrés de la Table Sainte*. Guide spirituel des jeunes communiants. Einsiedeln (Suisse), Benziger, [1923], 244 p.

Id. *Le chemin du confessionnal*. Guide spirituel des jeunes pénitents. Benziger, [1923], 238 p.

Id. *Vers l'avenir*. Conseils pratiques aux jeunes gens. Benziger, [1923], 198 p.

Id. *Sous l'aile de Dieu*. Guide pratique de la jeunesse féminine. Benziger, [1923], 208 p.

INDICES

I

INDEX ARTICULORUM

Documenta romana (1)

Acta Pii XI. Pag.

1922 nov. 16. *Litteræ apostolicæ* de concilio quarto mechliniensi 228
» dec. 23. *Litteræ encyclicæ* de pace Christi in regno Christi quærenda 1
1923 jan. 26. *Litteræ encyclicæ* de s. Francisco Salesio tertio pleno sæculo ab ejus obitu 89
» apr. 13. *Litteræ apostolicæ* de erectione basilicæ minoris in civitate brugensi 229
» junii 10. *Litteræ apostolicæ* ad episcopos Belgarum . . 257
» » 29. *Motu proprio* de ordinanda institutione doctrinæ christianæ 345

E Supr. S. Congr. S. Officii.

1922 sept. 16. Facultates circa matrimonia mixta concessæ Ordinario brugensi 410
» dec. 1. De onanismo conjugali 233
» dec. 15. Damnatio librorum. 78
1923 mart. 15. Monitum de operibus sensui christiano contrariis. 232
» mart. 22. Litteræ locorum Ordinariis datæ super jejunio eucharistico ante Missam 231
» maii 4. Damnatio librorum. 322
» » 10. » » 322

E S. Congr. Concilii.

1923 jul. 25. De statutis capitularibus conficiendis vel emendandis 416

E S. Congr. de Discipl. Sacramentorum.

1922 jul. 20. Facultates matrimoniales Ordinario brugensi concessæ 323

(1) Decreta, quæ asterisco * notantur, in hoc periodico adnotationibus illustrantur.

Pag.

E S. Congr. de Religiosis.

1922 dec. 30. De professione religiosa in articulo mortis novitiis vel postulantibus permissa 236
1923 jun. 23 *. Decretum circa moniales in Gallia et Belgio . 482

E S. Congregatione Rituum.

1922 jun. 16 *. *Dubia* varia 70
» nov. 17 *. *Romana*. De missa votiva pro fidei propagatione declaratio 239
» » 17 *. *Dubia* circa præfationes in missis cum commemorationibus 240
» » 22. Introductio causæ P. V. Paquay 238
1923 jan. 19 *. *Dubium* circa versiculum Fidelium animæ post Tertiam ante missam conventualem . . . 241
» » 26 *. *Dubium* de evangelio in fine missæ coram SS. Sacramento exposito 241
» jun. 27 *. *Dubium* circa missam votivam SS. Cordis prima feria VI mensis januarii 330

E S. Pœnitentiaria apostolica.

1922 sept. 16 *. Indultum concessum Episcopo brugensi . . 161
1923 jun. 15. Concessio indulgentiæ 485

E Cœtu S. R. E. Cardinalium.

1922 dec. 7. *Dubia* circa competentiam SS. Congregationum . 242

E Commissione ad cod. can. interpretandos.

1922 nov. 26. *Dubium* de collatione canonicatuum . . . 244

—

Documenta episcopalia.

Monitum de mittendis pecuniis diebus missionum collectis . . 244
Acta congr. prosynodalis 15 maii 1923:
Oratio reverendissimi D. Episcopi 259
Decreta 265
Monitum de bonis ecclesiarum 419
Decretum de causa servæ Dei J. de Neerinck 486

—

Conferentiarum quæstiones et responsa.

Ex s. Scriptura N. T.

In Lc., III, 15 s.: baptizabit in Spiritu sancto et igni . . . 25
In narrationem de baptismo Jesu 47
In narrationem de tentationibus Jesu 109

Pag.

Interpretatio Mt., V, 17-19 135
» » , V, 31-32 183
» » , VI, 19-24 206
» » , VI, 25-34 269
» » , IX, 14-17 295
» » , XI, 11-14 360
» » , XI, 25-27 387
» » , XI, 28-30 439

Ex theologia dogmatica.

Ex tractatu de Ecclesia.

De infallibilitate pontificia 28
De infallibilitate Ecclesiæ quoad veritates theologicas . . . 51
De membris Ecclesiæ 114
De necessitate conjunctionis actualis cum Ecclesia . . . 139

Ex tractatu de Traditione.

De regula fidei 187
De notione traditionis 208
Exponitur controversia de traditione 273
Traditio est fons a s. Scriptura distinctus 299
Traditio est fons excedens s. Scripturam 364
De mediis traditionis conservandæ 392
De symbolis fidei 441

Ex theologia morali.

Ex theol. mor. fundamentali.

De remediis scrupulorum 125
Casus varii de conscientia scrupulosa 148
De privilegiis scrupulosorum 156
Diagnosis et medicatio conscientiæ scrupulosæ 286
De confessario scrupulosorum 311
Notiones de conscientia laxa 405
De confessario pœnitentis laxi 454

Ex tractatu de legibus.

Exponitur notio et efficacia authenticæ interpretationis legis ecclesiasticæ 41
Determinatur an et quandonam interpretatio authentica sit promulganda 64
De territorialitate et personalitate legum ecclesiasticarum . . 199
Demonstratur Ordinariis locorum jus esse ferendi leges personales. 219

Pag.

Ex tractatu de justitia.

De jure o cupationis. 34
De accessione I-IV 55, 119
De successione I-VI 144, 190, 211, 276, 304
De contractibus in genere I-III 369, 395, 446

Ex jure-canonico.

De parochorum stabilitate 44
De nominatione et institutione parochorum 132
De diebus quibus tenentur parochi celebrare pro grege. . . 203
De applicatione missæ pro grege alia die ab ea qua jure adstringitur 293
De vicario œconomo 374
De vicario substituto 408

Ex sacra liturgia.

De missa Dominicæ impedita. 66
De duplici missa conventuali aut cantata 222
De octava 314
De octava Patroni loci 377
De vigiliarum origine 459

—

Dissertationes.

L'édition vaticane de la Semaine Sainte et de l'octave de Pâques. 80
De confessario religiosarum extraordinario, ... 467

—

Miscellanea.

Decreta concilii mechliniensis de re sacramentali 246
Adnotationes practicæ in impedimentum affinitatis 475

—

Analecta ascetica et mystica.

Introductio in theologiam mysticam :
Prologus 102
Tabula prima. 348
Tabula secunda (pars prior) 425

—

Consultationes.

De benedictione puerperarum 79
De onanismo conjugali 167

—

Pag.

Documents de jurisprudence civile.

1922 mai 5. *Circ. minist.* Travaux aux églises. Autorisation préalable 245
» déc. 4. *Instr. minist.* Associations sans but lucratif. Application de la loi fiscale 169
1923 jan. 29. *Ar. royal.* Établissements d'utilité publique. — Statuts. — Clauses réputées non écrites . . 332
» août 10. *Loi fiscale.* 418

—

Libri dijudicati.

Allo (O. P.). S. Jean. L'Apocalypse 493
Bastien (O. S B.). Directoire canonique à l'usage des congrégations à vœux simples 422
Bournet (L.). Le christianisme naissant 495
Cappello (S. J.). Tractatus canonico-moralis de sacramentis, vol. III, de matrimonio 251
Daisomont (M.). Zenuwontsteltenissen en psychologische leiding. 252
Ghesquière. Honderd geestelijke liederen 86
Fallon (S. J.). Principes d'économie sociale 421
Farges (Mgr). Autour de notre livre : Les phénomènes mystiques 490
Holemans (Fr.). De h. pastoor van Thildonck 253
Hoornaert (Chan. H.). La montée du Carmel 342
Hoornaert (R.). Sainte Térèse écrivain 340
Hoornaert (S. J.). Le combat de la pureté 85
Hugon (O. P.). Principes de philosophie. Les vingt-quatre thèses thomistes 88
» La sainte Eucharistie 251
Lagrange (O. P.). S. Paul. Épître aux Galates 493
» Le sens du christianisme d'après l'exégèse allemande 493
» Évangile selon saint Luc 493
» Évangile selon saint Matthieu 493
Lamers (O. F. M.). Het bovennatuurlijk leven 421
Lehodey (V.). Les voies de l'oraison mentale 489
Mahieu (H.). Probatio charitatis 252
Muncunill (S. J.). Tractatus de Deo creatore et de novissimis . 250
Pègues (O. P.). Comment. franç. littéral de la somme théol. . 489
Pérennes (H.). Les psaumes traduits et commentés 491
» Les psaumes dans la liturgie romaine. . . . 491.
Piérard. Traité de psalmodie. Sémiographie S 46 * 4 X 2 . . 86
» Formulaire complet des tons de la psalmodie. . . 86
» Psautier des fidèles 86
» Psautier-paroissial S 46 * 4 X 2 86

Pag.

Poppe (E.). Bij den Kindervriend 88
Poulain (S. J.). Des grâces d'oraison 339
Pourrat (P.). La spiritualité chrétienne. T. II 487
Nouveau manuel paroissial de chant grégorien 87
70 nieuwe geestelijke liederen door eenige Minderbroeders der Belgische Provincie 86
Salsmans (S. J.). Biecht- en Altaarsakrament 251
» » Casus conscientiæ 85
Vacandard (E.). Études de critique et d'histoire religieuse. . 253
Van Tichelen (Th.). S. Paulus 492
» In den patriarkentijd 492
Van Hoonacker (A.). Grondbeginselen der moraalfilosofie. . 420
Vermeersch (S. J.). Theologiæ moralis principia, responsa, consilia. 420

—

Opera ad redactionem missa.

Præter opera, quæ ponuntur sub rubrica *Libri dijudicati*, hæc ad redactionem hoc anno transmissa fuerunt:

Adveniat regnum tuum . 424
Bacuez 256
Balthasar N. 254
Beaufays J. 496
Berlière U. 343
Bessières A. 254
Bouillot 343
Brassac 256
Bremont L. 496
Brou A. 496
Buzy D. 175
Callewaert L. J. . . . 254
Cappello F. 175
Castel A. 496
Chapon (Mgr) 496
Ciolli A. 343
Coussens A. 496
Currat (Mgr) 498
Debast L. 175, 343
Dedier A. 496
Dehon J. L. 343
Delassus (Mgr) 424
Delerue F. 424
Delsart H. M. 496
de Montpellier 343
De Keyzer C. 254
Dirheimer J. 496
Ducher 256
Farrugia N. 254
Félix (P.) 343
Ferreres P. 496
Giloteaux P. 497
Gibier (Mgr) 343
Godts. F. X. 254
Golla E. 255
Grammatica A. . . . 175
Gratry A. 175
Grimaud C. 255
Halifax 497
Harrasser G. 255
Hoornaert A. 255
Ignatius v. Loyola . . 255
Imitatio Christi . . . 254
Janssens (Mgr) 255
Jaquet 497
Kœnig J. 497
Lanier N. 497
Laurent 255
Leclercq J. 255
Lecomte 497
Leday J. 256
Ledrus M. 497
Lefere V. 343
Lessius L. 256
Libbrecht M. 344
Lippert P. 344
Louismet S. 497
Marchand A. 344
Marmion C. 497
Matéo (P.) 176
Meersdom C. 176
Mercier (Card.) 424
Millot J. 424, 497
Monnin A. 497
Monstrey O. . . . 176, 344
Muncunill J. 176
Mutz F.-X. 424
Muyldermans J. . . . 424
Newman (Card.). . . . 424
Oesterle G. 256

Office des ténèbres . . 176
Off. et M. ult. trid. maj. hebd. 176
Offic. maj. hebd. et Oct. Paschæ 176
O'Rahilly A. . . . 497
Poppe E. . . . 344, 497
Prévot A. 344
Pour les vivants et les morts. 424
Reinstadler S. . . . 424
Reynaud S. . . . 256
Robyns O. . . . 176
Rubbrecht R. . . . 497
Ryelandt F. . . . 176
Sinthern P. . . . 256
Soyons apôtres . . . 256
Tanquerey A. . . . 497
Théodore de S. Joseph . 498
Tiers-ordre de Marie . . 344
Ullathorne (Mgr). . . 344
Van Cantimpré Th. . . 256
Van Sull K. . . . 344
Verhelst F. . . . 256
Vigouroux 256
Vogels H. J. . . . 256
Vosté J. M. . . . 176
Willy Ch. 256
Wilmers W. . . . 498
Wickenhauser . . . 256
Zurcher A. . . . 498

II

INDEX ALPHABETICUS

Absolutio a censuris et pœnis ecclesiasticis. Speciales facultates a S. Pœnitentiaria episcopo brugensi concessæ, 162 s.; subdelegatæ can. pœnit. et decanis, ex decreto VII congr. prosyn. ad 1, 2, 4 et 5, describuntur, 267 s.

Accessio.

a/ Agendo de proprietate *fructuum* rei alienæ quam quis *bona fide* possidet, exponitur differentia inter fructus naturales, industriales, mixtos et civiles, distinguendo illos a productis extraordinariis, 56. Quid in hac materia solum jus naturæ decernat, 57; quid vero jus civile, 58. Valor hujus legis in conscientia exponitur occasione casus cujusdam practici, 60.

b/ Agendo de accessione rei *mobilis ad immobilem* per ædificationes et plantationes, exponitur *jus civile* adjudicans domino fundi ædificium sive plantationem hujusmodi, 119. *In conscientia* vero valent generatim illæ dispositiones, ex justitia stricta jam ante sententiam judicis, 123. Quandoque tamen obstat æquitas sive caritas, 124; quandoque etiam licet exspectare judicis sententiam, 125.

ACTUM MATRIMONIALE, v. INSCRIPTIO.

Affinitas, quandonam impedimentum sit *majoris* gradus, 326. Adnotationes practicæ in hoc impedimentum cum variis casibus affinitatis fori interni, 475 s; v. FACULTATES.

Annus liturgicus.

Dominicæ dignitas, 66. Dominicæ missa impedita infra hebdomadam resumenda, 68 ss. Solemnitates festorum in Dominicam translatæ quandonam et quomodo celebrandæ (16 jun. 22), 71, 74 s.

Octava quid sit, 314; in liturgiam inducta sub influxu usus judaici, disciplinæ baptismalis et significationis symbolicæ numeri octo, 314 ss.; octavæ sanctorum

olim raræ et simplices, 318. Hodie distinguuntur in privilegiatas triplicis ordinis, communes et simplices 318. Regulæ præcipuæ 318; ritus, 321.

Octava Patroni loci : 1/ de *ipso festo* impedito et transferendo, 377, de octava impedita, 379, de ordinandis officio et missa, 380; 2/ dies *infra octavam*, quandonam impediantur, 381 ; de ordine officii et missæ, 383, notatim de orationibus pro diversitate temporis assignatis, 384 ; 3/ *dies octava* quandonam impediatur, 385 et quomodo celebretur, 385 s. Infra octavam patroni debet semper esse idem evangelium ac in festo, et homilia de eodem (16 jun. 22), 70.

Vigilia quid sit, 459. Vigiliæ nocturnæ antiquæ, dominicales et festorum, 460, suppressæ, 461 ; vigiliæ officii quotidiani, 461; vigiliæ anticipatæ in diem, 462. Præparatio ad festa per diem jejunii, 463, qui « vigilia » nuncupatur, 465, in qua celebratur missa pœnitentialis et officium feriale, 465.

Apostatæ a fide non sunt membra Ecclesiæ, 116.

Apostolicum, v. Symbola.

Approbatio solemnis ordinis stricte dicti est objectum secundarium infallibilitatis, 51; *finaliter* cum revelatione cohæret, 54.

Argumentum theologicum ex symbolis fidei quomodo adstruatur, 444 s.

Associations sans but lucratif. Application de la loi fiscale aux actes concernant ces associations, Instr. minist., 4 déc. 1922, 169. — Objet contraire aux attributions légales des administrations publiques. La clause attribuant en cas de dissolution l'avoir d'un établissement d'utilité publique ou d'une association sans but lucratif à une personne déterminée, est réputée non écrite. Ar. roy., 29 jan. 1923, 332 ss.

Athanasianum, v. Symbola.

Banna. Proclamationes nupturientum qui post pubertatem in alia parœcia commorati sunt: si constat eos liberos esse, parochus non tenetur rem Ordinario exponere nec publicationes in aliena parœcia faciendæ sunt; si non constat de libertate, consulatur Ordinarius, 246, juxta decretum 206 concilii mechlin. — Publicationibus nuptialibus partim substitui potest publica *affixio* nominum contrahentium, 247, et quidem per

spatium octo dierum, duos dies dominicos vel festos de præcepto comprehendens, et una publicatio fiat e suggestu, 248, ita juxta decr. 207 conc. mechlin.; v. decret. VI congr. prosyn., 267.

Baptismus aquæ, actu et valide susceptus, est causa aggregans ad Ecclesiam, 115; baptismus sanguinis et flaminis ad animam, non ad corpus Ecclesiæ aliquem pertinere faciunt, 141, 215. — De baptismo christiano apud Lc., III 15 s., non agi videtur, 25 s.

Basilica minor s. Basilii in civitate brugensi per litteras apostolicas diei 13 apr. 1923 erigitur, 229.

Benedictio puerperarum, v. Parochus.

Bona ecclesiastica. De alienatione eorum, monitum episcopale, 419.

Campanæ novæ benedictio fieri potest a decanis ex facultate ipsis delegata ex decret. V congr. prosyn., 266; quanam benedictione utendum, 267.

Canones novi codicis explicantur: can. 8, p. 199 et p. 219; can. 13, p. 20; can. 14, p. 200; can. 17, p. 41, et p. 64; can. 201, p. 220; can. 488, p. 483; can. 521, p. 467; can. 1098, p. 248.

Canonisatio sanctorum definitiva est objectum secundarium infallibilitatis, 51; *finaliter* cum revelatione cohæret, 54.

Capitulum. Statuta capitularia emendanda juxta codicem jur. can., decr. S. C. Concilii, 25 jul. 1923, 416 s.

Casus reservati hucusque ab Ordinariis, non amplius subjacent reservationi ex decreto 205 concilii mechliniensis, 249.

Catechumeni non sunt membra Ecclesiæ, 116.

Causa servæ Dei J. de Neerinck, decr. episc., 486.

Censura, v. Absolutio.

Cognatio spiritualis est impedimentum *minoris* gradus, 326; v. Facultates.

Concilium, v. Vaticanum; Mechliniense.

Conclusiones theologicæ sunt objectum secundarium infallibilitatis, 51; *consecutive* cum revelatione cohærent, 53 s.

Conferentiæ cantus. Vide decret. III congr. prosyn., 266.

Confessarius. Præscriptiones juris communis et juris particularis circa confessarium religiosarum *extraordinarium generalem*, 467 ss; præscriptiones juris communis et juris particularis circa confessarium religiosarum extraordinarium specialem seu *supplementarem*, 469 ss ; sacerdos qui exercitia spiritualia tradit monialibus et sororibus non assumit locum confessarii extraordinarii, 468; v. CONSCIENTIA, JURISDICTIO.

Confraternitas s Francisci Salesii commendatur, decreto II congr prosyn., 265.

Conjunctio actualis cum Ecclesia est necessaria, necessitate tum medii, tum præcepti, 141 s.

Consanguinitas, quandonam impedimentum sit *majoris* gradus, 326; v. FACULTATES.

Conscientia *laxa*. Parallelum cum conscientia scrupulosa, 405; notio conscientiæ laxæ, 406; gradus, 406; causæ, 407 ; de confessario laxi quatenus est judex, 454, medicus, 456, doctor, 458.

Scrupulosa. Remedia scrupulorum, 125; varii casus, 148; privilegia scrupulosorum, 156; diagnosis, 286; medicatio, 289; dotes confessarii scrupulosorum, 311.

Contractus.

a/ In contractibus, *formalitates* quædam plerumque a lege civili requiruntur, sive ad existentiam aut ad valorem actus, sive ad probationem tantum aut ad rectitudinem instrumenti, 369. Quid autem in conscientia dicendum, tum ante tum post sententiam judicis, de obligatione contractuum qui dictis formalitatibus destituuntur, 370.

b/ *Inhabiles* ad contrahendum declarantur a lege civili : tum minorennes sub tutela constituti, ita ut per se solos fere nullos contractus firmos inire valeant. 396; tum minorennes jam emancipati, saltem pro gravioribus conventionibus, 399; tum interdicti judicialiter, qui jam nihil per se solos firmiter agere valent, 401; tum constituti sub concilio judiciario, qui sine licentia curatoris inhabiles declarantur ad plerosque contractus, 402; tum uxores, quæ ad firmiter contrahendum egent licentia mariti (aut tribunalis), exceptis casibus a lege determinatis, 403.

In foro autem conscientiæ, vim habent illæ dispositiones; adeoque incapaces illi, si bona fide fuerint,

beneficio legis tuto frui possunt, 446 ; manendo tamen infra limites a jure positivo simul et naturali sancitos, 449. Si vero mala fide contraxerint, de damnis tenentur ; unde sæpius contractu inito definitive obligantur, 451. Quousque inde obligentur et tutores sive curatores. aut parentes sive maritus, 452.

CRIMEN, v. FACULTATES, IMPEDIMENTA.

DEBITUM CONJUGALE, v. FACULTATES.

Decani. Visitationes faciendæ ex decreto IV congr. prosyn., 266.

Facultates ad benedicendas novas campanas, ex decreto V congr. prosyn., 266; facultates speciales ipsis concessæ ex decreto VII ejusdem congr., 267.

Decretum episc. brugen. in causa servæ Dei J de Neerinck, 486.

Disciplina generalis Ecclesiæ est objectum secundarium infallibilitatis, 51; *finaliter* cum revelatione cohæret, 54.

DISPENSATIO, v. FACULTATES.

Divinitas Jesu ex Matth., XI, 25-27 probatur, 387 s. . .

Doctrina christiana. Quomodo ejus institutio toto orbe catholico sit ordinanda in Motu proprio, diei 29 junii 1923, exponitur, 345 s. — Prædicatio doctrinæ christianæ, v. decret. I congr. prosyn., 265.

DOMINICA, v. ANNUS LITURGICUS.

Ecclesia sola mundi res pacificare potest, uti in encyc. « Ubi arcano » exponitur, 14 s ; quod iterum inculcatur in encyc. « Rerum omnium », 89 s. — Quinam sint *membra* ipsius, 114 s ; necessitas *actualis conjunctionis* cum Ecclesia, 139 s.; exponitur axioma: *extra Ecclesiam nulla salus*, 142 s.; v. BONA, INFALLIBITAS, MAGISTERIUM, SUBDITI.

ÉTABLISSEMENTS D'UTILITÉ PUBLIQUE, v. ASSOCIATIONS SANS BUT LUCRATIF.

Excommunicati vitandi certo non sunt amplius membra Ecclesiæ, 117 s.

EXTRAORDINARIUS, v. CONFESSARIUS.

Fabriques d'église. Travaux aux églises. Autorisation préalable, circ. min., 5 mai 1922, 245.

Droits de timbre sur les factures. Droits d'enregistrement, de succession et de mutation. Loi fiscale du 10 août 1923, 418 s; v. Bona ecclesiastica.

Facta dogmatica constituunt objectum secundarium infallibilitatis, 51; *præsuppositive* cum revelatione connectuntur, 52.

Facultates 1/ *S. Pœnitentiariæ* ad *petendum debitum* conjugale cum transgressore voti castitatis, 162, perfectæ et perpetuæ, 164, quod emissum fuerit privatim, absolute et post completum 18m ætatis annum, quando matrimonium cum dicto voto contractum est, 165; dispensandi in *crimine* occulto et absque machinatione, in ordine ad matrimonium contrahendum vel convalidandum, 166. — Subdelegatio decanis in congr. prosyn., ad VII, facta, 267 s.; v. Absolutio.

2/ *S. Officii scil. dispensandi* circa *matrimonia mixta*, videlicet super impedimento mixtæ religionis et disparitatis cultus ad cautelam, 410, *sanandi in radice* matrimonia attentata coram officiali civili vel ministro acatholico, cum impedimento mixtæ religionis aut disparitatis cultus, 411. Sequitur commentarium, 412 s. Dispensandi in jejunio eucharistico, 231.

3/ *Congr. de Sacramentis scil. dispensandi* super impedimentis *minoris gradus* (can. 1042) et super impedimentis *impedientibus*, de quibus in can. 1058, 323; super impedimentis quibusdam *majoris gradus* consanguinitatis, affinitatis et publicæ honestatis; super iisdem impedimentis respectu *concubinariorum* tempore visitationis temporalis et missionum, 323; *sanandi in radice* matrimonia nulla ob impedimentum minoris gradus, cum commentario, 324-330.

Quid importet *interpretatio lata*, 324.

Fides, v. Regula, Symbola.

Hæretici proprie dicti, publici seu notorii non amplius sunt membra Ecclesiæ, 117.

Impedimenta in re matrimoniali. Facultates concessæ episcopo brugensi et subdelegatæ decanis, v. Facultates. — Quænam sint impedimenta *minoris gradus*, 325; *consanguinitas* et *affinitas*, si gradus sit inæqualis et primo mixtus est impedimentum *majoris* gradus, 326.

Indulgentia 300 dierum pro brevissima meditatione coram Sanctissimo, 485.

Infallibilitas *Ecclesiæ* quoad veritates theologicas explicatur, 51 s. — *Romani Pontificis* explanatur, indicatis subjecto, objecto et conditionibus, 28 s.

Inscriptio matrimonii. *Testes* et *sacerdos* qui matrimonio adstitit actum subscribere debent, 249; inscribatur *dies nativitatis* conjugum ex decret. VII congr. prosyn., 267.

Instructio brevis fiat etiam in diebus festivis solemnioribus sub omnibus missis, ad mentem conc. mechl., ex decreto I congr. prosyn , 265; ne omittatur instructio quando fideles ad missam dominicalem cum pueris scholarum admittuntur, 265.

Interpretatio *facultatis* et *legis*, v. Facultas, Lex.

Jejunium eucharisticum. Facultates dispensandi cum sacerdotibus in lege jejunii pro casibus urgentioribus conceduntur Ordinariis locorum, pro aliis casibus recurrant Ordinarii ad S. Officium, 231.

Jura S. Sedis rursus declarantur in encyc. « Ubi arcano », 22 s.

Juramentum suppletorium. *Formula*, 247.

Jurisdictio ad confessiones audiendas in decanatibus *alienæ diœcesis* suo decanatu conterminis, infra limites provinciæ mechliniensis, 249; v. Confessarius.

Laxismus, v. Conscientia.

Lex ecclesiastica.

Interpretatur authentice, quando ab auctoritate publica, 41, puta a Rom. Pont, 42, a Congreg. Rom. ad hoc deputatis, a consuetudine, 43, ab Episcopo (in propria lege) declaratur et simul obligatorio modo proponitur, ita ut vel totam communitatem liget, et tunc *generalis* dicitur, 43; vel illos tantum quibus et in casu in quo datur, et tunc *particularis* est, 44.

Hujusmodi interpretatio est *promulganda*, si est *extensiva* vel *restrictiva*, non autem si mere *declarativa*, 64.

Territorialis præsumitur, i. e. subditos extra territorium non ligat, nisi dictis vel factis appareat *personalis* 199 s.

Inde deducitur Ordinarios locorum posse condere leges personales, quæ nempe subditos obligant etiam extra territorium versantes, 219 s.

Libri *liturgici*. Decret. III congr. prosyn , 266; v. Musica sacra.

Prohibiti, decretis 15 dec. 1922, 78; 4 et 10 maii 1923, 322.

Magisterium ecclesiasticum vivum ac perenne est *medium princeps* traditionis oralis conservandæ, 392 s.

Matrimonium. Prohibetur ne quis extra periculum mortis, ad normam can. 1098 matrimonium coram solis testibus contrahat, antequam tota res ad Ordinarium loci delata, ejusque responsum acceptum sit, 248; v. Facultates, Inscriptio.

Doctrina evangelica circa matrimonii indissolubilitatem in casu adulterii, 183 ss.

Mechliniense concilium quartum per litteras apostolicas diei 16 nov. 1922 approbatur, 228. — Decreta hujus concilii de re matrimoniali explicantur, 246 s.

Medium, v. Necessitas, Magisterium.

Membra, v. Ecclesia.

Missa (*liturgice*).

Publica et privata. Olim unica erat in singulis ecclesiis, solemnis et *publica*, 222; postea multiplicatæ missæ tum privatæ tum publicæ, 223. Quid de commemorationibus et præfatione, si plures de diverso objecto celebrentur missæ *conventuales aut cantatæ*, 224. Quid in hac materia veniat nomine missæ *privatæ*, 225, nota.

Missa Dominicæ impedita cur et quibusnam diebus infra hebdomadam sit resumenda, 66; quo ritu, 68 s.

Votivæ. Quid si plures votivæ de diverso objecto celebrentur cum cantu, 225, nota 3. — *Votiva pro fidei propagatione* quandonam permittitur et quomodo ordinanda (S. R. C. 17 nov. 1922), 229 — *Votiva privilegiata in honorem SS. Cordis* celebranda est ad normam votivæ solemnis, 76. Quid si prima feria VI occurrat officium, commemoratio, vigilia aut dies infra octavam aut octava Christi Domini; quid si incidat in festum dupl. I classis, aut infra octavam Pentecostes (16 jun. 22), 72, 76 s. Diebus 2, 3, 4 januarii dicenda est missa *Puer natus est* (27 jun. 23), 330.

Requiem. Celebrata pro defuncto nondum sepulto erit missa pro die obitus cum unica oratione; diebus liberis plures celebrare licet missas de die III, VII, XXX, post acceptum nuntium et anniversaria etiam late

sumpta ; pro anniversariis late sumptis quotannis eligi potest dies (16 jun. 22) 71, 74.

Ritus et ordo. Quænam *præfatio* in missa in qua facienda oratio pro Papa in anniversario electionis aut coronationis Papæ, 240; aut die 18 novembris occurrente Dominica, (17 nov. 22), 240. — *Evangelia* quænam sint habenda ut stricte propria, in fine missæ dicenda (16 jun. 22), 72, 77. — Ratione expositi solemniter SS. Sacramenti, nec ultimum evangelium, nec præfatio erit de SSmo (26 jan. 23), 241. — De commemorationibus specialibus in missa Rogationum, (16 jun. 22), 70.

Missa pro grege, v. Parochus.

Missiones. De pecuniis collectis diebus missionum, monitum episcopale, 244; v. Facultates.

Modernismus moralis, juridicus et socialis, in encyc. « Ubi arcano » reprobatur, 21.

Moniales. Religiosæ quæ in Belgio habent vota ex instituto solemnia sunt revera moniales, 483 ss ; possunt petere a R. Pontifice facultatem emittendi vota solemnia, 484: non subsunt episcopo ut religiones juris diœcesani, sed ad normam codicis, 484.

Musica sacra. *Libri liturgici cantus*. Officium Majoris Hebdomadæ et Octavæ Paschæ describitur et dijudicatur, 80 ss. — Conferentiæ cantus iterum reassumendæ, congr. prosyn., ad III, 266. — Libri dijudicati, 86 s.

Mystica theologia universæ theologiæ coronidis instar est, 102 s.; præparatio ad contemplativam unionem cum Deo duplex est: negativa prima, 104; positiva altera, 105; hæc positiva imprimis necessaria, 106. — Veritas generalis ac fundamentalis quæ totam doctrinam theologicam pervadit et illustrat: Christus in præsenti ordine est ratio, finis atque fastigium totius ordinis, 177 s. ; exinde intelligitur quemnam locum B. M. V., Ecclesia Christi ejusque caput visibile in hoc ordine obtineant, 180 s.

Regnum Dei naturale describitur et explicatur, 348 s.; deinde regnum Dei *supernaturale* inchoatum, 525; finis in hoc regno supernaturali est visio Dei intuitiva, 425 s.; hæc visio promerenda est; inde dona gratuita gratiæ quæ nos deiformes facit, 427 s. — Elevatio angelorum ad ordinem supernaturalem, 427 s.; gradus et hierar-

chiæ inter angelos, 429 s. — Specialis creatio primi hominis, 431 s.; dona præternaturalia, 432 s.; elevatio hominis ad ordinem supernaturalem, 433 s.; dona stricte supernaturalia explicantur: gratia habitualis seu sanctificans, 435 s. et dignitas filiorum adoptivorum Dei, 436 s.

Necessitas medii et præcepti explicatur, 139 s.

Nicænum, v. Symbola.

Occupatio.

Res domi relictæ a concivibus nostris, dum propter bellum a. 1914 aufugiebant, per se erant considerandæ ut amissæ, per accidens ut derelictæ, ita ut tunc jure occupari potuerint, 35. Jus occupationis difficilius usuvenit quoad res hujusmodi, quarum proprietarius cognoscebatur, quam quoad alias, 37. Eædem regulæ applicandæ sunt rebus concivium nostrorum quas hostiles exercitus hinc illinc asportaverant, 38. Quid valeat in conscientia lex civilis adnumerans Statui illa objecta, 39; necnon determinatas præscribens inquisitiones faciendas ad inveniendum proprietarium, 40.

Ex dictis apparet quandonam restitutio in casu imponenda sit necne, 40.

Octava, v. Annus liturgicus.

Officium canonicum.

Quomodo ordinandum per octavam Patroni loci, 377 ss. — Versus *Fidelium animæ* omitti nequit in fine Tertiæ ante missam conventualem (19 jan. 23), 241.

Onanismus conjugalis non reservatur quoad *uxorem*, si per retractum solius viri instituitur, nec stricto sensu cooperatur tunc uxor peccato mariti, 167. — Tolerari nequit confessarios sponte sua docere praxim *copulæ dimidiatæ*, illamque suadere promiscue omnibus pœnitentibus, qui timent ne proles numerosior nascatur, et ne quidem ad peccata mortalia vitanda, omnibus tentatis aliis remediis; imo, neque tunc copulam dimidiatam aliunde notam suadere potest confessarius nec sine explicatione licitam declarare, 235.

Parochus. *Stabilitas* officii parœcialis, 44. — Inamovibilitas, 45. — Amovibilitas, 45. — Stabilitas parochorum in Belgio, 45 s.

Nominatio et institutio parochorum, sede episcopali

plena, 133; sede episcopali vacante, 134. — Nominatio et institutio parochorum in parœcia religiosa, 134. — Nominatio quasi-parochorum, 134.

Functiones parœciales Benedictio puerperarum de jure communi non est functio parœcialis, 79; est autem de jure particulari diœcesis brugensis, 79 s.

Obligationes parochorum. Obligatio celebrandi pro grege. Dies quibus tenentur hac obligatione parochi, 203 ss , quasi-parochi, 203, nota 1. — De legitima dilatione applicationis missæ pro grege, 293. — Obligatio concionandi diebus festis solemnioribus, congr. prosyn., ad I, 265, in missis pro alumnis scholarum, aliis fidelibus assistentibus, *ibid.* — Obligatio vicepastoribus suis et aliis ecclesiæ inservientibus solvendi singulo mense et distincte casualia stipendia, congr. prosyn., ad III, 266; v. Decani, Matrimonium, Sacristæ.

Patronus loci, v. Annus liturgicus.

Pax Christi in regno Christi quærenda in encyc. 23 dec. 1922 demonstratur et explicatur, 1 s.; *mala* quæ hanc pacem impediunt, 4 s.; *causæ* horum malorum, 7 s.; *remedia* indicantur, 11 s.; quomodo per Ecclesiam solam hæc pax instituatur, 14 s.; exhortationes ad episcopos, sacerdotes, fideles de pace Christi in regno Christi promovenda, 16 s.; adhortationes ad unitatem, 21 s.

Prædicatio, v. Doctrina; Instructio.

Proclamationes, v. Banna.

Professio religiosa, v. Religiosi.

Prosynodalis congregatio.

Oratio. Sollicitudo quam parit rerum omnium perturbatio, 259 s., nos sacerdotes, qui armis terrenis destituimur, incitare debet ad arma cœlestia adhibenda: vitam sanctam scil. et orationem, 260 s. — Vis Satanæ manifesta etiam inter nos, 261; imprimis in re scholari, 261. — Hæc arma cœlestia sæpius populo in concionibus commendentur, 262; iis utantur sacerdotes non tantum ad privatas, sed ad Ecclesiæ, Summi Pontificis necnon patriæ intentiones, 262. — Necessitas ut omnes fideles, sed præprimis sacerdotes cum Ecclesia ejusque Pastoribus cohæreant, 263 s. — Causæ gaudii et incitamenta ad zelum: pars electa jam numerosior, notatim ingens numerus Cruciatorum Eucharisticorum; suc-

cessus missionum parochialium, 264; istæ missiones prima opportunitate oblata celebrentur cum exercitiis hoc anno in honorem s. Francisci Salesii habendis, 265.

Decreta. I. Instructio brevis facienda sub omnibus missis, etiam in festis solemnioribus; instructio etiam ne omittatur quando ob necessitatem fideles ad missam dominicalem cum pueris scholarum admittuntur, 265. — II. Commendanda fraternitas s Franc. Salesii, 265. — III. Monita de solvendis stipendiis; renovantur alia ad sacristas pertinentia; item ad conferentias cantus, libros liturgicos spectantia, 266. — IV. Visitationes decanales, 267. — V. Facultas decanis concessa benedicendi novas campanas, 266. — VI. De affixione publica contrahentium matrimonium et de inscriptione matrimonii contracti, 267. — VII. Facultates ex speciali auctoritate S. Sedis obtentæ, canonico pœnitentiario et decanis subdelegatæ enumerantur, 267 s.

Publica honestas in 2° gradu est impedimentum *minoris* gradus, 326; in 1° gradu est impedimentum *majoris* gradus, 323; v. Facultates.

Regnum Dei describitur et explicatur, primo *naturale*, 348 s.; deinde *supernaturale inchoatum*, 425 s.

Regnum Christi, v. Pax Christi.

Regula fidei, quid sit, 187. — Doctrina catholica: duplex regula, *proxima* scil. et *remota*, 187 s.; doctrina protestantica: una regula, nimirum s. Scriptura, 189; regulæ fidei vocantur symbola, 411.

Religiosi Professio religiosa in articulo martis novitiis vel postulantibus permissa. Conditiones et valor juridicus, decret. S. C. de religiosis, 30 dec. 1922, 236; v. Confessarius, Moniales.

Reservationes pontificiæ, 133; v. Casus.

Responsio, cum variis exhortationibus, per litteras apostolicas Pii XI, diei 10 junii 1923, ad episcopos Belgarum, 257 s.

Revelatio. Objectum revelationis *secundarium* constituunt veritates theologicæ, 51; *fontes* revelationis sunt s. Scriptura et traditio, 187, 274; v. Traditio.

Romanus pontifex loquens *ex cathedra* est infallibilis, 28 s.

Sacristæ et officiales ecclesiæ. Media meliorandi eorum vitæ conditionem, congr. prosyn., decr. III, parochis commendata, 266; v. Parochus.

Salesius (s. Franciscus). Speciali Dei providentia, sua ætate, fuit oppositus novatorum hæresi, 90; singulari Dei consilio etiam nunc Ecclesiæ datus ut doceat sanctitatem omnibus possibilem et obligatoriam, 91 s.; ejus vita adumbratur et virtutes extolluntur, 91 s.; ejusdem opera et scripta breviter exponuntur, 94 s.; sæcularis memoria ipsius in omnibus diœcesibus celebranda, 57 s.; lectio ejus operum commendatur, 98 s.; cœlestis patronus scriptorum catholicorum proponitur, 99 s. — Commendatur exercitium in honorem s. Francisci, p. 100 s.; ad mentem Reverendissimi fiat occasione missionis parochialis, 265; commendatur pariter confraternitas sub vocabulo ejusdem sancti, juxta decretum II congr. prosyn., 265.

Sanatio in radice, v. Facultates.

Schismatici non sunt membra Ecclesiæ, 118.

S. Scriptura.

Interpretatio locorum.

Mt., III, 13-17 (Baptismus Jesu), 47 ss.
IV, 1-11 (Tentationes Jesu), 109 ss.
V, 17-19 (« Non veni solvere, sed adimplere »), 135 ss.
V, 31-32 (Indissolubilitas matrimonii), 183 ss.
VI, 19-24 (Divitiæ non quærendæ), 206 ss.
VI, 25-34 (Sollicitudo circa temporalia vitanda), 269.
IX, 14-17 (« Quare discipuli tui non jejunant ») 295.
XI, 11-14 (« Non surrexit major Joanne Baptista »; — « regnum cœlorum vim patitur »), 360.
XI. 25-27 (« Nemo novit Patrem nisi Filius .. »), 387 ss.
XI, 28-30 (« Venite ad me...; discite a me »...), 439 s.
XIX, 9 (Indissolubilitas matrimonii), 183.
Mc., I, 9-11 (Baptismus Jesu), 47 ss.
I, 12-13 (Tentationes Jesu), 109 ss.
X, 11-12 (Indissolubilitas matrimonii), 183 ss.
Lc., III, 15-16 (« In Spiritu sancto et igni »), 25 ss.
III, 21-22 (Baptismus Jesu), 47 ss.
IV, 1-13 (Tentationes Jesu), 109 ss.
XVI, 18 (Indissolubilitas matrimonii), 183.
Jo, I, 29-34 (Testimonium Baptistæ de Jesu), 47.

SCRUPULI, v. CONSCIENTIA.

Societas nationum vera fuit, ætate media, illa christianorum populorum communitas, uti in encyc. « Ubi arcano » exponitur, 15.

SOLEMNITATES TRANSLATÆ, v. ANNUS LITURGICUS.

Solutio stipendiorum fiat in fine cujusque mensis, ex decreto III, congr. prosyn., 266.

Subditi Ecclesiæ manent hæretici, excommunicati et schismatici, 118.

Successio.

a/ Quid sint *capacitas* et *dignitas*, quæ in successione ab intestato apud heredem *ex lege civili* requiruntur, 144. Quid producat indignitas, tum ante tum post sententiam judicis, 145. Quandonam, patre excluso ob indignitatem, excludantur et filii; quandonam secus, 146. Quid valeant ex lege et in conscientia contractus præsertim gratuiti quos exclusus inierit cum tertio bonæ aut malæ fidei, 147.

b/ In successione ab intestato, *lex civilis* restringit jura filiorum *illegitimorum*, eos distinguendo in naturales agnitos aut non agnitos, in adulterinos et in incestuosos, 190. Quantum lex singulis tribuat, 191. Prohibitio *legalis* ne plus accipiant, 191. In foro *conscientiæ*, dantur certe casus in quibus lex non obligat, 192. In reliquis causis distinguendum est:

1/ Casu quo illegitimitas existit coram Deo simul et lege, quale sit peccatum et quænam postea obligatio restituendi, si illegitimis plus datum fuerit inter vivos quam lex concedit: et hoc sive portio reservata filiorum legitimorum inde læsa fuerit, sive non, 193.

2/ Casu matrimonii pure civilis, filii inde procreati existunt coram Deo naturales aut quandoque adulterini: quandonam hi filii possint stare legi successionis in conscientia, et quandonam secus, si deficiant filii vere legitimi, 196; quid vero, si tales non deficiant, 197.

3/ Quid autem decernendum in conscientia, casu matrimonii pure religiosi et non civilis, relate ad successionem filiorum inde procreatorum, 198.

4/ Insuper, quid in conscientia tenendum sit de jure ad successionem prolis quam nupturientes coram ministro civili suam declarant, quamvis sponsus non sit pater ejus, 211; distinguatur nempe utrum necne dentur simul alii filii vere legitimi, 213.

5/ Tandem quid de jure prolis adulterinæ quam uxor durante legitimo matrimonio procreavit, quamque erronee maritus suam esse putat, 215; eadem nimirum distinctione utendum est, 216.

c/ Agendo de *acceptatione* successionis, quid sit acceptatio pura et simplex, quid vero acceptatio sub beneficio inventarii; et quid inde sequatur secundum *legem civilem*, quoad debita et onera successionis ab heredibus solvenda, 276. An vero *in conscientia* teneantur heredes qui pure et simpliciter acceptaverunt, ad solvenda illa debita etiam ultra vires portionis quam acceperint, 281.

d/ Quid importet in successione, secundum *legem civilem*, obligatio *collationis*, distinguendo eam a lege reductionis, 304. Inde deducitur utrum *in conscientia* teneatur heres donatarius aut legatarius ad faciendam collationem, quoties hæc a lege vel per sententiam judicis imponitur, 308.

Symbola fidei, quid sint, 441; indicatur quænam sint præcipua, 441 s.; quid valeant ad argumentum theologicum adstruendum explicatur, 444 s.

THEOLOGIA MYSTICA, v. MYSTICA.

Traditio, fons revelationis, explicatur, 208 s.; præcipuæ divisiones ejusdem indicantur, 210 s.; controversia inter catholicos et protestantes de sacra traditione deli neatur, 273 s ; probatur traditionem oralem esse fontem revelationis a s. Scriptura *distinctum*, 299 s. et simul fontem *excedentem* sacras litteras, 364 s.; præcipue conservatur traditio per magisterium Ecclesiæ, 392 s.

Vaticanum concilium. Mens R. Pontificis de hoc concilio continuando, in encyc. « Ubi arcano » indicatur, 17.

Veritas theologica explicatur et indicatur ratio ejus connexionis diversæ cum revelatione, 51 s.

Vicarii parœciales. *Vicarius œconomus*. Jura, 374 s; obligationes, 376. — *Vicarius substi.utus*. Notio, 408; constitutio, 408; jura et obligationes, 408 s.

Visitatio a decanis facienda ex decreto IV congr. prosyn., 266.

VOTUM CASTITATIS, v. FACULTATES.

25318

Collationes Brugenses

v.23
1923 CBPaC

v.23
1923

25318

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00271 9429

G.-J. Waffelaert, S. T. D. et M., Evêque de Bruges, *Méditations théologiques*. Ed. n. Bruges, Beyaert, 1919. Vol. 2 in-8. Fr. 8.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, Brugis, Beyaert, 1910. In-8, XVI-407 p. Fr. 6.

Id. *Tractatus de Deo uno et trino*, Brugis, Beyaert, 1917. In-8, XIX-658 p. Fr. 8.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio*. Editio tertia, Brugis, Beyaert, 1920. Duo vol. in-8, XL-420 et VIII-398 p. Fr. 25.

Id. *Praxis matrimonialis ad usum parochi et confessarii*. Ed. altera, Brugis, Beyaert, 1920. In-12, XIII-189 p. Fr. 4.50.

Id. *Het christelijk huwelijk*. Tweede druk, Brugge, Beyaert, 1920. In-16, VIII-176 bl. Fr. 3.

Id. *Le mariage chrétien*. Trad. de la 2e éd. flamande par Mgr Sentroul, Bruges, Beyaert, 1920. In-12, XII-179 p. Fr. 3.50.

Id. *De absolutione complicis et sollicitatione*, Brugis, Beyaert. Ed. altera, 1921. In-8. XI-129 p. Fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii*, Brugis, Beyaert, 1 editio, 1913. In-8, LXXXIV-376 p. Fr. 7.20. — 2 editio, 1916. In-12, VIII-514 p. Fr. 4.20.

R. De Schepper. *Inleiding tot de studie der kerkgeschiedenis*, Brugge, Beyaert, herziene druk, 1922. In-8, 154 bl. Fr. 6.

C. Callewaert. *Liturgicæ institutiones. Tractatus I : De S. Liturgia universim*. Brugis, Beyaert, 1919. Majus in-8, VIII-160 p. Fr. 5.

Id. *La durée et le caractère du Carême ancien dans l'Eglise latine*, Bruges, Maertens-Mattays, 1913-1920. In-8, 96 p. Fr. 2.

Id. *Cæremoniale in missa privata et solemni aliisque frequentioribus functionibus liturgicis servandum*, Brugis, Beyaert, 1922. In-8, VIII-347 p. Fr. 10: pro ext. reg. 11,50 fr.

Van Coillie-De Meester. *La sépulture et les fabriques d'église en droit civil-ecclésiastique*, Bruges, Desclée, De Brouwer et Cie, 1916. In-8, X-590 p. Fr. 6.

A. De Meester. *Compendium juris canonici*. Ed. ad normam codicis. T. I (Introd.; Lib. fund. *de Ecclesia*; Lib. I, *Normæ Generales*; Lib. II, tit. 1-6). Brugis, Desclée, 1921. In-8, 340 p. Fr. 15.

Id. *La liberté d'enseignement. Etude de droit constitutionnel*. Bruges, De Haene, 1923. In-12, 39 p. Fr. 1.

J. Mahieu. *Het inwendig gebed*. (*Het Geestelijk Leven* n° 5), Brugge, Sint Michiel, 1920. In-16, 200 bl. Fr. 3.

H. Lamiroy. *De essentia ss. Missæ sacrificii*, 1919. In-8, XV-536 p. Fr. 10.

A. Camerlynck. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam Synopsis*. Ed. 3, Brugis, Beyaert, 1921. In-8, LXXXV-206 p. Fr. 12.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES constat pretio 12 francorum (pro regionibus exteris, 15 fr.).

TYPIS G. BARBIAUX-DE GHESELLE,
BRUGIS.